This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`





600077327W

2/6

Gottinger
1883

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBRI SEX:

QUIBUS

INTERPRETATIONEM ET NOTAS

ADDIDIT

THOMAS CREECH,

COLLEGII OMNIUM ANIMARUM OLIM SOCIUS.

ACCEDUNT

VARIÆ LECTIONES IV. EDD. ANTIQUISSIMARUM

NECNON

ANNOTATIONES R. BENTLEII.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXVIII.

BODLEIAN LIBRARY
6 JUL 83
OXFORD.

CHRISTOPHORO CODRINGTON,

COLLEGII OMNIUM ANIMARUM SOCIO,

THOMAS CREECH

EJUSDEM COLLEGII SOCIUS

S. P. D.

QUALI otio jam utor, occupato, requiris, an inerti, et remisso; inquirenti qui respondeat libellum accipe, non *multis* quidem vigiliis, et acri studiorum intentione, aliqua tamen diligentia elaboratum: neque enim ad *Te* elegantissimi ingenii virum mitti aliquod debet, quod impolitum nimis foret et rude; Lepore, Vi, et Acumine omni destitutum. Quanquam quid diligenter factum videatur *Tibi*, qui in Critica, et Philosophia, quantum per ætatem tuam homini licet, in Poëtica supra annos vales, nisi utaris ea moderatione animi, qua tuas Dotes æstimare, et illa benignitate, qua meas Nugas esse aliquid putare soles?

Multi quidem [a] attribuunt Lucretio omnes virtutes quæ optimum Poëtam, et consummatissimum Philosophum ornare possunt; suæ opinioni plus satis indulgentes, ejusque famæ forsan nimis benigni: sed istam benevolentiam, qua non indiget, vir erecti justique animi aspernatur, contentus iis meritis, quæ Vetus Criticorum Gens, integerrimi judices, agnoverunt, et suo confirmarunt judicio. Nam in illo *Artem* Tullius [b], *Sublime carmen* Ovidius [c], Quintilianus [d]

[a] Lambinus, Gifanius, Faber, alii. [b] Epist. ad Fratrem lib. 2. ep. 11. *Lucretii Poëmata non sunt ita multis luminibus Ingenii, multæ tamen artis:* alii legunt, *Sunt lita multis*, &c. [c] Am. lib. 1. El. 15. [d] Instit. Orat. lib. 10. cap. 1.

Elegantiam in sua materia, Statius[e] *Arduum furorem* admiratur; neque quis tam acerbus Poëtæ censor, adeoque sui negligens, ut hæc neget, Doctorum invidiam sua reprimit conscientia, Indoctorum maledicentiam tantorum judicum reverentia: et sane jure expectanda est *Elegantia* in carmine ab ipso Patre venustatum Cicerone[f] perpolito, *Sublimitas, Arduusque furor* in gravissimo[g] suæ ætatis (non rudis vero et indoctæ) Poëta: et quod ad *Artem* spectat; seu argumentorum inventionem, seu materiæ dispositionem, sive ad unum finem, impium certe, sed quem sibi elegerat, attentionem consideremus, nulla erit unquam perfectior disciplinæ formula.

Uni Quintiliano inter Veteres (Poëtæ fortassis alii judicabunt, ego vero ipsius Quintiliani hominis in rebus Philosophicis minime exercitati vitio) videtur difficilis[h]; at plurimis e Recentioribus difficilior: nec injuria. Illa enim fuit indiligens exscriptorum inscitia, ut nullus fere versus, (de paginis quid dicam?) sincerus aut emendate scriptus: neque Manus neque Mens suo officio fungebatur, monstrosæ ubique voces, absurdæ sententiæ; et barbari isti librorum conservatores nobis tradiderunt codices ea fide, qua mare turbidum navigia; nam eructat illud fractas lacerasque tabulas, e quibus forsan aliæ naves compingi possunt, sed minoris formæ et venustatis, nisi a peritissimo artifice conjungantur.

Ideo primi Lucretii Editores non tam Codicum Scripturam exhibebant, quam conjecturas suas, vanas plerumque, aliquando improbas; id quod decuit, id quod ætati conveniebat fecerunt, conabantur loqui, sed in ista Literarum infantia quid præter dimidiata verba, et incertam pronunciationem expectemus? Nondum satis nota erat Poëtæ dictio, ignota prorsus Epicuri Philosophia. Iste enim Poëtarum mos est, ut qui delectum verborum affectent veteres exquirant voces, et cum antiquis ament loqui; neque quidem diffitendum antiquis vocibus, et veterum loquendi formulis, (horridæ licet videantur et incultæ) vim et gene-

[e] Geneth. Lucani lib. 2. Sylvarum. [f] Eusebius Olym. 171. [g] Cornelius Nepos vit. Attici. [h] Inst. Orat. lib. 10. cap. 1. ubi tamen Barthius, sed frustra, legit *diffusilis*.

rosam quandam pulchritudinem inesse. Novæ placent, namque delicatæ, sed languidæ et inertes, ista ætas quæ perpolit, emollit; neque aliam ob causam fluidas in Ovidio delicias, in Virgilio nervosam Majestatem admiramur, quam quod alter cum viris tantum suæ ætatis loquebatur, alter non suos quidem neglexit, sed iis immiscuit Majores. Non vero tenuis labor est, voces, quibus Ennius, Attius, Nævius, &c. usi sunt, reconditas penitusque jacentes invenire, explicare inventas; evolvendi sunt veteres Grammatici, Poëtarum interpretes, multo denique usu, et pari attentione opus.

Quod si plana fuisset et aperta Dictio, Materies tamen difficilis et impedita, nec cuilibet obvia est Epicuri ratio; experti nôrunt Illius Philosophiam postulare subactum et patiens ingenium, quod nullas reformidet difficultates, et sit totius naturæ capax; neque vero tacendum, quod Ille, qui nullam fœlicitatem sine Otio esse, et sola sua Ratione et Sapientia beatitudinem acquiri posse decreverat, laboriosam instituit disciplinam, et quæ sui studiosos nunquam patitur otiosos esse: quippe a Sensibus, in quibus hominum desidia ut plurimum subsistit, abducit; rapit per Inane insensile, et in omni explicatione, tot et tam minutis utitur instrumentis, ut illa colligere operosum sit, contemplari grave: ut Colorum, Saporum, Odorumve variationem, (hi sunt vulgares naturæ lusus) intelligas, perspicienda est motuum figurarumque infinita varietas, connexus, viæ, intervalla; nihil in hac disciplina simplex, et quod uno quasi intuitu comprehendi possit: alii interim Philosophi iis, quas sensibiles vocant, qualitatibus instructi omnia naturæ opera compendio transigunt, unoque Spiritu, tanquam vesicam inflarent, instituunt Philosophum. Hoc quod dico Idem Ille demonstravit, qui multa a Democrito sumens tot voluminibus inchoavit potius quam absolvit Physicam, fundamenta jecit istius scientiæ, quam perficere totam Posteritatis industriam exhauriret: multa Ipse aperuit; multa reliquit aliis explicanda, et, quod maxime dolemus, Illius olim fœliciter transacti labores sunt iterum a Nobis retractandi: nam e trecentis [i] voluminibus, si tres epistolas

[i] Diogenes Laertius, lib. 10.

exciperes, quid superest præter sententiolas quasdam ab Academicis, Stoicis, et Pyrrhonicis, injustis hominibus illique Philosopho inimicissimis conservatas? Quas tamen non ut Illius decora, sed suæ virtutis indicia exhibent, ideoque laceræ apparent et fractæ, tanquam trophæa suis ictibus confossa. E Græcis discipulis multi scripserunt multa, non erudite nimis, et considerate parum; e Latinis pauci, Amafanii[k], Catiique[l] scripta perierunt, contemptu suæ ætatis, sequentium neglectu; totusque Epicurus, quantus quantus olim fuit, in uno Lucretio (qui tres istas epistolas a Diogene Laertio[m] descriptas, olim integras, hodie vero mirum in modum depravatas Latine vertisse mihi visus est) continetur. Tempus, ut flumen, res quas recipit dissolvit, et raro integræ deferuntur.

Parcamus igitur primis Lucretii Editoribus, neque Incuriæ imputemus vitia, quæ Inopiæ forsan verius attribuantur; omittamus saltem, postquam Lambini sagacitas, et Gassendi incomparabilis viri eruditio effecit, ut possimus illorum industria facilius carere. Alter enim in codicibus conferendis diligens, in conjectando acutus, et fœliciter audax, imbutus Epicuri doctrina, Turnebi, Aurati, aliorum familiaritate usus, multis curis multoque studio adeo emendatum edidit Lucretium, ut nullus fere Poëtarum integrior: alter ita expressit Epicurum, ut non magis imago faciem; nisi quod, ut in Pictura plerumque fit, hic sit non parum elegantior; et qui horum studia apte conjunxerit, *Ille* mihi videtur Lucretii optimus Interpres.

Id tandem conatus est Fayus[n], siquis alius huic operi quam maxime inidoneus; atque ita perfecit, ut se Lambini et Gassendi scripta nunquam legisse abunde demonstraverit. *Variorum Codicum auxilium, et Carmen omnino a mendis vindicatum*[o] jactat, cum sexcentis exemplis confirmare possum Istum uni Pareo, homini furfuraceo, fidere: barbara interpretatione incestavit Latinissimum Poëtam, easque notas adjecit, quæ Philosophum faciunt sæpe absurdum, seipsum semper ridiculum. Sed iste bipes est ex illo hominum genere, qui post depravatam Religionem, et

[k] Cicero Quæst. Acad. lib. I. [l] Cicero Epist. ad Cassium. [m] Lib. 10.
[n] Editor Lucretii in usum Delphini. [o] Præf.

corruptos bonos Mores, in Literas humaniores involant, et maxime agunt, ut nec pii, nec boni, nec literati possimus esse. Siquid asperius dixerim, id non meis moribus, sed illorum insolentiæ, qui bonos authores violant ascribas; nôsti lenitatem, at stulta est clementia duris verbis parcere, cum isti sint meriti duriora: ego quidem opus a Fayo institutum, melius quam Ipse potuit (indulge mihi istam arrogantiam, nihil enim humilius dici potest) absolvi; Lambini, Gifanii, Vossii, Salmasii, Gronovii, Fabri, aliorum observationes, conjecturas, interpretationes, emendationes collegi, digessi; non tamen adeo probavi omnia, quæ magni illi viri dixerunt, ut nunquam meo animo obsequutus fuerim: quod vero Gassendus utramque fere paginam facit, id quidem contendo recte institutum, et negent isti, qui mihi, aliisque Lucretii lectoribus invident tam doctum, tam elegantem Interpretem.

Fugi tamen, quantum potui, Grammaticorum contentiones, de literis, vocumque apicibus, si modo integra et expedita videbatur sententia, non nimis solicitus: non probabilis curiositas vexare voces, cum varies licet et torqueas, idem tamen fatebuntur. Verebar etiam, ne illa morum dulcedo, quæ *Tibi*, aliisque optimis viris non fatua videbatur, acesceret; quippe Grammaticorum gens est clamosa; immitis, acerba, irritabilis, neque eorum familiaritate cautus aliquis nimis uteretur. Perpetuum inter eos odium, contumeliæ, convitia; ut imperiti rudesque tragici, cum humile aliquid et miserabile dicant, vocem intendunt, et minantur magna: neque hoc quidem convenit in viles tantum et e trivio Grammaticos, sed Scaligeros, Salmasios, Vossios, Huetios, quos in omni literarum genere maximos veneramur, sed experimur illiberales Grammaticos: cum ad puerilia descendant, tanquam pueri rixantur. Memini autem me Philosophum interpretari, quod si perfecerim novi *Te* Laudatorem non parcum, si exciderim proposito, indulgentissimum Amicum experiar; benigne monebis et corriges: an idem alii facturi sunt, forsan non tanti est ut studiosius inquiram.

Obsignaveram has literas, neque longiori sermone *Te* morari, et peccare in publica commoda decreveram, cum veteres notæque calumniæ irruperint, postulantes ut resig-

narem, sibique satisfacerem; rejeci, quid enim cramben tam fatuam reponam? Sed cum instarent acrius, novosque jactarent authores, admisi tandem, et jam in scenam prodeunt.

Prima humilis est, et Grammatica[p], dicitque Lucretium Poëtam non esse; nempe nos hodie melius intelligimus quinam sunt isto titulo digni, quam uterque Cicero[q], Cornelius Nepos[r], Ovidius[s], aliique verborum callentissimi scriptores: illi Vatem dicunt, et quidni ego illis credulus, donec meliores authores, quos sequar, habeam? *Per ambages Deorumque ministeria non præcipitatur liber spiritus;* nec fuit necesse: Physicum enim non Heroicum contendo; sit Empedocli, Arato, Hesiodo, Virgilio proximus, locum haud opto digniorem: Diis famulis non utitur, sed nec vilia, fœda, et pudenda officia illis demandat, quod isti Deorum Dearumque Domini non raro faciunt: quid autem dicam Epicuri Deos ridiculos fore, si cum æterno sint Otio donati turbarent omnia, et tumultuarentur? Sed *Incomptus* est et *Laxus*, non habet numeros, aut perspicuam Virgilii brevitatem: quasi non iniquum et indignum esset in opere imperfecto, et quod ultimam authoris manum desideravit, eas veneres requirere, quæ in Poëmate maxime elaborato sunt spectabiles.

Huic Calumniæ ita profligatæ succedit alia elatior aspectu, et voce truculentior; clamitans vesanum esse, immodestum, impium, voluptatis magistrum, omni denique spurcitie, quæ decet porcum ex Epicuri grege inquinatum: ego vero nunquam animum meum inducere potui ut credam, Pomponii Attici, castissimi viri familiarem, utriusque Ciceronis delicias, et eximium suæ ætatis ornamentum tot vitiis (de impietate aptior erit dicendi locus) fœdatum. Testes igitur quæro, sed nullibi inveniam, scripta evolvo, at in illis omnia longe dissimilia; multa adversus metum fortiter, intemperantiam severe, libidinem caste disputantur, quæ hortari ad Virtutes, ab Avaritia, Ambitione, Luxuria possint deterrere, plurima: et qui ad illius præcepta vitam moresque componit, illum privati habebunt integerrimum amicum, civem Respublica.

[p] Hieronymus Magius Miscel. lib. 1. cap. 17. [q] Epist. ad Fratrem, lib. 2. Ep. 11. [r] Vit. Attici. [s] Tristium lib. 2.

Sed cum Epicuri sectatores non tam sua quam magistri infamia laborant, haud integra erit Poëtæ nostri dignitas, nisi Illius etiam honos vindicetur: nam male moratus Scholæ Philosophicæ Princeps, ut Fons lutulentus canalem suum, obducit quasi limo, et conspurcat Discipulos. Quid autem Epicurum laudarem apud *Te*, qui moribus vitæque instituto es ab illo, quem vulgus sibi fingit, quam maxime alienus? In Deum, Patriamque pius, Amicis fidus, modestus, temperans, literarum studiosissimus, in notos benignus, ignotis omnibus benevolus, et omnibus vicissim charus, despicias oderisque necesse est impium, infidum, immodestum, intemperantem, rudem disciplinarum contemtorem, universis invidentem, et universis pariter invisum. Attamen hoc *Tibi* jucundum fore existimo, qui justus æquusque rerum arbiter suum unicuique tribui, neque quenquam innocentem calumniis opprimi et obtundi velis.

Quod negaverit Deum effecisse omnia, et humana curare impium agnosco, et non ego is sum qui excusarem; licet huic errori humanam imbecillitatem prætexere potuerim, cum omnes Physici ante Anaxagoram, Aristoteles, nec Stoicos excipiam quibus Fatum erat pro Providentia, sint eodem crimine impliciti: Æternam materiam, Dei sororem ut vocant, objicerem Platonicis, et Mali principium pariter æternum; demonstrarem quod Ipse Epicurus non minus honorifice de Deo senserit, quam Isti qui videri volunt (Socineos intelligas) piissimi: denique quod Deum[t] coluit nulla spe, nullo pretio inductus, sed propter ejus Majestatem eximiam supremamque naturam: sed istis omissis contemplare obsecro Epicurum tanquam in trivio positum, Stoici cum suo Fato obsidebant hanc viam, a qua refugit Voluntas libera et Fatis avulsa; illam implebant Boni adversas res deplorantes, Malique jactantes secundas, neque illac erat facile transeundum, in Tertiam igitur fervido nimis et inconsiderato impetu prosiluit; miserere tantæ infœlicitatis, nisi malis oblivisci.

Patria Deo proxima, ejusque saluti suum otium post habuit Epicurus, siquid intervenerit[u] accessurus ad Rempub-

[t] Seneca de Ben. lib. 4. cap. 19. [u] Vid. ratas sententias apud Laertium.

licam: non impotenter appetebat imperium, neque fugit administrationem cum invitaverit occasio, leni mitique secessus placuit, et cum Se abstinuerit a rebus civilibus præparavit principem: Amicitias[x] non oratione solum, sed multo magis vita, et factis et moribus comprobavit; familiares[y] fame laborantes sustinuit, partitus cum ipsis ad numerum fabas: et[z] ista commendatio puerorum, memoria et charitas amicitiæ, summorum officiorum in extremo spiritu[a] conservatio indicat innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus, nec præmiorum mercibus evocatam. Ita cum amicis mori sustinuit, moriens eos superstites summa benevolentia amplexus est, et si maximum fidei indicium requiras, non[b] dubitavit pro Amico mori.

Qui libidinem Epicuro objicit, demonstret illius furta et delicias[c]; qui gulam, fercula; adeat hortos, lautissimæ mensæ accumbat, et tandem plenus et satur instituat accusationem. Sobrius vixit et frugi senex, lætus[d] exigui horti plantaribus, maza[e] fructibusque famem maligne extinxit, aqua[f] et pane simplici contentus, quibus caseum addidit, quando genio indulgere, et sumptuosius convivari libuit. Quæ his contraria a Plutarcho et Cicerone referuntur, plurima sunt a Stoicis impudentissime efficta[g], et invidiose recitata ab istis authoribus, qui oppugnabant opiniones in quas popularius[h] dicere potuerunt: neque Epicurum mihi videntur satis intellexisse, namque Ille, ut erat facetus, varia *Voluptatis* significatione illusit Stoicos, fastosos et irritabiles viros, ut habeant isti unde rixentur, et fiant magis ridiculi: familiaribus autem vera rigidaque Virtus erat explicata verbis[i], vita moribusque declarata; et nulla unquam Schola vidit majores viros, et magis omni laudis genere insignes.

[x] Cicero lib. 1. de Fin. [y] Plutarchus in vita Demetrii. [z] Cicero lib. 2. de Fin. [a] Vid. Testamentum Epicuri apud Laertium. [b] Vid. ratas sententias apud Laertium. [c] Diogenes Laertius lib. 10. et Nazianzeni Jamb. 18. [d] Juvenalis Sat. 13. et 14. [e] Porphyrius lib. 1. de Abst. Seneca Epist. 21. Plutarchus adv. Colotem. [f] Laertius lib. 10. [g] Ibid. [h] Vid. Ciceronem lib. 3. Tuscul. Orat. in Pisonem. Lib. 3. de Orat. et Plutarchum adv. Colotem. et A. Gellium, lib. 2. cap. 8. et 9. [i] Inde Epicurei apud Clem. Alex. Strom. 5. p. 575. dicunt καὶ παρ' αὐτοῖς ἀπόῤῥητα εἶναι, quem locum Gassendus, tom. 5. p. 95. non recte explicat.

De contemtu Disciplinarum quid responderem, cum utiles vix neglexerit, et ego non sum adeo delicatus, ut nullam admitterem Philosophiam nisi operose et phaleris ornatam? At serio isti accusant, qui invidum dicunt, ingratum, Democriti[k], et Nausiphanis, e quibus[l] profecit, cavillatorem: grave hoc crimen, sed et commune, et si vera foret accusatio[m] iniquissime id vitium hodie objiceretur Epicuro, qui amplas dedit pœnas omnium ætatum invidia et ingratitudine oppressus. Quis enim impotentius affligitur? et ipsa Stoicorum Vulgique rusticitas temperans videatur et humana, si conferatur cum illorum convitiis, qui qualem qualem in Physicis profectum uni Epicuro acceptum referre debent. En magnum et memorabile exemplum! *Sequitur*[n] *Epicurus cum suo grege, Vir parum eruditus, sed ingenio non vulgari, ita tamen sensibus addicto, ut exinde supremam veritatis normam et indicem semper desumendam esse putaverit. Gaudeat Ille suis sensibus omniscientibus, suo sole sesquipedali, sua terra non pendula, sed radicata deorsum in infinitum, recurrente sole qualibet nocte per terrarum latera ad carceres Orientales; hæc si Philosophum decent, qualia sunt illa quæ decent vulgus et idiotas? Suam illis scientiam, suas voluptates, utrasque sensibiles non invideo: digni qui cum corporibus vivant, pereantque animi.*

De hujus Viri Philosophia nihil habeo commemoratione dignum; Democriti et Leucippi dogmata corrupit potius quam emendavit, antiquo-barbara et vetustissima ignoravit, novis inveniendis impar: philosophatur laxe, et per rationes fluctuantes, quæ non constringunt animum, neque ad assensum impellunt, nisi sua sponte in partes indolemque Epicuri propendeat. Quoad mundi ortum, quod proxime accedit ad argumentum nostrum, ea in re se pessime expedivit Epicurus, nam præterquam quod Atomorum illi motus quos introduxit, tam descensus quam declinationis, fictitii, cum his figmentis rem suam necdum conficere potuit. Cum

[k] Cicero, lib. 1. de Fin. lib. 1. de Nat. Deorum. [l] Sextus Empiricus, lib. 1. adver. Mathematicos. [m] Negat Laertius, lib. 10. Illustrius in Epicuro, et e Plutarchi lib. 2. adv. Colotem, et Lucretio refutari potest. [n] Archæologia Philos. p. 185.

enim in formanda tellure præteriisset membranam illam Leucippi (cujus meminimus) orbemque primigenium levem et æquabilem, et ad hodiernam terræ formam protinus aptare voluerit suam Cosmogoniam, plane excidit proposito, atque frustra fuit; cum neque maris, neque montium, neque cavitatum terræ, aut cæterarum, quas in ipsius forma conspicimus, inæqualitatum causas reddere poterat aut verisimiles, aut tolerabiles. Agnoscis contumelias, vehementes et acerbas, a viro probo, intelligente, cætera candido, profusas; ab illo denique qui non tantum quicquid in Physicis præclare dixit, sed Scommata° ista quibus tam frigide, et illiberaliter illudit sacræ Mosis historiæ, ab Epicuro accepisse videatur: nempe cum decreverit vastare hortum, salubres simul noxiasque herbas evulsit, et transtulit in sua. Hæc, scio, ægre feres, accipe igitur tabulas, et utriusque Philosophi dogmata conferamus.

De Chao non tam similia dicunt quam eadem; uterque agnoscit indigestam particularum congeriem multiformium, magnitudinis, ponderisque inæqualis, gravitate sua deorsum tendentium; *sed nullam causam Descensus posuit Epicurus:* quasi Ipse aliquam protulerit; *Motum Declinationis sine causa, quod est in Physicis turpissimum induxit;* nec minus turpe figere in Chao, indigesta particularum congerie temere discurrentium, Centrum aliquod, quo sponte sua bruta et iners Materia feratur. *Membranam Leucippi præteriit,* grande hoc quidem facinus et inexcusabile: nempe simplices Atomos in pingues et macras non divisit, non docuit aqueas pinguesque particulas terrestribus et macris utcunque leviores celerius subsidere; denique non demonstravit corpus solidum et grave pingui liquori insidens aquæ multo leviori innatare posse: hæc sunt quæ in Philosophiam commisit Epicurus, cum Leucippi membranam præteriit. Sed *neque maris, neque montium, neque cavitatum terræ, aut cæterarum quas in ipsius forma conspicimus inæqualitatum causas reddere potuit, aut verisimiles aut tolerabiles.* Nihil unquam magis inique dictum, cum ista omnia Epicuri Hypothesis unice

° Compara Disputationem Velleii Epicurei apud Ciceronem, lib. 1. de Nat. Deorum cum cap. 8. lib. 2. Archæologiæ Philosophicæ.

explicet: conveniunt Atomi læves, rotundæ, lubricæ, angulares, asperæ, hamatæ, graves aliæ, aliæ leviores: graves subsidunt, leviores et lubricæ extruduntur; ex iis mare; quoniam vero aliæ aliis erant magis implicitæ, ideo omnes non æqualiter subsidebant, atque inde cavitates, cavernæ, et immanis iste alveus in quem maris aquæ sponte defluebant. *Antiquo-barbara et vetustissima ignoravit:* at de iis Epicurus olim copiose disseruit; de recentis Mundi temperie cælique clementia, de primorum hominum longævitate, de ortu animalium ex oleaginea materia, et (quod maximum est Theoriæ ornamentum) de situ recto telluris ad solem: hæc breviter, quæ tamen satis demonstrant non solum Epicurum Magistros suos indigne cavillari; aliquando fusius deducam, cum Tecum de Rerum natura disserere licuerit.

Id vero fatale videtur Poëtæ nostro, ut, qui scripserit in incerto Reipublicæ statu, ejus scripta in turbido explicentur: Ille Memmium

Quem Tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus,

Ego omni Virtutum genere parem desidero: *Te* enim Musis dicatum rapuerunt castra, sacrilege dicerem, nisi eos postularet communis salus, qui liberalibus disciplinis instructi artem opponant dolis, fraudesque virtute et constantia eludant. Macte igitur Virtute tua, sed illi ne nimium confidas, ut nihil recusabis ob formidinem, ita nihil appetas ob jactationem, simulque anxius agas, et intentus; non enim solus pugnas,—sed Armis Te pollicitum alia, si non meliora, trado, ea tamen conditione, ut victorias Principis victrici stylo persequaris. Vale.

AD LECTOREM.

De Tito Lucretio Caro quæ scire debes, Lector, hæc sunt: Romæ natus est An. V. C. IↃCLIX nobili gente Lucretia, ea Romani imperii ætate, quæ ingeniorum feracissima vidit *Ciceronem*[a], *Senemque Crassum, Catonem, Sulpitium, moxque Brutum, Calidium, Calvum, Cælium, et proximum Ciceroni Cæsarem, eorumque velut alumnos Corvinum, ac Pollionem Asinium, æmulumque Thucydidis Salustium, auctoresque carminum Varronem, et Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum.* Hoc tempore Græcorum disciplinas tractare cœperunt Romani, Epicuri rationem Lucretius sequitur, illiusque Philosophi doctrinam sex[b] libris, elegantibus quidem et ornatis exposuit. Vix absoluto opere moritur, eo ipso die quo natus est Virgilius, et aliquis Pythagoreus credat Lucretii animam in Maronis corpus transiisse, ibique longo usu et multo studio exercitatam, Poëtam perfectissimum evasisse: an sibi ipsi manus attulerit incertum, interiit Anno Ætatis suæ XLIII, et miserrimam, quam olim ludibrio habuerat, nimis cito expertus est immortalitatem.

Omnium[c] Poetarum Latinorum qui hodie extant, et qui ad nostram ætatem pervenerunt, elegantissimus et purissimus, idemque gravissimus, atque ornatissimus Lucretius est; eum cum Librarii scriptores, nondum inventa arte Typographica, mendis innumerabilibus, maculisque fœdissimis contaminâssent, atque obruissent; ad illa a Librariis illata vulnera accesserunt multo graviora, ab hominibus, doctis quidem illis, sed plus nimio suo ingenio indulgentibus (ut sumus nostri fere plus æquo amantes) imposita atque inflicta, quibus hic, alioqui politissimus atque elegantissimus Scriptor, ita laceratus, confossus, depravatus, corruptus est, ut vix quisquam eum legere, vix attingere, vix adspicere auderet. Ista de primis, Veronensi, Parisiensi, &c. Lucretii editionibus Lambinus:

[a] Velleius Paterculus, lib. 2. [b] Vid. Sextum Lucretii librum, et lib. 2. Trist. Ovidii. [c] Vid. Lambini Epist. ad Lectorem.

Ipse[d] vero multis Codicibus usus, Lucretium omni ex parte maculosum, deformem, atque ulcerosum magna ex parte a maculis et ulceribus vindicavit, et commentariis brevibus, non tamen inutilibus illustravit.

Hunc sequitur Gifanius non æquis passibus; Grammaticum potius dixeris, quam Philosophum; et in illo non diligentiam sed judicium desideres, multos[e] evolvit libros, promisit multa, sed nihil effecit promissor iste tanto hiatu dignum; et si edidisset annotationes[f], proculdubio haberemus quæ magis displicerent: illum excipit Pareus, qui noluit Chartæ perituræ parcere. Nardius[g] sexagenarius interpres de ponte dejiciendus. In Tanaquillo Fabro excellens eruditio, judicium, acumen admirabile. A Gronovio[h] multa expectare potuimus, ab Isaaci Vossii[i] observationibus omnia. De Fayi editione satis dixi, et de hac nostra, Lector, ipse judicabis.

Quod Interpretationem attinet, alieno magis quam meo animo obsequutus sum; hæc enim ratio, quamvis suam utilitatem habeat, difficilis, et non adeo probabilis videtur: de ista dici possunt illa Ciceronis in primo lib. de Oratore.

In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua Carbonem nostrum illum inimicum solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quæ maxime cujusque rei propria, quæque essent ornatissima atque optima, occupasset, aut Ennius, si ad ejus versus me exercerem, aut Gracchus, si ejus orationem mihi forte proposuissem, ita si iisdem verbis uterer, nihil prodesse, si aliis, etiam obesse, cum minus idoneis uti consuescerem.

[d] Lambini Epist. ad Lectorem. [e] Vid. Ep. Gifanii ad Lectorem. [f] Gifanii Epist. ad Lect. [g] Vid. Epist. Nardii ad Baldum Baldium libro Sexto Lucretii præfixam. [h] Vid. Salmasii Epist. [i] Vid. Vossium ad Catullum, p. 249.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBRI SEX.

LIBRI PRIMI

ARGUMENTUM.

In ipso operis principio Venerem invocat, II. *Deinde a v.* 45. *ad v.* 159. *libros suos de* Rerum Natura *dedicat* Memmio: *Epicurum, cujus rationes sequitur, laudat; ab illius doctrina impietatis invidiam amolitur, et hujus et sequentium librorum argumenta breviter proponit.* III. *Tum rem ipsam aggreditur, docetque a v.* 160. *ad v.* 265. ex Nihilo nihil fieri, et in Nihilum nihil reverti posse. IV. *a v.* 265. *ad v.* 329. *minuta esse quædam Corpora, quæ, licet sub sensum non cadunt, mente tamen possunt concipi, et e quibus Res omnes componuntur.* V. *His corpusculis a v.* 330. *ad v.* 430. *subjungit Vacuum seu Inane spatium: et* VI. *a v.* 430. *ad v.* 483. *probat Nihil esse præter Corpus et Inane; reliqua autem quæ videntur esse ut Pondus, Calor, Paupertas, Bellum, &c. esse tantum Conjuncta vel Eventa, Proprietates seu Accidentia Corporis et Inanis.* VII. *Docet a v.* 483. *ad v.* 528. *Prima corpuscula esse perfecte solida, ideoque a v.* 528. *ad v.* 635. *insecabilia esse, minima, (neque enim Corpus in infinitum dividi potest) et æterna.* VIII. *Deinde, a v.* 635. *ad v.* 712. *refutat* Heraclitum, *qui Ignem, aliosque qui Aërem, Aquam, aut Terram Rerum omnium principium esse statuerunt.* IX. *Tum a v.* 712. *ad v.* 829. *contra* Empedoclem *demonstrat Res non componi e quatuor Elementis.* X. *Demum a v.* 829. *ad v.* 919. Anaxagoram *refellit.* XI. *Postremo a* 919. *ad v.* 1050. *docet Universum esse ex omni parte infinitum, Corpuscula esse numero infinita, et Inane nullis terminis comprehendi posse.* XII. *Et a v.* 1050. *ad v.* 1110. *deridet illos qui existimant esse aliquod Centrum in Universo, quo Gravia omnia deorsum tendant, dum Levia sponte sua sursum ferantur.*

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER PRIMUS.

ÆNEADUM genetrix, hominum divûmque voluptas,
Alma Venus, cœli subter labentia signa
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis

INTERPRETATIO.

Benigna Venus, mater Romanorum qui ab Ænæa ducunt genus, deliciæ hominum et deorum; quæ mare navigerum et frugiferas terras volubilibus cœli stellis substratas.

NOTÆ.

Carmen de *Rerum Natura* scripturus Lucretius, Venerem invocat, lepidam sane venustamque Deam, Ænææ, a quo originem ducebant Romani, matrem; amicam insuper Marti (sic fabulæ) et aliquando nimis immodeste facilem: at cujus illecebris tota rerum Natura regitur, et cujus virtute, quicquid animale est, generatur; et quæ sola venustatem et leporem largiri possit. Hanc igitur tanquam aptissimam sibi de *Rerum Natura* scripturo patronam eligit, ab ea petit leporem suis versibus, pacemque Romanis (turbata enim Repub. nec ipse, nec *Memmius*, cui hoc Carmen scribit, studiis philosophicis vacare potuit) quam illa a suo Marte facile impetraret. Et hac invocatione Physici Poetæ, et Epicurei etiam Philosophi (quicquid alii sentiant) partes probe et decore agit; irridet enim dum invocat, et ut raro magis bellam, sic nunquam magis probrosam Veneris et Martis imaginem inveniemus. Nimis autem argute pii videntur isti, qui Poetam *Providentiæ* iniquissimum vi quadam, seu potius lusu Numinis coactum esse volunt opem et auxilium a famosissima Dea implorare. Nec minus otiosi, qui Venerem Hortos curasse observant, ideoque aptissimam fuisse Epicureis, Hortorum incolis, Patronam; aut mysteria nescio quæ sub Venere, Marte, Cœlo, &c. latere sentiunt: istæ nugæ sublimi et fastoso Lucretii ingenio improbe conveniunt; mysteria veterum non minus quam Religionem contempserunt Epicurei: *Cic. de Nat. Deor.* lib. 1. sect. 38. Sed istam sapientiam *Nardio*, ejusque similibus relinquamus. Abeant etiam Grammatici cum sua Venere *Genetrice*, nisi existimare velint Lucretium tam Divinum esse, ut Venerem olim a Julio Cæsare isto titulo consecrandam fore conjectaret. Poeta erat Lucretius, ideoque non neglexit leges suæ artis Epicureus, ideoque patriæ superstitioni subdole obsequitur; qui plura quærit, inveniat, et inventis gaudeat.

1. *Alma*] *Sancta, pulchra*, Festo. Aliis, *læta, fœcunda, grata*: ego *benigna* mallem; vox enim ista exprimit alias omnes virtutes Veneris, quas non minus quam fœcunditatem intuetur Lucretius.

2. *Subter labentia*] Unam esse vocem contendit Barthius; acute: quasi stellas, æque ac mare et terras variis animalibus Venus concelebrasset. Vid. lib. 4. v. 413.

Concelebras; per Te quoniam genus omne animantum
5 Concipitur, visitque exortum lumina solis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli,
Adventumque tuum: tibi suaveis dædala tellus
Summittit flores; tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.
10 Nam simul ac species patefacta 'st verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Favonî;
Aëriæ primum volucres te, Diva, tuumque
Significant initum percussæ corda tua vi:
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,
15 Et rapidos tranant amneis; ita capta lepore,
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis:
Denique per maria, ac monteis, fluviosque rapaceis,

reples et exornas; tua enim virtute omne genus animalium generatur, et natum videt Diei lucem; Te, O Dea, advenientem, et primo vere visentem terras venti et tempestates fugiunt; Tibi varia, et in rebus producendis artifex terra suaves producit flores; latum mare fit tranquillum, et Tibi quasi subridet; pacatumque cœlum splendescit radiis nitidioribus, et latius ubique sparsis. Nam simul ac pulcherrimum Ver sese aperit, et lenis Favonii flatus, qui maxime facit ad generationem rerum, laxatus spirat, aëriæ primum aves tuo numine percitæ, intimisque medullis æstuantes Te, O Dea, advenisse significant: tum ferocientes etiam quadrupedes pinguia pascua ludibundi pererrant, et rapidos amnes trajiciunt; tanta aviditate genus omne animalium tuis deliciis, eaque voluptate quam subministras captum, Tibi obedire gestit, et Te sequi quocunque ducis. Summatim: Tu blandum amorem excitans in pectoribus omnium animalium, quæ in mari, montibus, fluviis rapacibus,

NOTÆ.

4. *Concelebras*] *Commoves*, Nonio. *Colis et frequentas*, Lambino. Sic Ovid. 4. Metam. v. 45. Clarius vero, *reples et exornas varia animantium fœtura. Celebris* autem apud Antiquiores idem quod *frequens*, via bona, *celebrisque*, Cat. de re rustica, l. 1. Locus quæritur *celebris* an desertus? Scriptor ad Herennium, lib. 2. Vid. l. 2. v. 345. et l. 5. v. 1380.

5. *Lumina*] *Lumine*, MSS. frustra.

7. *Adventumque*] *Advenuque*, Na. et B. *Ad ventumque*, Turnebus; curiose nimis: hic enim, *Te adventumque tuum*, ut *Te tuumque initum*, v. 12. et 13.

7. *Dædala*] Dædalum a varietate rerum dictam esse apud Lucretium Terram facile est intelligere, cum Græce δαιδάλλειν significet variare. *Festus.*

8. *Summittit*] *Effert, producit, procreat;* summittere enim est *de sub mittere*, sic apud Virg.

—*Corpora saltu subjiciunt in equos*—

i. e. tollunt in equos. Ita tenella arbor,

—*Sub ingenti matris se subjicit umbra.*

i. e. sese attollit. Item apud Lucr. l. 6. v. 700.

Saxaque subjectare——

i. e. in altum extrudere: Vid. etiam l. 1. v. 194. l. 2. v. 673. l. 6. v. 818. Sic. l. 1. v. 1032. *Summissa gens animantum.* Quo in loco pro ingenio moreque suo turpiter errat Interpres Fayus.

9. *Placatum*] Alii, *pacatum*, minus bene.

10. *Patefacta*] *Calefacta*, B.

11. *Genitabilis*] Aliis, *genitalis*, G. Gif. MSS. Sed non tanti est: hoc semel monuisse operæ pretium fuerit, hujus formæ nomina utriusque significationis esse, activæ dico, et passivæ; ita *placabilis* qui placat, et placatur; *penetrabilis* qui penetrat et penetratur.

13. *Initum*] *Nutum*, B. alii, *initium:* eligat Lector quod magis placet; penes eundem etiam sit, utrum *percussæ*, an *perculsæ* legi debeat.

16. Hunc versum, quem non agnoscit B. neque plurimi alii MSS. et impressi Codices, e vetere Codice inseruit Marullus: et quidni pro genuino reciperemus? Est enim Lucretio dignissimus, et si deleatur iste, turbata subito essent omnia, et obscura.

17. *Quo quamque*] *Quocunque*, B. et alii.

Frundiferasque domos avium, camposque virenteis,
20 Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent.
Quæ quoniam rerum Naturam sola gubernas,
Nec sine te quicquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quicquam;
25 Te sociam studeo scribundis versibus esse,
Quos ego de RERUM NATURA pangere conor
Memmiadæ nostro; quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
Quo magis æternum da dictis, Diva, leporem:
30 Effice ut interea fera mœnera militiaï
Per maria ac terras omneis sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis, quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
35 Rejicit, æterno devinctus volnere amoris;
Atque ita suspiciens tereti cervice repostâ

sylvis vel campis virentibus vivunt, facis ut singula secundum diversas suas species genus suum propagarent, et instaurarent. Quoniam igitur Tu sola es quæ rerum Naturam regis, nec sine Te res ulla nascitur, aut floret, grataque fit et amore digna; obsecro ut Tu mihi opem feras cogitanti scribere Carmina De RERUM NATURA, *amicissimo meo Memmio dedicanda; illi inquam Memmio, quem Tu, Dea, omnibus tuis donis ornatum cunctis hominibus superiorem esse voluisti. Et quoniam tanto viro scribam, ideo ardentius peto maximam æternamque meis versibus venustatem largiri digneris; effice etiam obsecro ut bella omnia per maria et terras sopita quiescerent: Tu enim sola potes placida pace homines beare; Mars enim armipotens bella regit, pro libitu accendit et extinguit; ille autem sæpe blando furore sese rejicit in tuum sinum devictus æterno vulnere amoris, atque supinus jacens reflexa tereti cervice, et suspiciens,*

NOTÆ.

20. *Incutiens*] Observandum in re blanda suavi et jucunda usurpari τὸ incutere: ita et Horatius in Epist.

——*Fornix tibi et uncta popina*
Incutiunt urbis desiderium——

Vid. etiam lib. 1. v. 923.

21. *Sæcla*] Vox Lucretiana; Græci Poetæ φῦλα vocant. Horat. *genus; Piscium genus* Od. 2. l. 1. id autem significat quod vulgus vocat *Species* Animalium.

23. *Dias*] *Aerias, diurnas;* Dium enim dicitur, inquit Festus, quod sub Cœlo est, ex quo, *sub dio* fieri dicimus quod sub Cœlo fit, et non sub tecto: *Dius* etiam idem ac *divinus*. Sic l. 2. v. 172. *Vitæ dux dia voluptas*.

27. *Memmiadæ*] Memmius Gemellus, quo cum Athenas olim profectus erat Lucretius, et quo familiariter utebatur, de illo autem plurima videas, Lector, in dissertatione Gifanii de gente Memmia.

28. *Ornatum*] *Ora latum*, in vet. Gronovii Cod. Conjecit Salmasius *altatum* pro *exaltato* et *excelso*, ut *vivatum* idem dixit Lucretius l. 3. v. 410. 557. 680. at vox *altata*, licet Apollinari Sidonio aliisque sequioris ætatis nota fuit, vix tamen forsan erat Lucretiani ævi.

30. *Effice*] *Et face*, F.

Ibid. *Mœnera militiaï*] Belli seu militiæ munera; sic *mœnire* pro *munire*, *mœtuus* pro *mutuus*, *cœra* pro *cura*, &c.

35. *Rejicit*] *Reficit*, B. et Gif. quasi *recreat*, minus eleganter.

Ibid. *Devinctus*] Metaphora paulo durior; tamen dicebant *præpeditus dolore*, et Καλλιθεὶς ἀνίαις, Callimachus. Et Furius Bibaculus, *Ille gravi subito devinctus vulnere habenas misit*.—Alii, *devictus*.

36. *Suspiciens*] Alii, *suspirans*. Sed placet *suspiciens*. Vox enim ista bellæ huic imagini optime convenit: nullam vero tabulam, uti sentit Faber, respexit Lucretius; quid enim tabula opus, ubi vividum est, quod res optime pingeret, ingenium? Amo etiam verecundiam, et utinam in Fabro inveniri possit, non paulo modestior est Poeta, quam Interpres; nulla enim *vera res* hic agitur, nulla μεγάλα μυστήρια. Illa interpretatio quam apposui non minus fida est, quam modesta: MSS. *suscipiens*.

Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus;
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore sancto
40 Circumfusa super, suaveis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis, Incluta, pacem.
Nam neque nos agere hoc patriaï tempore iniquo
Possumus æquo animo: neque Memmî clara propago
Talibus in rebus communi de'sse saluti.
45 Quod superest, vacuas aureis mihi Memmiada, et te
Semotum a curis adhibe veram ad rationem;
Nec mea dona tibi studio disposta fideli,
Intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
Nam tibi de summa Cœli ratione, Deûmque,
50 Disserere incipiam, et rerum primordia pandam;
Unde omneis Natura creet res, auctet, alatque:
Quove eadem rursum Natura perempta resolvat:
Quæ nos Materiem, et Genitalia Corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, et Semina rerum
55 Appellare suëmus, et hæc eadem usurpare
Corpora Prima, quod ex illis sunt omnia primis.
Omnis enim per se Divûm natura necesse 'st

pascit amore avidos oculos in Te, Dea, inhians; ipsaque Anima totusque resupini sensus quasi affigitur tuo ori, et ab illo pendet. Hunc Tu, O formosissima Dea, corpore tuo sancto recubantem inclinato capite desuper amplectere, blandissima profer verba, et pete placidam pacem Romanis. Neque enim ipse æquo pacatoque animo destinatum opus exequi possum dum Patria bellis agitatur, neque illustris Memmii filius tali rerum statu Reipublicæ salutem negligere, et vacare Musis. Quod reliquum est, vel quod ad Te, O Memmi, attinet, vacuas aures, animumque a curis remotum mihi accommoda tradenti veram certamque Philosophiam, nec contempta relinquas mea dona quæ tibi fideli studio præparavi, priusquam mente tua perceperis, et accurate intellexeris: Carminibus enim meis disputabo de tota natura Cœli et Deorum; Principia rerum demonstrabo, ex quibus Natura res cunctas producit, auget, nutritque; et in quæ Natura resolvit easdem res eum interierint. Quæ quidem dum philosophemur, et naturam rerum explicemus, solemus nominare Materiem, Corpora Rebus genitalia, rerum Semina, *aliquando etiam eadem vocare* prima Corpora, *quoniam ex illis primis (simplicia enim sunt, nec ex aliis composita) res cunctæ componuntur. Quod enim ad Deos spectat, necesse est*

NOTÆ.

41. *Incluta*] *Nobilis, clara*, Festus. Raro apud Latinos Scriptores dii vocantur *Incluti*, aliquando tamen, sic Ennius. l b. 3. Annalium apud Nonium,

Olim de Cœlo lævum dedit inclutu' signum.

45. *Memmiada*] *Memmius*, Gif. frustra. His vero 12. v. Memmio suo, quem attentum sibi et aliis curis vacuum optat, futuræ disputationis argumentum aperit, docetque se disputaturum de Cœli et Deorum natura, et de primis rerum principiis e quibus res omnes fiunt, et in quæ iterum resolvuntur; quod enim ad *Deos* attinet, illi beato otio fruuntur ab omni cura et negotio semoti. Posteriores autem hos sex versus versui 44. subjungit B. non vero agnoscunt quidam vet. Cod. et sane abesse possunt, infra autem loco magis apto legentur. Tamen et hic non abs re locum habeant per *occupationem*, ut vocant Magistri; quasi dicat Lucretius, ex primis corporibus omnia fiunt, nam *Dii* quidem, contra quam sensit Philosophorum vulgus, *Naturam rerum* nec fecere, nec curant.

49. *Ratione*] Alii, *Regione Deûmque:* supplet Nardius, *domicilio*. Utrumque imperite; non enim de Cœli ac Deorum regione, sed natura Poeta disputat.

52. *Eadem—perempta*] Eas ipsas res peremptas; mutavit autem orationem, ut alibi, cum enim *genus humanum* scripsisset, mox addit *eos*. Hoc etiam Lucretio familiare. Alii, *eadem perempta*, nempe *Naturu*, supple *seipsam*, resolvat: imperite.

Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;
60. Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub Relligione,
65 Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans;
Primum GRAÏUS homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti
70 Murmure compressit Cœlum, sed eo magis acrem
Virtutem irritât animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra

at omnes Dii, eo quod Dii sint, æternam agant vitam maximo in otio, ut nullam nostri curam habeant, ut sint expertes doloris, a periculis etiam tuti; propriis suis dotibus ad fœlicitatem satis instructi, ut hominum cultu non indigeant, nec delectentur pietate eorum, aut impiis irascantur. Cum humana vita miserabilem indignumque in modum jaceret in terris, oppressa sub gravi Religione, quæ e Cœlis caput suum proferens, et desuper instans mortalibus horrenda specie terrebat homines; primus omnium Epicurus *mortales oculos contra illam tendere ausus est, primusque illius Tyrannidi resistere: quem* Epicurum *nec de Diis fabulæ, nec fulmina, nec Cœlum resonans minaci murmure repressit; sed hæc terriculamenta animosam illius mentem magis incendebant, et fecerunt, ut primus ille cuperet perrumpere portas, validaque Naturæ munimenta: acris ideo illius animi virtus perrupit,*

NOTÆ.

63. *Humana, &c.*] Qui Ingenium cum Cicerone in Lucretio desiderant, hanc imaginem contemplentur, et si pulchriorem monstrare possint id mihi facient quod est gratissimum. Ut misere enim sordideque jacent humiles isti *Religione* oppressi homines, et quam horrendo ore *Dominus ille metus* desuper minatur! Credes visum præsentem Dæmonem flagella intentare. His positis, *Epicuri* (Athieniensis et Neoclis filii) laudes aggreditur, qui primus his omnibus terroribus se intrepidum opposuit, et acri vi mentis extra hujus Mundi limites in *Omne* infinitum delatus, totius Naturæ potestatem penitus perspexit, docuitque homines res fieri sine cura et opera *Deorum*, ideoque omnem religionem funditus sustulit, ut docet Cicero, lib. 1. de Nat. Deor. *Quid est enim cur ab hominibus colendos dicas, cum Dii non modo homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant?* Otio autem suo abutuntur, ut Gassendus, Faber, aliique, qui Epicuri librum περὶ ἀσεβείας, ejus Sectæ pietatem erga Deos, et Religionem pro *superstitione* tantum, metuque Deorum inani a Lucretio hoc loco positam esse crepant; quasi Poeta non omnem de *Providentia* opinionem sustulit, aut ille esset superstitiosus qui Deum aliquid agere, aut humana curare existimaret.

67. *Tollere*] *Tendere*, Nonius; et hanc lectionem sequitur Lambinus: *tendere oculos* autem dixit pro *contendere:* est autem longe plus oculos contendere quam tollere; illud enim significat contenta acie aliquid intueri, sic infra eodem libro, *Nulla potest oculorum acies contenta tueri*, l. 4. v. 801. *nisi se contendit acute:* at *tollere* omnes et impressi et MSS. Codd. probant.

71. *Irritât*] Pro *irritavit*, sic *educât* apud Terentium, *fumât* apud Virgilium, *mandt* apud Ennium: *disturbât* apud Lucretium, lib. 6. v. 586. Similiter *enarrâmus* et *festinâmus* apud Plautum. Istiusmodi vero voces quæ syncopen patiuntur ultimam habent circumflexam, ut notat Priscianus, ideoque longam.

72. *Cupiret*] Pro *cuperet*. Notant Nonius et Priscianus, quarta enim et tertia olim a se invicem non ita sejunctæ erant et secretæ, quin utrique essent multa communia: sic *parire* pro *parere* apud Ennium.

Processit longe flammantia mœnia Mundi;
75 Atque Omne immensum peragravit mente animoque:
Unde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quare Relligio pedibus subjecta vicissim
80 Obteritur, nos exæquat victoria Cælo.
Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Endogredi sceleris: Quod contra, sæpius olim
Relligio peperit scelerosa atque impia facta:
85 Aulide quo pacto Triviaï virginis aram
Iphianassaï turpârunt sanguine fœde
Ductores Danaûm, delecti, prima virorum.
Cui simul infula virgineos circumdata comptus
Ex utraque pari malarum parte profusa 'st,
90 Et mœstum simul ante aras adstare parentem

et provecta est longe ultra flammantes Cœli ambitus; idemque ille Epicurus Omne, *τὸ πᾶν, infinitum mente sua perlustravit, et ibi natura rerum penitus perspecta, votique sui compos, nos docet quid fieri possit, quid non possit; et unde fit quod, quodcunque est, finitam habeat potestatem, limitemque potentiæ in ipsa ejus rei natura positum; et hinc est quod jam Religio (ut nos olim illi) nostris pedibus subjecta conculcatur, et victoria illius* Epicuri *ingenio parta nos adæquat Cœlo. Sed me reprimo; vereor enim, ne forte credas me Tibi proponere impiam Philosophiam, viamque monstrare ad scelera ducentem; at e contra observes, quod Religio sæpe olim pessima peperit facinora, quale illud erat, cum Aulide duces Danaûm, principes viri, impie contaminarunt Dianæ aram Iphigeniæ cruore: quæ Iphigenia, simul ac infula cingens virgineas comas ad utramque genam pependit, et simul ac sensit mœstum patrem ad aras stare,*

NOTÆ.

75. *Omne*] *τὸ πᾶν. Omnia* maluit dicere Cicero, lib. de Univ. Verum ipse etiam hanc vocem aliquando usurpavit, lib. 2. de Divinat. Epicurus *τῶν ὅλων φύσιν* et apud Plutarchum *τῶν ὄντων φύσιν* dixit. Idemque valent apud Lucretium, *Natura rerum. Summa rerum. Summa omnis. Summa tota. Summæ totius summa*, &c. Hoc *Omne* apud Epicureos est infinitum et sempiternum, incrementi simul et decrementi incapax, dum *Mundus*, finitus sit, aliquando natus, et interitui obnoxius.

78. *Atque*] *Utque*, Gif. et C.

Ibid. *Hærens*] *Hæreat*, D. P. C. N.

Ibid. *Quanam*] *Quantum*, B.

80. *Obteritur*] Al. *exteritur*.

Ibid. *Victoria*] Epicuri viz. qui, ut verbis Manilii lib. 1. v. 97. utar,

——*Cepit profundam*
Naturam rerum Causis, viditque quod usquam est.
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore, &c.
——*Solvitque Animis miracula rerum;*
Eripuitque Jovi Fulmen, viresque Tonandi.

81. *Illud*] His 22. v. huic tam impiæ doctrinæ, quæ *Providentiam* negat, aversum fore Memmium suspicatur, ideoque illius animum confirmat monendo, Religionem istam quæ Providentiam confitetur sæpe olim maxima scelera suasisse; quod probat exemplo *Iphigeniæ* Aulide, Bœotiæ ad Euripum portu, a patre suo Agamemnone ad aras Dianæ Triviæ ex jussu Oraculi mactatæ,

Exitus ut classi fœlix faustusque daretur.

83. *Endogredi*] *Ingredi*. Quis autem nescit *endo*, *ἔνδον*, *in*, *intus*, esse præpositionem antiquis notam?

83. *Quod contra*] Cicero in Oratione pro Quinto. *Reliquum est ut eum nemo judicio defenderit, quod contra, copiosissime eum defensum ostendi.—Quod contra sæpius*, &c. Gif. absurde.

Ibid. *Olim*] *Illa*, B.

87. *Prima virorum*] Dion. Πρῶτα τῆς βουλῆς ὤν. Τὰ πρῶτα Ἀθηναίων ἴσμεν, Lucianus, et alii. Ovid. Amor. l. 1. Eleg. 9.

Summa Ducum Atrides.

88. *Infula*] Velamentum e lana intra Hostiarum cornua. *Varro*. Fascia in modum Diadematis, a qua ex utraque parte vittæ dependent. *Servius ad* 10 *Æneid.*

Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros;
Aspectuque suo lacrymas effundere civeis:
Muta metu terram genibus summissa petebat;
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
95 Quod Patrio princeps donârat nomine Regem.
Nam sublata virûm manibus tremebundaque ad aras
Deducta 'st, non ut, solenni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari Hymenæo:
Sed casta inceste nubendi tempore in ipso
100 Hostia concideret mactatu mœsta parentis,
Exitus ut classi felix, faustusque daretur.
Tantum Relligio potuit suadere malorum.
Tutemet a nobis jam quovis tempore Vatum
Terriloquis victus dictis desciscere quæres?
105 Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint,
Fortunasque tuas omneis turbare timore?
Et merito: nam si certam finem esse viderent

et juxta illum cultros Popas expedire, civesque spectatores duro suo fato illachrymare, muta metu in terram decidit supplex: at vero ad salutem infœlici illi Virgini tum minime profuit quod prima Regem Patris nomine donaverat, nam a terra virorum manibus levatur, et ad aras tota tremens rapitur, non ut sacris solennibus rite peractis splendida nuptiarum pompa domum deduceretur: sed ut casta virgo eo ipso tempore quo in matrimonio collocari debuit jam matura viro, infœlix patris sui manu inceste, vel impie, tanquam victima occideretur, ut Græcorum classi Trojam petenti faciles prosperique venti immitterentur. Tantum facinus Religio suadere potuit. Vereor etiam, O Memmi, ne Tu, qui per omnem ætatem tuam fidem adhibuisti poetarum fabulis nostras opiniones averseris. Haud sapienter quidem, ipse enim multas possum fingere fabulas quæ timorem incuterent, omnesque vitæ tuæ rationes perverterent; nec injuria (ut verum fatear:) si enim Hominibus persuasum fuisset certum

NOTÆ.

91. *Celare*] *Celebrare*, Gif. Alii, *celerare*, i. e. expedire: quæ lectio probanda est; haud timeret enim Iphigenia quod ministros ferrum *celare* sensisset.

93. *Muta metu*] Avancius legendum putat *Volta metu*, &c. ut sic hæc hujus loci sententia, Iphigenia Volta (i. e. vultus, voce enim ista utitur Lucretius, l. 4.) summissa, i. e. vultu submisso propter metum. Sed quid indigeamus ingenio, cum altera lectio proba sit, et a Codicibus confirmata?

95. *Princeps*] Prima. Sic. lib. 5. v. 9. Erat enim πρωτότοκος inter Agamemnonis liberos. Sic ipsa apud Euripidem,

Πρώτη σ' ἐκάλεσα πατρίδα ἐν εὐπαῖδ' ἐμί.

Iphigenia in Aulide, v. 1220.

96. *Sublata, &c.*] E ritu nuptiarum forsan, etsi non affirmem, quem tradit his verbis Festus Pompeius, *Rapi simulatur Virgo e gremio Matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur*, viz. *ea res feliciter Romulo cessit.*

100. *Mactatu*] Sic Euripides Iphigen. in Aulide, v. 1177.

Ἀπώλεσέν σ' ὦ τέκνον ἡ φυτεύσας πατὴρ
Αὐτὸς κτανών, οὐκ ἄλλος, οὐδ' ἄλλη χερί.

103. *Tutemet*] Iterum dubitat Lucretius ne Memmius cedens Poetarum fabulis de *Cerbero*, *Acherunte*, et pœnis post mortem quibus jam diu assueverat, opiniones suas aversetur. Harum ideo vim elevat, suggerendo istas fabulas mera forsan esse otiosorum Poetarum figmenta, ipse enim potuit fabulas fingere quæ essent æque ac illæ terribiles.

104. *Desciscere*] *Desistere*, G. et alii.

105. *Quippe etenim*] *Nempe, scilicet;* scommatice.

Ibid. *Jam fingere*] *Me fingere*, ex vet. lib. Gifanius. Hinc alii conjiciunt legendum, *ex me fingere;* alii, *confingere.*

Ibid. *Possum*] Alii, inter quos Faber, *possunt*, i. e. Vates.

108. *Nam*] *Jam.* His 20. v. seipsum quasi corrigit, et aliquam esse in iis fabulis vim fatetur; dum enim de *Anima* diversi Philosophi diversa pronunciant; alii nasci et interire cum Corpore, alii vero prius

Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
110 Relligionibus, atque minis obsistere Vatum:
Nunc ratio nulla 'st restandi, nulla facultas,
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim quæ sit natura animaï,
Nata sit, an, contra, nascentibus insinuetur,
115 Et simul intereat nobiscum morte dirempta,
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas,
An pecudes alias divinitus insinuet se;
ENNIUS ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
120 Per genteis Italas hominum quæ clara clueret:
Etsi præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus, edens:
Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra;
Sed quædam simulacra modis pallentia miris:
125 Unde sibi exortam semper-florentis Homeri

fore in morte miseriarum finem, tum aliquo modo Religionibus obstare possint, et poetarum sacerdotumque minas contemnere; nunc autem nulla ratione obstare possunt, imo necesse est ut cedant, quoniam timent æternas pœnas post mortem futuras. Nescitur enim, quænam sit natura Animæ, an sit nata cum corpore, vel prius existens nascenti corpori infundatur; an moriente homine una etiam Anima pareat morte separata a Corpore: an adeat tenebrosas et immensas Inferorum cavernas, an divina aliqua potentia in brutas animantes migret, ut noster Ennius cecinit, qui primus ex amœno Helicone decerpsit Coronam nunquam marcescentem, quæ inter omnes Italos maximæ est famæ, et nobilis habetur: etsi idem Ennius aliis in locis docet Carminibus nunquam morituris quædam esse apud Inferos vasta et spatiosa loca, ad quæ neque Animæ, neque Corpora nostra perveniunt, sed tenues quædam imagines mirum in modum pallidæ, e quibus locis surgentem Homeri

NOTÆ.

subsistentem in Corpora nascentia infundi, et a Corpore per mortem separatam Inferos subire, vel in pecudum Corpora migrare, (quæ fuit *Ennii Pythagorici* sententia, quam fuse exponit, obiter etiam convellit et deridet, tanquam sibi ipsi contrariam;) profecto temere agerent qui *Providentiam* contemnerent, dum istos contemptores æternæ maneant post mortem pœnæ. Hæc est hujus loci sententia quem præruptum alii, et obscurum queruntur.

112. *Timendum*] Istud *timendum pœnas* e veteri et bono Latio est, nec aliter temere loquitur Lucretius, v. 139. *multa agendum:* V. 382. *privandum est Corpora motu, &c.* Ipse etiam Virgilius—*Pacem a Rege petendum.*

115. *Dirempta*] *Separata* viz. a corpore et *dissipata*, nisi potius legatur *peremptа.*

117. *Pecudes alias insinuet*] Ut *adigere arbitrum, adigere juajurandum, propugnare nugis:* et Lucretius, lib. 2. v. 124. *Hæc animum te advertere par est.*

118. *Primus*] Primus enim Latinorum Ennius Epicum et Heroicum Poema ad exemplum Homeri scripsit.

120. *Per gentes Italas hominum*] Gentes Italorum hominum: quidam libri *omnium;* itaque esset *Clara corona omnium*, i. e. inter omnes: sic Διὰς βασιλίων apud Callimachum; *Pulchra dearum*, apud Ennium.

120. *Clueret*] *Clueo, cluo*, sum, videor, celebror, hac voce passim utitur Lucretius; dicebant etiam veteres *Cluveo*, ut Ennius,

Nam Latii populi res atque poemata nostra Cluvebunt——.

121. *Etsi præterea*] *Etsi prætereat*, V. quæ verba si admittas, alium prorsus efficies sensum: non opus est isto acumine.

123. *Permanent*] *Permaneant*, MS.

125. *Homeri*] Hoc Ennii somnium Cicero in Lucullo memorat,—*Visus Homerus adesse Poeta.* Et in Somnio Scipionis; *Fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissime vigilans solebat cogitare, et loqui.*

Commemorat speciem, lacrumas et fundere salsas
Cœpisse, et rerum naturam expandere dictis.
Quapropter bene, cum, Superis de rebus habenda
Nobis est ratio, Solis Lunæque meatus
130 Qua fiant ratione; et qua vi quæque genantur
In terris: tum, cum primis, ratione sagaci
Unde Anima atque Animi constet natura, videndum;
Et quæ res nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificet, morbo affectis, somnoque sepultis,
135 Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit, GRAÏORUM obscura reperta
Difficile inlustrare LATINIS versibus esse,
(Multa novis verbis præsertim cum sit agendum)
140 Propter egestatem linguæ, et rerum novitatem:
Sed tua me Virtus tamen, et sperata voluptas
Suavis Amicitiæ, quemvis perferre laborem

in æternum celebrandi imaginem sibi apparuisse narrat, lachrymas effudisse, rerumque naturam verbis exposuisse. Accurate igitur non tantum disputandum de Deorum Cœlique ratione, non tantum explicandi sunt Lunæ Solisque cursus, et docendum qua vi gignantur ea quæ in Terris nata sunt; verum etiam intentiori mente et industria inquirendum, e quibus principiis Anima Animusque componatur; et quænam sit illa res quæ in nos aliquando vigilantes, aliquando morbo laborantes vel dormientes incursans, ita terret afficitque mentes nostras, ut putemus nos eos videre et audire præsentes, quorum post obitum (jamjam mortuorum) terra tegit ossa. Nec me latet haud facile opus esse Græcorum obscura inventa Latino Carmine reddere perspicua, et captu facilia, (præsertim cum multis novis vocibus utendum est) quia non est copia Latini sermonis, et res ipsæ sunt Romanis auribus antehac inauditæ: at eximiæ tuæ dotes, eaque voluptas, quam ex jucunda tua Amicitia me percepturum spero, suadent me laborem

NOTÆ.

126. *Et fundere*] Alii, *effundere*.

Ibid. *Salsas*] Alii, *falsas*; imperite. Quis enim nescit *lac album, humida vina, &c.* Poetis esse familiaria?

127. *Expandere*] Al. *expromere*; al. *exponere*; non tanti est.

128. *Quapropter*] Ut omnes igitur Memmii timores discutiat, his v. 9. docet se disputaturum non tantum de Cœli Deùmque ratione, et de generatione rerum, quæ omnia olim promiserat; sed explicaturum etiam *quænam* sit *Animæ* natura, et *quænam* sint illæ res, quæ aliquando vigilantes aliquando dormientes ita afficiunt, ut præsentes videre nos et audire olim mortuos putemus, et inde conjectemus animas existere a corpore separatas. *Quam ob rem*, Gassendus.

130. *Genantur*] *Gignuntur*, qua voce passim utitur Lucretius: alii, *gerantur*, male.

136. *Morte obita*] Cicero pro Sextio. *Nec vero illorum quisquam quos a majoribus nostris morte obita positos in illo loco, atque in rostris collocatos.* Virgilius,

Morte obita quales fama est volitare figuras.

Ibid. *Obita*] *Sumpta, suscepta*, et *completa*, ut *obire munus* dicitur. *Servius.*

137. *Nec me*] Proposito futuri operis argumento, his 20. v. difficultatem expendit Poeta, monetque ea, de quibus *Græci*, Epicurus viz. ejusque Sectatores, disputaverant, Latino Carmine scribere opus esse arduum et difficile, cum propter egestatem linguæ Latinæ, tum propter novitatem rerum; quemvis vero laborem ferre se paratum esse profitetur, Memmii sui gratia, amicissimi ornatissimique Viri, quem instituendum susceperat.

137. *Animi*] Supple *ratio*; at B. Gif. aliique legunt *Animus*.

141. *Sperata voluptas*] *Spectata voluntas*, B. Alii, *spectata voluptas*. Ex Decreto *Epicuri*, et ad illius exemplum, ita enim ille ad Pythoclem suum, ἡμεῖς δὲ ἡδέως τί σε τὴν δίψαν ἀπιδεξάμεθα, ᾗ ἱλαρίσιν ἡδέσιν συνεσχέθημεν, &c.

142. *Perferre*] *Efferre*, B. Gif. alii. *Sufferre*, F.

Suadet, et inducit nocteis vigilare serenas,
Quærentem dictis quibus, et quo carmine demum
145 Clara tuæ possim præpandere lumina menti,
Res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse 'st
Non radii Solis, neque lucida tela Diei
Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque:
150 Principium hinc cujus nobis exordia sumet;
NULLAM REM E NIHILO GIGNI DIVINITUS UNQUAM.
Quippe ita formido Mortaleis continet omneis,
Quod multa in Terris fieri, Cœloque tuentur,
Quorum operum causas nulla ratione videre,
155 Possunt, ac fieri divino Numine rentur.
Quas ob res, ubi viderimus, nil posse creari
De nihilo, tum, quod sequimur, jam rectius inde
Perspiciemus, et unde queat res quæque creari,
Et quo quæque modo fiant opera sine Divûm.
160 Nam si de Nihilo fierent, ex omnibu' rebus

ferre utcunque improbum, et totas etiam noctes insomnes agere, quærentem quibus vocibus, et quo versu tuæ menti tam lucidam facem præferre possim, ut illa adjutus res maxima caligine involutas intueri valeas et perspicere. Hos igitur terrores tenebrasque quæ mentem obsident, non radii Solis aut Diei splendor dissipabit, sed contemplatio vel cognitio Naturæ, et vera Philosophia, cujus hoc primum ponatur et immobile principium, Nihil unquam vel a Diis ipsis fit ex Nihilo. *Ideo enim metus Deorum omnium mentes occupat, quod multa videant in Terris et in Cœlo fieri, quorum Causas effectrices nullo modo possunt deprehendere, et a Diis fieri existimant: quamobrem simul ac certi sumus Nihil oriri posse e Nihilo, facile attingemus illud quod quærimus, et deprehendemus quo modo, quaque vi, et ex quibus principiis res quæque producitur sine Deorum ope. Si enim e Nihilo res producerentur,*

NOTÆ.

143. *Serenas*] *Claras, pacatas.* Quidni *severas?* Vox enim ista laborem Poetæ fortius et felicius exprimit. V. l. 4. v. 462. *Æstivas*, Muretus. Quibus alii somno indulgebant.

147. *Hunc igitur*] Jam tandem opus aggreditur. v. 13. et ut omnem de *Providentia* opinionem subverteret, probare conatur res primo factas fuisse sine Deorum auxilio, ideoque non ab iis regi aut administrari: ut autem felicius procedat, primum hoc statuit principium; *Nihil de nihilo fit.* Quod fusius olim demonstraturus est; observaverat enim opinionem de *Providentia* exinde natam esse, quod homines multa in Terris Cœloque fieri viderint, quorum causas cum invenire non potuerint, ea a Diis *e Nihilo* fieri crediderunt. Si igitur Nihil de Nihilo fieri demonstratum fuerit, actum esset de *Providentia*: at vero facile agnoscet Lector, Lucretium tanto conamine id solum probasse quod nemo negat; *Nihil* viz. intra Naturæ ambitum de *Nihilo* produci. Nec est quod ulla contra *Dei* potentiam timeamus argumenta, cum acutissimum Lucretii ingenium tam infirmis utitur, si enim

——*Pergama dextra*
Defendi possint, certe hæc defensa fuissent.

148. *Tela diei*] Radii Solis, qui telorum instar jacti et diffusi per universum orbem inferunt lucem: notat autem per *Tela diei* exteriorem rerum cognitionem, sicut per *Naturæ speciem* significat internam rerum cognitionem per causas. *Fayus.* Pueriliter, ut et omnia.

152. *Ita*] *Ut*, B.

158. *Et*] *Ut*, Gif.

160. *Nam si, &c.*] Primum hoc argumentum quo probare conatur *Nihil de nihilo fieri* breviter Epicurus in Epist. ad Herodotum, οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἄν, σπερμάτων δ' οὐδὲν προσδεόμενον. Fusius Poeta. Si Res de Nihilo producerentur, tum quodlibet ex quolibet oriretur, semine non opus esset; sed e terra homines, e cœlo pisces pecudesque exilirent, &c. Cum autem quodlibet non oritur e quolibet, certisque seminibus

Omne genus nasci posset; nil Semine egeret:
E mare primum homines, e terra posset oriri
Squamnigerum genus, et volucres; erumpere cælo
Armenta, atque aliæ pecudes, genus omne ferarum
165 Incerto partu culta, ac deserta teneret:
Nec fructus iidem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.
Quippe, ubi non essent genitalia Corpora quoique,
Quî posset mater rebus consistere certa?
170 At nunc Seminibus quia certis quidque creatur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi inest cujusque et Corpora prima:
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certis in rebus inest secreta facultas.
175 Præterea, cur Vere rosam, frumenta Calore,
Viteis Autumno fundi sudante videmus:
Si non, certa suo quia tempore Semina rerum
Cum confluxerunt, patefit quodcunque creatur,
Dum tempestates adsunt, et vivida tellus

tum sequitur, quod quælibet res possit oriri ex qualibet, et nulla res indigeret proprio semine. Exempli gratia, homines ex undis, pisces avesque e terra oriri possint; boves, oves, pecora, pecudesque a cœlo exilirent, et omne ferarum genus nullis locis adstrictum, æque in cultis agris, ac in desertis regionibus nasceretur: nec iidem fructus ab iisdem arboribus producerentur, sed diversi et varii, imo quælibet arbor ferret quodlibet fructuum genus: cum enim singulis rebus non sint certa propriaque semina, quomodo potest esse certa rebus producendis effectrix causa? Quia vero res cunctæ oriuntur e certis propriisque seminibus, ex ea tantum re, et in eo tantum loco nascitur res quælibet, in qua, et in quo, sunt Materies et Corpora prima (principia) illius rei; et hanc ob causam res quælibet non potest oriri ex re qualibet, quia singulis in rebus inest peculiaris aliqua propriaque vis ad hoc et non ad aliud producendum apta. Præterea, cur rosas Vere, Æstate fruges, uvas autem Autumno, qui sudores elicit, maturescere videmus, nisi quod, cum propria rerum semina idonea tempestate coierint, appareat quodcunque gignitur, dum adsint opportuna Anni tempora, et vegeta parens terra

NOTÆ.

opus sit, recte concludit *Nihil de Nihilo* produci.

168. *Corpora quoique*] *Semina quoique*, Gass.

170. *Quidque creatur*] *Quæque creantur*, B. C. Na. &c.

171. *Enascitur*] *Nascitur*, MS. quæ vox forsan illis grata erit, qui in Veterum Versibus hiatus quærunt, et amant.

174. *Certis*] Libentius hoc loco legerim *cunctis* quam *certis*, quo versus superiores inducunt, et ille præter cæteros,

Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni.

Id quamobrem, Lector? *Quod cunctis*, &c. Innuit enim facultatem distinctam et specificam in una quavis re esse; unde e caulibus juglans, ex Homine Leo, &c. non enascatur. *Faber.*

175. *Præterea cur*, &c.] Modo ex ipsa rerum origine, jam vero probat ex statis temporum effectibus *Nihil e Nihilo fieri* v. 10. Cur enim *Vere* tantum rosæ, *Æstate* fruges, *Autumno* uvæ, et non *Hyeme*, aliisque etiam Anni partibus producerentur, si ad illorum originem *materia* nihil conferat, cum non major sit in una tempestate quam in alia dispositio, ut ex *Nihilo* quicquam procreetur?

176. *Viteis.*] *Uvas*, Cod. Florentinus.

Ibid. *Sudante*] *Suadente*, G. Lambinus, et alii ex MSS. i. e. impellente vel sollicitante: hæc etiam vox Fabro placet. Salmasius legit *Sua dante*. Ver *sua dat* cum det rosas, Calor frumenta, Autumnus uvas. Sed quidni *Sudante* retinerem? *Humido* viz. et *udo*, vel *sudores eliciente*, non enim dura est nec incommoda translatio.

180 Tuto res teneras effert in luminis oras ?
Quod si de Nihilo fierent, subito exorerentur
Incerto spatio, atque alienis partibus anni :
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio possent arceri tempore iniquo.
185 Nec porro Augendis rebus Spatio foret usus
Seminis ad coitum, e Nihilo si crescere possent.
Nam fierent juvenes subito ex infantibu' parvis ;
E terraque exorta repente arbusta salirent.
Quorum nil fieri manifestum 'st, omnia quando
190 Paullatim crescunt (ut par est) Semine certo,
Crescendoque genus servant : ut noscere possis
Quæque sua de Materia grandescere, alique.
Huc accedit uti sine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fœtus summittere tellus ;
195 Nec porro secreta cibo natura animantum

tuto proferat in lucem res novas et infirmas? At vero si de Nihilo fierent res, inexpectato nascerentur, quolibet etiam (modo hoc, modo illo) tempore, Annique partibus vel maxime inidoneis ; tum enim nulla essent semina quæ impediri possint quo minus conveniant ad rem producendam tempestate minus convenienti. Nec porro opus esset spatio aliquo temporis in quo convenienti materia coeunte res natæ grandiores fierent, si e Nihilo augeri possint, namque v. g. Juvenes momento temporis fierent e parvis infantibus, grandesque arbores e Terra subito erumperent ; at vero nil tale fieri palam est, quoniam res cunctæ paulatim augentur ex certa propriaque materia, ut ipsa postulat natura rerum : et dum augentur, suas species conservant, et inde aliquis certus esse possit res omnes de certis propriisque principiis nutriri, et grandiores fieri. Adde quod nisi imbres tempestivi cadant, Terra non potest producere lætificos suos fructus, nec animalia alimento privata

NOTÆ.

180. *Oras*] *Auras* mavult Faber, sic infra *Aeris in teneras Auras*. sic Græci μαλακὰς αὔρας· ubi vero *Luminis auras* inveniet ? ideoque non solicitanda lectio.

184. *Concilio genitali*] *Concilium genitale*, congressus Corporum primorum ad gignendum valens. *Concilium* a cogendo, unde apud Fullonem vestimentum dum *cogitur conciliari* dicitur : Varro, lib. 5. *Concilium nominis* apud Tertullian. de pallio, est compositio nominis e duabus vocibus, et vetus Scholiastes in primam Sat. Juvenalis v. 116. inquit, Ciconia quæ contra templum Concordiæ ex *concilio* (ita enim leg. non consilio) rostri sonitum facit.

185. *Nec porro &c.*] Tertium proponit argumentum v. 8. ex Naturali rerum incremento ductum, si enim e *Nihilo* res fierent, quidni etiam *e Nihilo* augerentur ? Ideoque tempore non opus esset ut ad summum ætatis florem, justamque magnitudinem pervenirent, uno saltem momento punctoque temporis tenellus *Infans* robustus *Juvenis* evaderet, &c. ideo enim tarde et paulatim *Res* crescunt, quia ex *certa* Materia *certisque* Principiis augentur, quæ momento temporis nec congregari, nec disponi, nec conjungi possunt. Porro autem cum ex *certo* semine res augeantur, e *certo* etiam semine nascantur necesse est.

185. *Spatio usus*] i. e. *Spatio opus*, sic l. 1. v. 220.

Nulla vi foret usus enim —
Virgilius 8. Æneid.
—— *nunc viribus usus.*

186. *E Nihilo si*] *Si e nilo*, M. V.

191. *Crescendoque*] *Crescentesque*, V. viz. Res : nec insolens Lectio, etsi *Omnia* præcedat.

193. *Huc accedit*] Quartum proponit v. 7. argumentum ex alimenti necessitate deductum, idque etiam non minus firmum et validum, quam cætera ; cum enim nisi cadant imbres nihil e Terra surgat, cum animalia alimento privata nec propagare genus suum possunt, nec vivere, quis tam ineptus est qui credat Animalia vel fruges e *Nihilo* produci, cum videat Materiam et producendis et alendis rebus omnibus esse necessariam ? Imo potius concludendum est, semina esse quædam e quibus res, ut voces e literis, componantur.

Propagare genus possit, vitamque tueri:
Ut potius multis communia Corpora rebus
Multa putes esse, ut verbis Elementa videmus,
Quam sine Principiis ullam rem existere posse.
200 Denique cur Homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
Transire, et magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitalia vincere sæcla:
Si non Materies quia rebus reddita certa 'st
205 Gignundis, e qua constat quid possit oriri?
NIL igitur fieri de NILO posse fatendum 'st:
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aëris in teneras possint proferrier auras.
Postremo quoniam Incultis præstare videmus
210 Culta loca, et manibus meliores reddere fœtus;
Esse videlicet in terris Primordia rerum,
Quæ nos, fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïque solum subigentes, cimus ad ortus.

genus suum propagare possunt, nec vivere; et hinc rectius colligas multa esse principia communia multis rebus, ut vocibus literas videmus, quam aliquid sine certo semine oriri et augeri posse. Denique cur Natura non potest producere Homines tam immensæ proceritatis ut altum mare tanquam vadosam paludem pedibus transire; et tantarum virium, ut manibus suis ingentes montes eradicare; tantæque longævitatis, ut multa temporis spatia, quibus hominum vitæ nunc terminantur, vivendo superare valeant, nisi quod certa principia rebus quibuscunque producendis assignata sint, e quibus fit quicquid nasci potest? Concedendum igitur est Nihil de Nihilo fieri, cum certis principiis opus sit e quibus res quæque nata producatur. Denique quoniam constat Agros qui ab agricolis coluntur fertiliores esse iis qui non coluntur, et fruges etiam meliores agricolis colentibus reddere, concludere licet, in terris quædam latere rerum principia, quæ nos vertantes aratro fertiles glebas, solumque subigentes, excitamus ad exerendam suam vim rebus producendis aptam:

NOTÆ.

200. *Denique cur, &c.*] Rursus v. 9. arguit e Rerum naturalium definita magnitudine et duratione. Si enim e Nihilo Homines v. g. producerentur, unde constanter tam pusilli et imbelles? Unde brevis vita, cæteraque humani generis et incommoda, et vitia? Jam vero e certis seminibus certaque materia nasci Homines admittas, et hæc omnia necessaria plane erunt, et explicatu facilia.

201. *Pontum per vada*] Salmasius legit *Pontu*, i. e. πόντου, ut idem Lucretius *Pelage*, i. e. πελάγη dixit lib. 5. v. 36. et l. 6. v. 619. at rectius Faber, noli hunc locum ita interpretari quasi dixisset *per Ponti vada*. Quod enim Salmasius hunc versum depravatum judicavit, non ideo facilius crediderim.

203. *Vincere*] *Vivere*, Fayus, vox nihili.

209. *Postremo, &c.*] Observaverat Poeta Fruges, Arbores, Floresque, &c. humana industria meliores et lætiores fieri, indeque v. his 7. arguit hæc omnia e latentibus quibusdam seminibus oriri. Quid enim prodesset labor si e Nihilo producerentur? Vanus profecto esset, irritusque, et nihil ille ageret, qui *Nihil* coleret: imo nihil impedit quin fruges e Nihilo productas sponte sua quotannis meliores et lætiores nasci videremus.

210. *Reddere*] *Reddier*, Gif. et Pa. ex conjectura. *Reddi*, Lambinus. Docetque *Legendum ita esse libris omnibus reclamantibus. Reddere* autem quod est in omnibus libris ferri non posse. Dum vero innocenti immeritæque voci irascatur, veterem, quam omnes libri assignant, sedem possideat *Reddere*. Aliqui libri *dicier*; Pareus.

211. *Esse videlicet*] Sic sæpe Ennius, Plaut. et Tert. et Salust. *Scilicet futurum, videlicet in Terra reperiri, &c.* neque enim quod aliquando putavit Lambinus repeti debet ἀπὸ κοινοῦ *fatendum est*. Vid. lib. 2. v. 468.

213. *Terraïque solum*] *Terram*. Festus Pompeius *solum* Terram. Ennius, lib. 3,

Quod si nulla forent, nostro sine quæque labore
Sponte sua multo fieri meliora videres.
Huc accedit, uti quicque in sua Corpora rursum
Dissolvat Natura, neque ad Nihilum interimat res.
Nam, si quid mortale e cunctis partibus esset,
Ex oculis res quæque repente erepta periret;
Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus
Discidium parere, et nexus exsolvere posset.
At nunc, æterno quia constant Semine quæque,
Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,
Aut intus penetret per inania, dissolvatque,
Nullius exitium patitur Natura videri.
Præterea, quæcunque vetustate amovet ætas,

at vero, si nulla forent latentia in Terris semina, tum sine ulla agricolæ opera, aut cultu, fruges multo meliores nasci sua sponte videremus. Adde etiam, quod Natura res pereuntes in sua principia tantum dissolvat, non vero in Nihilum reducat; si enim tota materia alicujus rei interitui esset obnoxia, tum quælibet res nostris oculis subducta momento temporis evanesceret; nulla enim violentia opus esset quæ partes alicujus rei a se invicem separaret, earumque unionem dissolveret: jam vero quoniam immortalibus principiis res constant, Natura nihil interire patitur donec aliqua vis incurrat, quæ vel ictu diffringeret res, vel insinuans per vacua inter particulas spatia eas a se invicem separaret. Insuper: si earum rerum, quæ senio confectæ pereunt,

NOTÆ.

Turquinio dedit Imperium, simul et sola Regni.

Et alibi,

Sed sola Terrarum postquam permensa parumper.

216. *Huc accedit, &c.*] Hactenus demonstravit Lucretius *Nihil e Nihilo fieri*: his autem v. 2. alterum proponit, quod ex priori sequitur, effatum; *Nihil in Nihilum reduci.*

Ibid. *Quicque*] *Quæque*, Gif. Pa. alii.

218. *Nam si, &c.*] Effatum modo propositum primo probat v. 8. ex communi resolutione rerum; si enim Res in *Nihilum* interirent, aut *mortales essent e cunctis partibus*, nulla esset vis necessaria, ut unaquæque dissolvatur: sed ut sine ulla vi aut conamine aliarum rerum subito nata apparet, sic sine ulla vi aut conamine aliarum rerum unaquæque res, non dissolutione partium, interiret; sed nostris oculis subducta repente evanesceret: ideo enim vi opus est ut res unaquæque dissolvatur, quia constat ex seminibus quæ dissolutioni supersunt. Hujus argumenti ne minimam partem intellexit Fayus.

220. *Enim*] *Ei*, Gif. viz. *Naturæ*. Hanc lectionem tuetur Pareus: Lambinus, Faber, aliique rejiciunt: et tantos Authores tuto sequi potuit Fayus, si tacere voluisset: hæc autem Iste. Aliis, *usus ei* sup. *Naturæ*: mihi minus arridet, alias enim non *rei cujusque* sed *Naturæ* partibus discidium pareretur. Ingenium Hominis! quasi *ejus* non æque respiceret *rem quamque* si *ei*, ac si *enim* admittatur.

221. *Et*] *At*, Gif. quid autem sibi velit, aliis relinquo.

222. *At nunc*] *Quod nunc*, Gif. Pa. C. alii, omnesque MSS. i. e. *nunc autem*.

Ibid. *Constant*] *Constat*, Gif.

223. *Obiit*] *Obeat*, P. Na. D. sed *obiit*, veteres MSS. Cod.

226. *Præterea, &c.*] Secundum argumentum quo probatur *Nihil in Nihilum reverti* breviter proponit Epicurus in Epist. ad Herodotum, *εἰ διαφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντα ἂν ἀπολώλει τὰ πράγματα, ἐκ ὄντων τῶν εἰς ἃ διελύετο.* Fusius vero Poeta, et fortius. Olim probaverat *Nihil de Nihilo* fieri, et inde jam demonstrat *Nihil in Nihilum* reduci. Animalia enim quotidie pereunt, et nascuntur, fontes aquas, e quibus mare fluminaque constant, perpetuo subministrant, &c. Unde vero hæc omnia, nisi quædam essent *immortalia* semina, quæ dissolutioni Corporum superessent e quibus renovarentur? Quis enim tam insanus quin concederet materiam aliquando interitui obnoxiam, in tam infinita annorum serie quæ ab initio rerum fluxit, debere penitus consumi, ita ut nihil omnino superesset e quo res quotidie pereuntes reparari possint?

Si penitus perimit consumens Materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Redducit Venus? aut redductum dædala tellus
230 Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Unde mare ingenui fontes, externaque longe
Flumina suppeditant? unde æther sidera pascit?
Omnia enim debet, mortali Corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumse, antëäcta diesque.
235 Quod, si in eo spatio, atque anteacta ætate fuere,
E quibus hæc Rerum consistit Summa refecta;
Immortali sunt natura prædita certe.
Haud igitur possunt ad Nilum quæque reverti.
Denique, res omneis eadem vis causaque volgo
240 Conficeret, nisi Materies æterna teneret
Inter se nexas minus aut magis endopedite;
Tactus enim lethi satis esset causa profecto;
Quippe, ubi nulla forent æterno Corpore, eorum

tempus totam materiam penitus aboleret, quanam ex materia Venus diversas animalium species procreat? Ex quanam etiam varia, et in rebus producendis artifex Terra procreatas nutrit et auget, subministrans alimenta diversis istis speciebus apta? Quanam ex re perennes et nativi fontes mare flumina longis cursibus errantia supplent et renovant? ex qua denique aër stellas et cœlum nutrit? Infinitum enim illud tempus, quod jam præterit, penitus consumpsisset omnia quæ constabant principiis interitui obnoxiis: at vero si per totum præteriti temporis spatium ea existebant semina, e quibus res cunctæ reparantur, æterna sint et immortalia necesse est, ideoque nulla unquam res in Nihilum reducitur. Denique una eademque vis omnes res delere et destruere valeret, nisi quædam essent principia interitui non obnoxia, e quibus modo fortius, modo debilius unitis res ipsæ constarent; levissimus enim tactus causa esset satis potens ad res interimendas; si enim principia non ea essent quæ destrui nequeant, quælibet vel minima vis eorum

NOTÆ.

228. *Generatim*] *Generatum*, Gif. et quidam MSS. ut fatetur Lambinus.

229. *Redducit*] *Educit*, D. Na. vitiose.

231. *Ingenui*] Quos Natura non Ars, &c. Ita *ingenuus color*, pro nativo, qui nulla arte, nullo pigmento evocatur. *Faber*. Juvenal. Sat. 3. v. 20.

Ingenuum *violarent marmora tophum*.

Ingenui] *Perennes*, Gassend. al. *Ingeniti*.

232. *Suppeditant*] Lambinus et Pareus, *suppetunt*, vel *parata sunt*: rectius autem *supplent* vel *subministrant*.

233. *Debet*] *Debeat*, Gif. Par.

234. *Consumse*] *Consumpsisse*. Sic *sumpse* pro *sumpsisse* apud Nævium in Tryphallo. Vid. A. Gellium, lib. 2. c. 19. Eodem modo *cesse* et *cresse*, pro *cessisse* et *crevisse*, *divisse* pro *divisisse* apud Horatium. *Promisse* pro *promisisse* apud Catullum; atque ita porro.

237. *Prædita*] *Reddita*, MSS.

239. *Denique*, *&c.*] Deinceps probat v. 12. Res in *Nihilum* non reverti, quod non una vis ad dissolvendum omnia sufficiat; frustra enim aliquis obtendat unam eandemque vim omnia Corpora dissolvere non posse, quia dispari nexu corporum principia conjunguntur. Quid enim ista nexuum disparitas efficeret, cum principia ipsa, si modo in *Nihilum* revertantur, vel levissimum tactum ferre non valeant? Admittas vero principia quædam æterna esse, et ex dissimilitudine contextus eorum inter se ratio reddenda est, quare non una eademque vis ad omnia dissolvendum sufficiat.

239. *Volgo*] *Vulgo*, passim. Sic Cæsar de Bello Civ. lib. i. p. 7. Vulgo *ex tectis significabant*.

241. *Nexas endopedite*] *Nexu endopedito*, Nardius. *Nexus endopedita*, Gassendus, Gif. Par. cum vet. Codd. Alii, *Nexus endopeditos*: quod placet Lector eligat.

242. *Satis esset causa*] Tale Latinitatis exemplum vix alibi reperies, ideoque quidam existimant legendum,

Tactus enim lethi omnibus esset causa profecto.

243. *Eorum*] Cum in libris vulgatis multisque MSS. legitur *quorum*, e duobus

Contextum vis deberet dissolvere quæque.
245 At nunc, inter se quia nexus principiorum
Dissimiles constant, æternaque materies est,
Incolumi remanent res corpore, dum satis acris
Vis obeat pro textura cujusque reperta.
Haud igitur redit ad Nihilum res ulla, sed omnes
250 Discidio redeunt in corpora materiaï.
Postremo, pereunt imbres, ubi eos pater Æther
In gremium matris Terraï præcipitavit:
At nitidæ surgunt fruges, ramique virescunt
Arboribus; crescunt ipsæ, fœtuque gravantur.
255 Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas urbeis pueris florere videmus,
Frundiferasque novis avibus canere undique sylvas:
Hinc fessæ pecudes pingues per pabula læta
Corpora deponunt; et candens lacteus humor
260 Uberibus manat distentis; hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero menteis percussa novellas.
Haud igitur penitus pereunt quæcunque videntur:
Quando alid ex alio reficit Natura, nec ullam

compagem dissolveret: nunc autem quia nexus principiorum inæqualis est, ipsaque principia sunt immortalia, nullæ res dissolvuntur, donec vis incurrat quæ propriam cujusque rei texturam (partium unionem) superare valeat. Nulla igitur res in Nihilum, sed omnes in sua principia dissolutæ redeunt. Denique aliquis objiciat, pluvia perit (in nihilum reducitur) simul ac pater Æther dimisit illam in sinum matris Terræ: Resp. Ex pluvia ita demissa lætæ segetes oriuntur, rami arborum viridibus foliis ornantur, augentur ipsæ arbores et fructibus onerantur, e quibus homines, cæteraque animalia nutriuntur. Inde urbes infantibus abundant, frondosa nemora avium novarum cantu ex omni parte resonant: inde etiam pecudes pinguescunt et tanquam pinguedine lassatæ per pinguia pascua procumbunt, et candidus lactis liquor e turgentibus uberibus distillat; et inde novi (a partu recentes) fœtus debiles adhuc et infirmi mollia gramina ludibundi persultant, puro lacte excitati et maxime gaudentes. Concludimus igitur nullam unquam rem in Nihilum reduci, cum Natura aliam rem ex alia reparat, nec aliquid

NOTÆ.

MSS. quibus adderem B. *Eorum* reposuit Lambinus. *Quorum*, Na. C. Gifan. Par. alii tuentur: penes Lectorem sit. Codices Florentini, *dissolvere quenquam*, viz. *contextum*.

247. *Res*] *In*, Gassendus.

251. *Postremo, &c.*] Quoniam autem Res pleræque sint, quæ dum dissolvuntur, ita ex oculis manibusque evanescunt, ut prorsus perire videri possunt; monet his 15. v. imbres ipsos, qui in terram decidentes maxime evanescunt, non perire, sed materiam suppeditare, unde fruges arboresque augentur, et fructibus onerantur; istis autem frugibus fructibusque homines, feræ, aves vescuntur: ideoque minime credendum est ullam imbrium particulam penitus *interire, dum* tot tantæque res ex iis reparantur: concludit denique *Nihil in Nihilum reverti*, cum Natura aliud ex alio reficit, nec aliquid unquam novum producit, quin utitur materia alterius rei olim dissolutæ.

254. *Ipsæ*] Sine cultu humano, sed non sine vi primigenia. Virgil. sæpe in Georg. Lucretius non minus sæpe. *Faber*: curiose nimis, nec forsan vere.

254. *Pueris*] *Puerûm*, B.

258. *Fessæ*] *Feræ*, quidam MSS. Alii, *fœtæ*: non placet.

261. *Artubus*] *Artibus*, vet. Cod. et *Scaurus*, Gif.

262. *Menteis percussa*] Sic ver. 12.
Percussæ corda tua vi.

264. *Alid*] *Aliud*. *Alis* pro *Alius* veteres usurparunt. Gifanius dubitat an *Alid*

265 Rem gigni patitur, nisi morte adjutam aliena.
Nunc age, res quoniam docui non posse creari
De Nihilo, neque item genitas ad Nil revocari;
Ne qua forte tamen cœptes diffidere dictis,
Quod nequeunt oculis rerum Primordia cerni:
270 Accipe præterea, quæ Corpora Tute necesse 'st
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
Principio, VENTI vis verberat incita pontum,
Ingenteisque ruit naveis, et nubila differt;
Interdum, rapido percurrens turbine campos
275 Arboribus magnis sternit, monteisque supremos
Silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur VENTI nimirum corpora cæca,

unquam novum producit, quin utitur materia alterius rei olim dissolutæ. Age vero cum demonstraverim, nullam rem de Nihilo fieri, nullamque etiam rem in Nihilum reduci, ne tamen argumentis meis assentiri recusares, quia rerum principia oculis videri nequeant; observes porro, quod tu ipse negare non possis, quædam esse Corpora in rerum natura, quæ tamen aciem oculorum fugiant. Primum, Ventus maxima cum vi ferit mare, magnas jactat naves, nubesque dissicit; interdum vehementi impetu planitiem perflans eam sternit magnis arboribus dejectis; summosque montes vexat flatibus qui sylvas frangunt; tam valido impetu furit ventus, sævitque fremitu horrendo ortus. Ventus igitur constat e Corporibus, licet oculis ea cerni non possunt,

NOTÆ.

pro *Aliud* dicitur; hanc vero contumeliam non patitur Lambinus, indignatur, furit, Catullum, et Ausonium in partes vocat, at frustra: jurat denique se *Alid* in duobus MSS. legisse; et hac lectione fruatur.

265. *Adjutam*] *Adjuta*, B. Na. Gif. Par. Nec minores sunt de hac, quam de illa altera lectione lites, quas tutius aliquis negligat, quam componat.

266. *Nunc age*] Jam vero ne frustra disputaret, dum Memmius suus omnibus quæ proposuerat argumentis diffidat, quoniam Principia illa æterna, seminaque rerum per se atque separata in sensum non cadant, sed præ sui exilitate omnem visum, etiam acutissimum longissime fugiant; varia congerit exempla rerum corporearum, quas nemo neget existere, licet videri non possint. Primo *Venti*, v. 33. cujus vim quicunque perspexerit, ut tollit mare, ut impellit naves, &c. illum corporeum esse, licet particulæ ejus oculis cerni non possunt, fatebitur; idque libentius, si cognoscat Ventum eodem plane modo ferri, et æquali impetu impellere, ac rapida et imbribus aucta flumina, quæ *Corporea* esse sensus ipsi apertissime demonstrant.

266. *Age, res*] Alii legunt, *Nunc age sis, quoniam docui nil posse creari: age sis*, i. e. *age si vis*.

Ibid. *Quoniam*] *Quando*, Gif.

267. *Item genitas*] Alii, *Res genitas*. Alii, *Genita ad Nihilum*; perinde.

270. *Præterea*] *Propterea*, Faber.

272. *Incita*] *Incitata*. Ista voce sæpe Lucretius utitur, et Virgilius. Alii, *insita*, male.

272. *Pontum*] MSS. quidam *Cortus*, inde *Portus*. Plurimi MSS. ut et B. eamque vocem Pareus, Gif. aliique acriter defendunt. At vero quis dubitet *Pontum* scribere qui versum 279. legerit? Salmasius legit *Porcas*. *Porca* enim τὸ μιταξὺ τῶν κυμάτων dicitur ab auctore veterum Glossarum, translatione facta ab Agris: inter duos enim sulcos elata Terra, dicitur *Porca*. Varro de Re Rust. lib. 1. et Ταφῇ Μινίωνι.

275. *Sternit*] *Sevit*, Marullus.

277. *Pontus*] *Coörtus, vel Córtus*: ut optime Faber, qui istam vocem e versu 272. ejectam suo restituit loco. *Pontus* enim vox nihili est, et solo Fayo digna, qui ad versum 276. hæc monet: Ita] *Particula comparationis: comparat quippe venti validi fremitum murmuri maris furentis*. Acumen Hominis!

278. *Cæca*] Quæ oculis cerni non possunt: sic eodem lib. 1. 779,

Naturam clandestinam, cæcamque *adhibere*.
———*Nimbosus Orion*
In vada cæca *tulit*.———
Virgilius 1. Æneid.

Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
280 Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.
Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,
Ac cum mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquaï,
285 Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota;
Nec validi possunt pontes venientis aquaï
Vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis,
Dat sonitu magno stragem; volvitque sub undis
290 Grandia saxa; ruit qua quidquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent VENTI quoque flamina ferri:
Quæ, veluti validum flumen, cum procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebris; interdum vertice torto
295 Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant.
Quare etiam atque etiam sunt VENTI Corpora cæca:
Quandoquidem factis ac moribus, æmula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto Corpore qui sunt.
Tum porro varios rerum sentimus ODORES,

quæ mare, quæ terras, et quæ denique cœli nubes verrunt, et immani impetu vexantia vastant omnia et abripiunt. Hi insuper Venti eodem plane modo ruunt, ac vastant omnia, ac torrens magna vi imbrium e montibus altis decurrentium auctus: ille enim modo avulsos ramos, modo totas arbores abripit, nec possunt validi pontes repentinum illius impetum sustinere: tam immani vi, multo imbre violentus in moles obstantes fertur, magno cum fragore pontes rumpit, sub undis volvit ingentia saxa, et quicquid obstat fluctibus evertit et disjicit. Eodem, inquam, modo venti feruntur, qui magni torrentis instar, in quamcunque partem tendunt, protrudunt omnia, et violentis flatibus disjiciunt; interdum etiam contorto vertice corripiunt, rapidoque turbine rotantes in sublime tollunt. Fatendum igitur est Ventum constare e corporibus, licet oculis cerni non possunt, cum eadem efficiunt, et eodem plane impetu feruntur, ac validi torrentes, quos Corporibus constare sensus ipsi demonstrant. Præterea Naribus varios Corporum odores percipimus,

NOTÆ.

280. *Verrunt*] *Vertunt*, G. *Verrunt* autem amat Virgilius, Lucretianæ elegantiæ perpetuus Imitator;

Maria, ac terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque
per auras.

1. Æncid. v. 63.

282. *Ac cum*] Ita quidam Libri fatente Lambino. Plurimi vero legunt, *Quam quom.*

287. *Turbidus*] Alii, *Turgidus*: improbe.

288. *Incurrens*] *Incurrit*, Na. imperite, et frustra se aliquorum Codicum authoritate tuebitur.

290. *Ruit qua quidquid*] *Quidquam*, Gif. sed *Ruunt quæ*, saxa viz. semper legendum putavit Faber. Nec improbanda esset ista conjectura, si Codices confirmarent, et non foret paulo frigidior: non solicitanda est igitur illa altera lectio, quam vetus Latium probaret; *Ruitque* forsan admitti potest, et probe respondebit *Ruuntque* v. 293. ab istiusmodi etiam hiatibus non abhorrent veteres Poetæ.

295. *Rapidoque rotantia*] Alii, *Rapidique rotantia*: *Rapidique rotanti*, Gif. e vet. Codic. perinde est. Mallem vero *Rotantia*, ut v. 280,

——*Subito vexantia turbine raptant.*

297. *Moribus*] Ita plurimi vet. Codd. quidam autem MSS. et impressi, *Motibus*. Virgilius;

Ventos et varium Cœli prædicere morem
Cura sit ————

299. *Tum porro, &c.*] *Quin*, Gif. Iterum docet v. 7. posse esse in Rerum Natura

300 Nec tamen ad nareis venienteis cernimus unquam;
Nec calidos ÆSTUS tuimur, nec FRIGORA quimus
Usurpare oculis, nec VOCES cernere suemus;
Quæ tamen omnia Corporea constare necesse 'st
Natura: quoniam sensus impellere possunt:
305 TANGERE ENIM ET TANGI, NISI CORPUS, NULLA POTEST RES.
Denique, fluctifrago suspensæ in littore Vestes
Uvescunt, eædem dispansæ in Sole serescunt;
At neque, quo pacto persederit humor aquaï
Visu 'st, nec rursum quo pacto fugerit æstu:
310 In parvas igitur parteis dispergitur Humor,
Quas oculi nulla possunt ratione videre.
Quin etiam multis Solis redeuntibus annis

oculis vero istos nunquam intuemur: neque Calorem, neque Frigus, neque Vocem videmus, quæ tamen omnia Corpora esse concedamus necesse est, quoniam impellunt moventque sensus, ideoque tangunt: Nihil autem præter Corpus potest vel tangere vel tangi. Denique Vestes suspensæ juxta littus, in quod fluctus franguntur, humescunt, eædem autem vestes ad solem explicatæ siccantur; nostri vero oculi non percipiunt aquam istis vestibus insidentem, nec a Calore ab istis vestibus fugatam; ideoque dicendum est, aquam istam in particulas divisam tam minutas, ut sub acie oculorum non cadunt. Præterea Annulus dum in digito per multos annos

NOTÆ.

Principia quædam corporea, quamvis sub oculos non cadunt; cum calorem, odores, sonos, frigusque esse omnes fatentur, quæ tamen nemo unquam oculis usurpavit. Ista vero omnia corporea esse quis dubitet dum impellunt sensus, ideoque *tangunt?* Quodcunque autem vel *tangit*, vel *tangitur*, id est Corpus. *Corpus* Græce definitur, τὸ δεύστινον, ἢ πάσχον, σῶμά ἐστι, quam definitionem significare volens Lucretius, ita scripsit,

Tangere enim et tangi, nisi Corpus, nulla potest res.

A. Gellius, l. 5. c. 15.

306. *Denique, &c.*] Alio v. 6. utitur exemplo: *Aqua* est *Corpus*, at illam in particulas nimis minutas aspici aliquando dividi experimur; Panni enim, aut lintea juxta littus expansa humescunt, a Solis calore autem iterum siccantur, at istas *Aquæ* particulas Pannis insidentes, vel ab iis recedentes nemo unquam vidit.

306. *Fluctifrago*] *Fluctivago.* Nonius in voce *Seresco.*

307. *Dispansæ*] Aliqui libri, *Candenti.* Alii, *Dispessæ* ex A. Gellio, lib. 15. c. 15. qui observat *passum* a *pando*, et cum præpositione *expassum*, non *expansum* a veteribus dici; Plautumque in Milite Glorioso, Act. 2. Sc. 4. v. 6. et 7. scribere,

Credo ego isthoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis *manibus patibulum cum habebis.*

Eadem Servius ad v. 484. lib. 1. Æneid. At *Dispensæ* agnoscit Nonius in voce *Seresco.* Lambinus autem hos duos versus ita legendos censet,

Denique fluctifrago dispessæ in littore vestes
Uvescunt, eædem candenti in Sole serescunt.

307. *Uvescunt*] *Humescunt*, unde *Uvidus.*

Ibid. *Serescunt*] *Siccantur;* quod serenitas sicca sit. Sic Virgilius docte in Georg. l. 1.

——*Unde* Serenas
Ventus agat nubes.

Id est, *Siccas.* Idem alio in loco:

——*Atque* arida *differt*
Nubila—— Nonius.

Serescunt: ξηραίνονται, in veteri Vulcanii Onomastico.

312. *Quin etiam multis Solis, &c.*] *Multum*, Marullus. *Multis olim*, Faber. Varia v. 11. congerit exempla; Annulus viz. in digito, Vomer in agris attenuatur; Gutta lapidem cavat: Pavimenta atteruntur; æreasque etiam statuas crebro tactu detritas conspicimus. Ab his omnibus ita detritis corporeæ quædam particulæ recedunt; qui vero istas viderit, oculos habebit longe acutiores quam,

Aquila aut serpens Epidaurius—

Annulus in digito subtertenuatur habendo:
Stillicidî casus lapidem cavat: uncus aratri
315 Ferreus occulte decrescit Vomer in arvis:
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus: tum portas propter ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum:
320 Hæc igitur minui, cum sint detrita, videmus;
Sed, quæ Corpora decedant in tempore quoque,
Invida præclusit speciem Natura videndi.
Postremo, quæcunque Dies Naturaque rebus
Paullatim tribuit, moderatim crescere cogens,
325 Nulla potest oculorum acies contenta tueri;
Nec porro quæcunque ævo, macieque senescunt:
Nec mare quæ impendent vesco sale Saxa peresa,

gestatur, diminuitur; Gutta aquæ decidens lapidem cavat; uncus Vomer aratri e ferro factus paulatim deteritur dum scindit agros: et quis non videt pavimenta saxea ambulantium pedibus detrita? Æreæ insuper Imagines ad portas urbium collocatæ dextras habent attenuatas tactu frequentium salutatorum, vel prætereuntium. Hæc autem omnia diminui, partesque quasdam amittere, cum sint detrita, quis neget? Invida autem Natura non indulsit nobis facultatem videndi eas particulas quæ ab his rebus ita diminutis, quolibet tempore detrahuntur. Denique eas particulas quas Natura apponit rebus, et quibus paulatim auget, nullus oculus, quamvis acriter se contendat, intueri potest; uti nec Corpuscula quæ qualibet hora decedunt a rebus senio aut macie decrescentibus, aut a Saxis quæ edaci sale corrosa impendunt mari;

NOTÆ.

313. *Habendo*] Dum gestatur. Passivæ significationis; Virgil.

—*Alitur vitium vivitque* tegendo.

Id est, dum tegitur. Lucret. l. 4. v. 1062.

—*Inveterascit* alendo.

Id est, dum alitur.

316. *Strata viarum*] Ut *Prima virorum*, lib. 1. v. 87. *Clausa domorum*, v. 355. *Clausa viarum*, lib. 4. v. 616. &c. Et apud Virgil. lib. 1. Æneid.

Miratur portas, strepitumque et strata viarum.

318. *Signa manus dextras, &c.*] Intelligit Deorum tutelarium signa, quorum manum dextram qui exirent ex urbe, et qui ingrederentur osculari solebant, idque boni ominis causa: neque tamen ullus quod sciam veteris Scriptoris locus ad id demonstrandum affertur, sed ita res describitur, ut minime dubia videri debeat. Cur autem dextram potius oscularentur quam lævam, habes Varronem qui doceat in excerptis ex Servio in 1. Æneid. *Extrus* vero in margine apponit Gifanius, forsan pro *exertus* aut promiuentes: sic apud Lucretium, lib. 4. v. 278. *Extraria* lux pro *externa*, vel *extrinseca*. Versum sequentem non agnoscit *B*.

320. Sint] Ex omnibus libris scripsit Lambinus: *Sunt*, ex conjectura, Gifanius, ut et *Præcludit* pro *præclusit*, v. 322.

323. *Postremo, quæcunque, &c.*] Denique monet v. 7. Rebus paulatim crescentibus apponi quasdam particulas corporeas, ab iis iterum decrescentibus detrahi; eas vero particulas oculum, ne quidem acutissimum intueri: et demum concludit posse esse quædam Principia Corporum quæ aciem oculorum fugiant. Hæc omnia breviter Epicurus in Epist. ad Herodotum; πᾶν τι μέγεθος μὴ εἶναι περὶ ἀτόμους. Democritus maximas posse esse Atomos existimabat, et, οὐδέποτε γοῦν ἄτομος ὤρθη αἰσθήσει.

327. *Nec mare quæ impendent]* Pro *impendent mari*. Et hanc lectionem agnoscit Festus in voce *Vescus*. Sic Terentius in Phormione,

Tanta te *impendent mala.*

Lucilius,

Nunc ad te redeo ut res quæ me *impendat agatur:*

licet aliud dicat Festus in voce *Me*. Similiter *Instare illum* Veteres dicebant, ut Plautus in Pænulo,

Tantum eum instat *exitii.*

Ibid. *Vesco sale]* *Ve*, Particula, sicut quædam alia, tum intentionem significat, tum minutionem: sic *Vescum*, quod ex *ve* par-

Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.
Corporibus cæcis igitur Natura gerit res.
330 Nec tamen undique Corporea stipata tenentur
Omnia natura, namque est in rebus INANE:
Quod tibi cognosse in multis erit utile rebus;
Nec sinet errantem dubitare, et quærere semper
De Summa rerum, et nostris diffidere dictis:
335 Quapropter locus est intactus, INANE, vacansque.
Quod si non esset, nulla ratione moveri
Res possent; namque, officium, quod Corporis extat,

fatendum igitur est Naturam habere, utique etiam Corporibus, quæ sub oculos non cadunt. Nec tamen putandum est Omne, *τὸ πᾶν, ex* Materia *tantum constare et compactum esse; præter Materiam enim est* Inane. *Inane autem esse si recte intellexeris, multum utilitatis exinde percipies; totum enim* Omne *habebis perspectum, nihil amplius dubitabis, aut nostræ diffides Philosophiæ. Ut definiam igitur,* Inane *est* Spatium tactus expers, et Vacuum. *Si autem non esset tale spatium, nullæ res moveri possint; præsto enim semper adesset Corpus quod*

NOTÆ.

ficula, et *esca* copulatum est, utriusque diversæ significationis vim capit: aliter enim *Vescum salem* dicit Lucretius ex edendi intentione, aliter Lucilius *Vescum* appellat cum edendi fastidio. *A. Gellius*, lib. 16. cap. 5. Lucilii verba laudat Nonius Marcellus: *Vescum*] *Minutum, obscurum.* Lucilius, lib. 26. *Quam fastidiosum ac* vescum *cum fastidio vivere.* Ubi addit ex Virgil. Georg. 3. *Nec* vescas *salicum frondes.* Item ex Afranio in Sororibus; *At puer est* vescis *imbecillus viribus.* Festus, *vescus*, fastidiosus: Ve *enim pro pusillo utebantur.* Plin. l. 7. c. 20. *Corpore* vesco, *sed eximiis viribus Tritanum.* Ovid. Fast. l. 3. v. 445.

——Vegrandia *farra colonæ;*
Quæ male creverunt, vescaque *parva vocant.*

Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis *ædem,*
Ædem non magni *suspicer esse Jovis?*

328. *Quoque—possis*] *Quæque—posset*, Gif.

330. *Nec tamen undique, &c.*] Supra probaverat corporea quædam esse Principia, jam aliam rem aggreditur, et v. 6. docet in *Omni* aliud plane esse præter Corpus, viz. *Inane:* istud autem *Inane* definit *Locum intactum, et vacuntem:* spatium viz. quod neque tangit, neque tangitur, quod neque agere, neque pati potest. Sic lib. 3.

Plagarum quia sunt expertia, sicut Inane *est;*
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum.

332. *Cognosse*] *Commune*, B. et v. 335. *In* pro *De*, B.

336. *Quod si non esset, &c.*] Primum quo probatur *Inane* argumentum v. 14. continetur: quo etiam Epicurus Epist. ad Herodotum utitur: *Εἰ μὴ ἦν ὃ κενὸν, καὶ χώραν, καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν, οὐδὲ δι' ὅ ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα.* Ut vero vim hujus argumenti melius percipias, Lector, cogita universum mundum, si nihil *Inane* interspersum habeat, confertissimam esse molem, adeo ut Corpusculum, ne minimum quidem, valeat de novo suscipere: quippe si nihil non plenum est, nullus locus restat complendus; quare aut Corpus non admittetur, aut in illo loco collocabitur, in quo aliud jam situm est; sicque idem locus duo Corpora sese undique penetrantia capiet, quod sane per vires Naturæ fieri posse non dixeris. Deprehendes autem hac ratione aliquodne Corpus ex iis quæ intra hanc molem disposita sunt moveri e suo loco possit, ut invadat locum alterius: sane cum plenum locum offendat, necesse erit ex illo pellat quod Corpus illum occupat; illud prorsus quonam contendat, si Omnia quidem plena sunt? An ipsum rursus expellet aliud? Sed par redibit difficultas, continuabiturque in ævum. Ideoque nisi *Inane* sit rebus intermistum, ita essent Omnia stipata, ut non modo nulla res Mundi moveri loco jam valeat; sed neque explicari possit quomodo gigni quidquam potuerit, cum ad generationes rerum motus localis requiratur. Idem fere argumentum ex Democrito et Lucippo, quos Epicurus sequitur, collectum proponit Aristot. 4. Phys. 6. *Gassendus.*

337. *Corporis*] *Corporum*, Pa. aliique, contra Codicum fidem: in sequenti versu *Abesset* pro *Adesset.* Idem.

Officere, atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus: haud igitur quidquam procedere posset,
340 Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria, ac terras, sublimaque cœli,
Multa modis multis varia ratione moveri
Cernimus ante oculos; quæ, si non esset INANE,
Non tam sollicito motu privata carerent;
345 Quam genita omnino nulla ratione fuissent:
Undique Materies quoniam stipata quiesset.
Præterea, quamvis Solidæ res esse putentur,
Hinc tamen esse licet Raro cum corpore cernas:
In saxis, ac speluncis permanat Aquarum
350 Liquidus humor, et uberibus flent omnia guttis;
Dissupat in corpus sese Cibus omne animantum:
Crescunt Arbusta, et fœtus in tempore fundunt,
Quod Cibus in totas usque ab radicibus imis
Per truncos, ac per ramos diffunditur omneis:
355 Inter septa meant Voces, et clausa domorum
Transvolitant: rigidum permanat Frigus ad ossa.
Quod, nisi INANIA sint, qua possent Corpora quæque
Transire, haud ulla fieri ratione videres.
Denique, cur alias aliis præstare videmus

impediret motum; Corpus enim omne ex natura sua obstat motui, et impedit: nihil igitur progredi posset, cum nulla unquam res primo cederet, daretque locum. At nihil evidentius, quam quod in mari, in terris, aëre etiam, altoque cœlo multæ res variis diversisque motibus agitantur; quæ tamen res, nisi Inane *esset, non modo non moverentur, sed ne omnino quidem unquam fuissent generatæ; quoniam Materies ex omni parte stipata semper quievisset, incapax motus, qui ad rerum generationem unice facit. Præterea quamvis Res videntur habere particulas solidas ex omni parte sibi invicem conjunctas, tamen eas raro esse Corpore, et Inane aliquod inter particulas sparsum continere ex sequentibus observationibus facile colligas. In speluncas descendas, ibique observabis aquam manare per saxa, plurimasque guttas tanquam lachrymas defluere: Alimentum in omnes partes Corporum animalium diffunditur: Arbores crescunt fructusque debito tempore emittunt, quoniam Alimentum per truncos singulosque ramos in omnes illarum partes ab imis usque radicibus distribuitur. Soni muros, mœnia, clausasque domos permanant; Frigus acre usque ad ossa intrat: hæc vero neutiquam fierent, nisi essent* Inania *quæ Corpora permeare possint. Præterea cur aliæ res essent aliis*

NOTÆ.

341. *Sublimaque cœli*] Ut *Acuta belli*, ab Horatio: *Occulta et remotæ templi*, a Cæsare: *Sublimus* autem, ut *Imbecillus*, *Inermus*, *Hilarus*, &c.

344. *Privata carerent*] Turnebus aliquando legit, *Pronata carerent*: aliquando *Privata jacerent*: frustra; ut et Gassendus, qui v. 346. pro *Quiesset*, legit *fuisset*.

347. *Præterea, quamvis, &c.*] Iterum v. 12. probat *Inane* esse, quoniam Res, quæ maxime solidæ videntur, Corpora quædam permeant, et permanant. Sic Aqua saxum; Alimentum omnia animalium membra; Succus truncos ramosque arborum. Soni parietes et mœnia, et Frigus carnem et nervos usque ad ipsa ossa penetrat. Quæ tamen non omnino fierent, nisi essent Vacua quædam spatiola inter solidarum istarum rerum particulas, quæ Corpora quæque pertransirent.

350. *Flent*] *Fluunt*, B.

353. *Quod Cibus in totas, &c.*] *Arbores* viz. licet supra posuerit *Arbusta*. Alii tamen legunt, *Tota usque vel ab, &c.* Alii, *Totos*, viz. fœtus.

358. *Fieri*] Alii, *Qua irent*.

Ibid. *Videres*] Alii, *Valeret*.

359. *Denique cur alias, &c.*] Tertium quo probatur *Inane* argumentum v. 12. deducitur e diverso rerum, quæ ejusdem mag-

360 Pondere res rebus, nihilo majore figura?
Nam, si tantundem 'st in Lanæ glomere, quantum
Corporis in Plumbo 'st, tantundem pendere par est;
Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum:
Contra autem natura manet sine pondere INANIS.
365 Ergo, quod Magnum 'st æque, Leviusque videtur,
Nimirum plus esse sibi declarat INANIS:
At contra Gravius plus in se CORPORIS esse
Dedicat, et multo VACUI minus intus habere.
Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci
370 Quærimus, admistum rebus, quod Inane vocamus.
Illud in his rebus, ne te deducere vero
Possit, quod quidam fingunt, præcurrere cogor:
Cedere Squamigeris latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias; quia post loca Pisces
375 Linquant, quo possint cedentes confluere undæ:
Sic alias quoque res inter se posse moveri,

ponderosiores, cum tamen æqualis sint molis? Si enim tantum Corporis esset in lanæ glomere, quantum est in plumbo, tum profecto tantum esset ponderis, quoniam premere deorsum, vel grave esse est proprietas Corpori naturalis: Inane autem e contra nullum habet pondus. Ergo quod æqualis est molis, minoris vero ponderis aperte ostendit se plus Inanis *continere: quod vero majoris est ponderis plus Corporis continere, et multo minus* Inanis *inter particulas suas interspersi. Constat igitur id* Inane *de quo disputamus esse inter Corpora interspersum. Ne autem aliqui te a veritate dimoveant ista responsione, qua hujus argumenti vim eludere conantur, necesse est ut illis effugium præcludam. Dicunt enim aquas cedere Piscibus procedere conantibus, et liquidas aperire vias; quia Pisces procedentes linquunt post se spatium in quod aquæ cedentes fluere possint; et eadem plane ratione alias quoque res moveri posse,*

NOTÆ.

nitudinis et figuræ sunt, pondere: neque enim explicari potest, cur e duobus Corporibus ejusdem figuræ et magnitudinis alterum plus ponderis haberet, alterum minus; nisi quod in illo plus insit *Corporis*, cui Pondus naturale est: in hoc vero plus *Inanis*, quod nullum omnino habet pondus.

361. *Glomere*] *Pondere*, alii, soliciti de Quantitate; inepte: æque enim licuit Lucretio producere, ac aliis corripere.

362. *Corporis*] *Corporum*, ut et v. 363. et 367. B. Et pro ista voce pugnat Gifanius ridicula plane ratione; licet enim de principiis Corporum aut Atomis loquatur Lucretius, nihil tamen obstat quo minus *Corporis* legatur: ut infra, v. 423.

Corpus enim per se communis deliquat esse
Sensus.——Lambinus.

368. *Dedicat*] *Declarat*, aut *ostendit*. Alii, *Indicat*. Alii, *Deliquat*, ut v. 423. et lib. 3. v. 209. Alii, *Delicat*. Sic Plaut. in Milite,

Ita vero ut tu ipse me dixisse delicas.

Nonius, *Delica*. Explana, indica, &c. Sed *Dedicat* amat Faber: *De* enim affirmat, ut *Demiror*, *Demagis*, valde magis apud Lucilium in Nonio: Festus tamen, *Demagis* pro *minus* Antiqui dicebant: forsan leg. *Nimis*.

369. *Id*] Nardius et alii non agnoscunt; at retinendum arbitror.

371. *Illud in his rebus, &c.*] Quoniam vero aliqui inter quos Arist. l. 4. Phys. vim hujus argumenti eludere conantur, dicendo, *Inanis* non opus esse ut Corpora moveantur; cum in *Pleno* Corpora possunt sibi invicem officiose cedere, quoniam Corpus, quodcunque movetur, relinquit spatium ab alio Corpore, quod e suo loco detrudit, occupandum: ut Aqua cedit Piscibus procedere conantibus, locumque quem illi reliquerunt subit: urget Lucretius, Pisces in Aqua sibi viam aperire, locumque post se relinquere non posse, nisi Aqua cedat locum; cedere autem locum Aquam non posse, nisi pateat vacuum spatium a Piscibus relictum. Igitur aut admittendum est Inane Corporibus admistum, aut nihil omnino moveri possit.

Et mutare locum; quamvis sint omnia plena:
Scilicet id falsa totum ratione receptum 'st.
Nam, quo Squamigeri poterunt procedere tandem,
380 Ni spatium dederint latices? Concedere porro
Quo poterunt undæ, cum pisces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum 'st corpora quæque;
Aut esse admistum dicendu 'st rebus INANE;
Unde initium primum capiat res quæque movendi.
385 Postremo, duo de concursu Corpora lata
Si cita dissiliant, nempe aër omne necesse 'st,
Inter corpora quod fuvat, possidat INANE.
Is porro, quamvis circum celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
390 Complere spatium: nam primum quemque necesse 'st
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
Quod, si forte aliquis, cum Corpora dissiluere,

et locum mutare, etsi omnia plena, *et nullum* Inane *esset. Quod vero dicunt, vanum, nihilque est; in quem enim locum moverent Pisces, nisi istum locum aquæ reliquerint, et in quem etiam cederent istæ aquæ cum Pisces procedere non potuerint? Corpora igitur omnia sunt motu privanda, aut concedendum est* Inane *esse inter Corpora interspersum; sine eo enim res nullæ inciperent movere. Denique si duo Corpora lata et plana concurrant, subitoque a se invicem dissiliant, necesse est ut Aër occuparet totum illud spatium quod fit Inane inter Corpora ita divulsa. Ille autem Aër, etsi omnes illius undique partes celerrime moveantur, uno tamen eodemque momento totum spatium occupare non potest; primum enim necesse est ut occupet partes spatii sibi proximas, et deinde reliquas remotiores. Si vero forsan putet aliquis hoc argumentum solvi posse, dicendo,*

NOTÆ.

381. *Quo*] *Qui*, Gifan. versus 279. immemor.

385. *Postremo, duo de concursu &c.*] Quinto his v. 7. pugnat argumento, eoque satis valido. Si enim duo Corpora plana et lata concurrant, subitoque a se invicem dissiliant, *Inane* fieret; omnis enim materia ab istis Corporibus ita concurrentibus elideretur. Ideoque spatium quod inter illa dissilientia patet omnis Corporis esset Vacuum: quid enim impleret? Aër, an materia subtilis? At quantumvis celerem, quantumvis subtilem fingas materiam, *Inane* tamen semper relinques, cum Aër ille aut materia subtilis uno eodemque momento totum quod patet spatium occupare et implere non possit.

Ibid. *De concursu*] *Post concursum*. Sic Plautus, *Non bonus est somnus* de *prandio*. Alii, inter quos Gifanius, legunt *Concursu*, ut et *Cultu*, lib. 4. v. 1276. Plurima enim erant apud Veteres nomina ambiguæ formæ. Sed hunc castigat Lambinus, an jure, alii videant.

Ibid. *De concursu*] *de conjunctione, de commissura*, alii.

387. *Fuvat*] Quasi *fuerit*. Alii, *Fiat*.

Ibid. *Possidat*] Ita Veteres, pro *possideat*.

388. *Celerantibus*] Aliqui, *Densantibus*: nullo plane sensu.

390. *Complere*] *Compleri*, Gif. perinde est.

392. *Quod, si forte aliquis, &c.*] Responsionem præoccupat, impugnatque Lucretius, v. 8. Hic versus aliquos excidisse, mutilumque esse hunc locum semper judicavi: præclara enim responsio, *Vacuum non est, quoniam Aër condensatur*. Quis autem intelligat? ideoque hunc locum ita censeo supplendum: Cum duo ista Corpora concurrant, inter eorum superficies Aër interceptus condensatur, saltem in superficierum cavitatibus (nulla enim Corpora perfecte plana) latet: cum vero dissiliant ista Corpora, Aër istæ interceptus rarefit; spatiumque inter duo ista Corpora dissilientia patens occupat et implet. Urget autem Lucretius; Cum ista duo Corpora separentur, *Inane* fieri necesse, (quis enim neget cum in aliquibus saltem partibus se invicem tangebant) et Id *Inane* iterum ab Aëre repleri; ideoque prius argumentum firmum satis esse et certum; urget insuper, Aërem non omnino condensari, vel si condensetur; ex ista conden-

Tum putat id fieri, quia se condenseat aër,
Errat: nam VACUUM tum fit, quod non fuit ante,
395 Et repletur item, VACUUM quod constitit ante;
Nec tali ratione potest denserier aër;
Nec, si jam posset, sine INANI posset, opinor,
Se ipse in se trahere, et parteis conducere in unum:
Quapropter, quamvis causando multa moreris,
400 Esse in rebus INANE tamen fateare necesse 'st.
Multaque præterea tibi possum commemorando
Argumenta fidem dictis conradere nostris;
Verum animo satis hæc vestigia parva sagaci
Sunt, per quæ possis cognoscere cætera Tute:
405 Namque Canes ut montivagæ persæpe feraï
Naribus inveniunt intectas frunde quietes,
Cum semel institerunt vestigia certa viaï:
Sic alid ex alio per te Tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras
410 Insinuare omneis, et Verum protrahere inde.
Quod, si pigraris, paullumve abscesseris ab re,
Hoc tibi de plano possum promittere, MEMMI:

condensari Aërem cum ista duo Corpora separentur, ille profecto errat: tunc enim fit Inane *quod ante non fuit, et Inane, quod ante fuit, repletur. Nec potest esse talis, qualem fingunt, Aëris condensatio; vel si possit esse, non tamen sine Inani; dum impossibile est ut Res aliqua partes suas in minus spatium contraheret, nisi* Inane *esset. Etsi igitur disputare, multasque cavillationes nectendo molestus aliquis esse possit, tandem tamen* Inane *esse fateri cogetur. Multa alia argumenta afferre potui, quibus meam sententiam confirmarem, sed hæc parva indicia perspicaci menti sufficiunt, et eorum ope Tu ipse reliqua omnia sine monitore perspicies. Ut enim Canes venatici, postquam semel ferarum per montes vagantium vestigia certa legerint, earum cubilia in sylvis abdita, frondibusque tecta naribus inveniunt: sic tu, O* Memmi, *in rebus philosophicis aliud ex alio proprio tuo Marte colligere, omnes obscuros recessus penetrare, et latentem ibi veritatem protrahere poterit. Si vero in assensu his argumentis præbendo tardior sis, et adhuc de re modo proposita dubites; liquido spondere possum, O* Memmi,

NOTÆ.

satione tamen sequi *Inane* esse: quoniam absurdum est unam eandemque materiæ molem aliquando majus aliquando minus spatium occupare, nisi Inane esset.

393. *Condenseat*] Sic Virgil. Æneid. 10.
Extremi addensent *acies*—.
Et Æneid. 7.
Agmina densentur *campis*.
Ad quem locum *Denseo, denses* dici agnoscit Servius.

401. *Multaque præterea, &c.*] Multa proposuit, non vero omnia argumenta; reliqua autem ex iis, quæ memoraverat, ab ipso *Memmio* colligenda relinquit: idem enim Philosophis ac Canibus venaticis accidit, cum certa veritatis vestigia semel legerint, abditos illius recessus facile invenient.

402. *Conradere*] *Conciliare, comparare*: l. 6. v. 303.
Atque alia ex ipso conradens *Aëre portat*.
Et v. 443.
—Conradens *ex Aëre semina nubis*.
Ideoque non audiendi sunt isti qui *contradere* reponunt.

406. *Intectus frunde*] Livius, *Intecta stramento tecta*: non opus est igitur istorum ingenio qui amant, *Intextas*.

407. *Certa*] *Prima*, B.

411. *Quod, si pigraris*] Aliam ab omnibus Interpretum, v. 9. commentis sententiam sequutus sum, quam veram tamen esse fatebitur is Lector, qui sequentes versus diligenter perpendit, novitque Lucretium de Epicuro et de seipso nihil moderatum sentire.

Usque adeo largos haustus de fontibu' magnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
415 Ut verear, ne tarda prius per membra Senectus
Serpat, et in nobis Vitaï claustra resolvat,
Quam tibi de quavis una re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aureis.
Sed nunc, jam repetam cœptum pertexere dictis.
420 Omnis, ut est, igitur, per se, Natura, duabus
Consistit rebus; nam CORPORA sunt, et INANE;
Hæc in quo sita sunt, et qua diversa moventur:
Corpus enim per se communis deliquat esse
Sensus; quo nisi prima fides fundata valebit,
425 Haud erit, occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quicquam ratione queamus.
Tum porro Locus, ac Spatium, quod INANE vocamus,
Si nullum foret, haud usquam sita Corpora possent
Esse, neque omnino quaquam diversa meare;
430 Id quod jam supera tibi paullo ostendimus ante.
Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni

me tibi plene satisfacturum esse: tantam enim argumentorum vim e divite vena ingenii Epicuri haustorum, Lingua mea suavis meo e pectore effundet; ut verear ne tarda Senectus per artus meos serpat, omniaque meæ vitæ munimenta diffringat, priusquam vel ego versibus complecti possum, vel tu audire omnia ista argumenta; quæ ad quamlibet rem probandam (præcipue Inane *esse) proferre valeam: jam vero opus institutum prosequar.* Omne *igitur, si res per se existentes spectemus, duo tantum complectitur;* Corpus *et* Inane, *in quo* Corpus *situm est, et per quod diversimode movetur:* Corpus *autem esse ipsi sensus satis demonstrant, quibus nisi firmiter credamus, nullum erit Criterion quo in deducendis de rebus sensui inevidentibus ratiociniis dirigeremur. Tum porro, si non esset talis Locus aut spatium, quale* Inane *vocamus, nullus esset Locus in quo sita forent Corpora, nec omnino moverentur, ut modo luculente demonstravi. Præterea Nihil est quod dicere possis neque*

NOTÆ.

413. *Usque adeo largos, &c.*] Lambinus e MSS. legit,

Usque adeo largos, haustos de fontibus, Amnes.

Ibid. *De fontibu'*] Ex Epicuri libris, cujus non tantum opiniones, sed etiam verba ubique premit et sectatur.

420. *Omnis, ut est, igitur, &c.*] Jam *Corpus* et *Inane* demonstraverat. His vero v. 11. olim posita argumenta breviter recenset, et unum addit a sensu deductum; asseritque nihil per se existere præter *Corpus* et *Inane*. Sic Epicurus in Epist. ad Herodotum, τὸ πᾶν ἐστι πῇ μὲν σῶμα, πῇ δὲ κενόν. In Epist. ad Pythoclem, τὸ πᾶν σῶμα, καὶ ἀναφὴς φύσις. Et Cicero in 2. de Nat. Deor. *Omnium, quæ sint, Naturam, esse Corpora et Inane, docet Epicurus.*

Ibid. *Omnis, ut est per se, Natura*] i. e. Omnis Natura, vel *Omne* per se existens: et ut Epicurus in Epist. ad Herod. Καθ' αὐτὰς φύσεις.

421. *Consistit*] Alii, *Constitit in*, imperite.

Ibid. *Nam*] *Quæ*, *G.*

423. *Corpus enim, &c.*] Ipsa Epicuri verba: Τὰ μὲν σώματα ὡς ἔστιν, καὶ αὐτὴ ἡ αἴσθησις ἐπὶ πάντων μαρτυρεῖ, καθ' ἣν ἀναγκαῖον τὸ ἄδηλον τῷ λογισμῷ τεκμαίρεσθαι· εἰ μὴ ἦν ὃ κενὸν, καὶ χώραν, καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, οὐκ ἂν εἶχε τὰ σώματα ὅπου ἦν, οὐδὲ δι' ὧν ἐκινεῖτο, καθάπερ φαίνεται κινούμενα. Epist. ad Herodot.

426. *Animi*] *Animos*, Nardius et alii: quo sensu ipsi viderint.

430. *Supera*] *Supra*.

431. *Præterea nihil est, &c.*] His v. 10. docet Nihil esse per se existens præter *Inane* et *Corpus*. Quicquid enim est, quantitate aliqua, magna aut parva, donatur. Id vero si tactile sit, motumque impediat, *Corpus* censebitur: Epicurus apud Empiri-

CORPORE sejunctum, secretumque esse ab INANI:
Quod quasi tertia sit rerum natura reperta.
Nam, quodcunque erit, esse aliquid debebit id ipsum.
435 Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum sit;
Cui si Tactus erit quamvis lĕvis, exiguusque,
Corporum augebit numerum, summamque sequetur;
Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem prohibere queat per se transire meantem;
440 Scilicet hoc id erit Vacuum, quod Inane vocamus.
Præterea, per se quodcunque erit, aut faciet quid,
Aut aliis fungi debebit agentibus ipsum;
Aut erit, ut possint in eo res esse, gerique:
At facere et fungi sine CORPORE nulla potest res;
445 Nec præbere locum porro, nisi Inane, Vacansque:

Corpus *esse neque* Inane, *quod sit tertium rerum genus,* Omnisque *pars: quodcunque enim est, vel majori vel minori mole definitum est, quod si ullo modo tactile sit, id profecto inter Corpora annumerari debet: sin vero nullo modo tactile sit, neque ex ulla parte res per se transeuntes impediat, id profecto idem est quod* Inane *dicimus. Præterea quodcunque existit, aut ipsum potest agere, vel ab aliis agentibus potest pati; aut id erit in quo Res possunt esse, fieri et moveri: at nihil præter* Corpus *potest agere vel pati, et solum* Inane *potest dare locum in quo res sint, fiant, vel moveantur.*

NOTÆ.

cum, *κατ' ἀθροισμὸν σχήματος, καὶ μεγέθους, καὶ ἀντιτυπίας, καὶ βάρους, τὸ σῶμα ποιῶσι.* Si vero intactile, motumque non impediat, vocabitur *Inane:* Nihil igitur est præter Corpus et Inane.

431. *Possis dicere*] Alii, *Dici possit ab:* alii, *possit dicier:* eligat Lector.

433. *Quod quasi tertia sit rerum Natura reperta*] Pro *Rerum,* alii legunt *Numero.* Nec lis inter harum vocum Patronos facile componatur, cum qui *Rerum,* æque ac qui *Numero* amat v. 447. autoritate seipsum tueri possit. Totum vero hunc versum rejicit Faber, et existimat illum ex conclusione seu Orationis clausula petitum, et huc translatum fuisse: deinde dicit Latinitatem esse vitiosam: *Nihil est* quod possis *dicere sejunctum,* &c. quod sit quasi *tertia Natura reperta.* Ita ille. Quid autem si legamus, *Quod dici possit?* Quid si, *quod possit dicier?* Quid etiam si legamus, *Quæ quasi tertia?* dum Cod. MS. B. aliique agnoscunt, *Quo?* Profecto ista omnia incorruptum vetusque Latium sapiunt; nec *Illius* Authoritas tanta est, ut omnium Codicum fidei præferatur.

434. *Esse aliquid*] *Esse aliud,* alii: in cujus insanæ Lectionis interpretatione nollem Lambinum tot verba perdidisse.

437. *Corporum*] Imperiti Librarii, offensi quod litera *M* non eliditur, varia commenti sunt: alii scribunt *Corporeum augebit:* alii, *Corporis augebit:* alii, *Corporum adaugebit:* frustra hæc omnia. Litera enim *M* apud Ennium et Lucretium sæpissime non eliditur, uti nec apud Horatium, Sat. 2. lib. 2.

——— *Num vesceris ista*
Quam laudas pluma? Cocto num *adest honor idem?*

441. *Præterea,* &c.] Iterum v. 9. docet nihil esse per se existens præter *Corpus* et *Inane.* Quodcunque enim est, vel in aliud agere, vel ab alio pati potest; id autem erit *Corpus.* Quodcunque enim, agit vel patitur, tangitur aut tangit: vel est id in quo Res sitæ sunt, in quo etiam fiunt, et moventur: id autem *Inane* est. Nullum igitur est tertium rerum genus quod sensu (qui *Corpus* esset docet) vel ratione (quæ *Inane* esse demonstrat) deprehendere valeamus. Epicurus, *τὸ δρώμενον, ἢ πάσχον, σῶμά ἐστι· τὸ δὲ κινὸν ὅτι ποιῆσαι, ὅτι παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχει.*

443. *Gerique*] *Genique,* P. et alii: improbe.

Ibid. *Gerique*] *Fieri* et *moveri,* dum enim *Gerere* idem apud Lucretium ac *facere* aut *administrare,* ut in v. 329.

Corporibus cæcis Natura gerit *res.*

Immerito Lambin. Gifanius succenset quod *geri* interpretetur *moveri:* sine motu enim nihil Natura vel agit vel administrat.

Ergo præter INANE, et CORPORA, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui;
Nec, quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
450 Nam, quæcunque cluent, aut his CONJUNCTA duabus
Rebus ea invenies; aut horum EVENTA videbis.
CONJUNCTUM 'st id, quod nunquam sine perniciali
Discidio potis est sejungi, seque gregari:
Pondus uti saxis, Calor ignibu', Liquor aquaï,
455 Tactus Corporibus cunctis, Intactus Inani.
Servitium contra, Libertas, Divitiæque,
Paupertas, Bellum, Concordia, cætera, quorum
Adventu manet incolumis natura, abituque;
Hæc soliti sumus, ut par est, EVENTA vocare.
460 Tempus item per se non est, sed Rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo;
Tum, quæ Res instet; quid porro deinde sequatur:
Nec per se quemquam TEMPUS sentire fatendu' est
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.
465 Denique, Tyndaridem raptam, belloque subactas

Ergo nullum potest esse tertium Rerum genus, ab Inani *et* Corpore *disjunctum, quod vel sub sensus nostros unquam cadat, vel quod cogitatione assequi possimus. Omnia enim alia quæ existere videntur inveniemus esse aut* Conjuncta *Corporis et Inanis, aut illorum* Eventa. Conjunctum *autem id est quod non potest separari a Re sine ipsius Rei interitu: tale est Gravitas in lapide, Calor in igne, Humiditas in aqua, Tactilitas in Corpore omni, et Intactilitas in Inani: contra vero, Servitus, Libertas, Opes, Paupertas, Bellum, Concordia, reliquaque omnia quæ vel ad Rem adveniunt, vel a Re abeunt sine interitu illius Rei,* Eventa *Rerum, ut æquum est, solemus nominare. Tempus etiam non est Ens per se existens, sed ex ipsis rebus mens nostra colligit quid præteritum, quid præsens, quid futurum sit;* (Res enim ipsæ aliquæ sunt præteritæ, præsentes aliæ, et aliæ futuræ) *nec quis unquam* Tempus *conceperit per se, et non consideratis simul rebus aliquibus vel moventibus vel quiescentibus. Denique eum dicunt Helenam raptam* esse,

NOTÆ.

450. *Nam quæcunque cluent, &c.*] Cum vero plurima dicimus *esse* præter Corpus et Inane, ut Bellum *est*, Pax *est*, Calor *est*, &c. ne ex communi hoc usu loquendi errores nascerentur, monet ver. 10. hæc omnia *Conjuncta* tantum esse, vel *Eventa* Corporis et Inanis: *Conjunctum* (σύμπλωμα sive proprium Accidens) est quod non potest abesse sine interitu subjecti: quale est Calor in igne, Humiditas in aqua, &c. *Eventum* vero (συμβεβηκὸς sive Accidens commune) quod potest abesse vel adesse sine subjecti interitu; quale est Bellum, Paupertas, Concordia, &c.

460. *Tempus item, &c.*] Qui Paupertatem, Bella, Pacem, &c. inter Eventa poni haud graviter ferebant, magnificentius de *Tempore* sentiebant. Pythagoras, Heraclitus, alii (vid. Empiricum adv. Phys. lib. 21.) Corpus esse; Stoici vero incorporeum aliquid esse docuerunt: his omnibus Epicuri sententiam v. 5. opponit Lucretius, quam accipe, Lector, Gassendi verbis luculentius explicatam: *Tempus est Eventum cogitatione duntaxat seu mente attributum rebus, prout concipiuntur in eo, in quo sunt, statu perseverare aut desinere, et longiorem aut breviorem existentiam tueri; ac ipsam habere, habuisse, aut habituræ esse.*

462. *Porro*] *Pars*, edidit Fayus, eodem judicio quo v. 476. *Clara* interpretatus est *notissima*.

465. *Denique Tyndaridem cum dicunt esse, &c.*] Haud scio an facile explicare possim quod sentiam, sed ego, ut potero, dicam. Sermonis Latini inopia cogit ut utamur verbo *Sum, es, est*, in rebus temporis præteriti, ubi quid factum dicere volumus. Itaque si quis dixerit, *Victum est*

Trojugenas genteis cum dicunt esse, videndu 'st,
Ne forte hæc per se, cogant nos, esse fateri:
Quando ea sæcla hominum, quorum hæc eventa fuere
Irrevocabilis abstulerit jam præterita ætas.
470 Namque aliud rebus, aliud regionibus ipsis
EVENTUM dici poterit, quodcunque erit actum.
Denique, Materies si rerum nulla fuisset,
Nec Locus, ac Spatium, res in quo quæque geruntur;
Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore
475 Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
Clara accendisset sævi certamina belli:
Nec clam duratēus Trojanis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum:
Perspicere ut possis, Res Gestas funditus omneis,
480 Non ita, uti CORPUS, per se constare, nec esse:
Nec ratione cluere eadem, qua constat INANE:
Sed magis ut merito possis EVENTA vocare

Trojanas gentes Bello victas esse, *cavendum est ne hic etiam communis loquendi usus inducat nos concedere, hæc* esse per se: *quando omnes illos homines, quorum hæc fuere Eventa, præterita ætas, quæ nunquam revocari potest, abstulit* * * * *Omnes enim res gestæ sunt Eventa, vel hominum ipsorum qui gerunt, vel locorum in quibus geruntur. Denique si nulla fuissent Corpora, nec Locus et Spatium in quo res fierent, nunquam ignis amore pulcherrimæ Helenæ excitatus, et crescens in pectore Paridis Phrygii splendida sævi belli certamina accendisset; nec ligneus Equus clam, et noctu e suo alvo Græcos istos milites effudisset, qui Pergama Trojanorum urbem igne vastarunt. Hinc igitur facile colligas Res gestas neque esse, neque per se existere, nec eodem modo se habere quo* Corpus *et* Inane; *sed potius esse Eventa*

NOTÆ.

Ilium, extemplo argutator aliquis responderit, *Victum est*, ergo *est*. Hunc locum sic necessario intelligendum arbitror. Hæc Faber, quo nemo melius: v. igitur 7. captiosum Sophisma solvit, ex communi usu loquendi, quo dicimus res præteritas gestas *esse*, ductum: et huc spectare existimo omnia illa, quæ de accommodandis tempori familiaribus sermonis formis, Epicurus scribit in Epist. ad Herodotum: οὔτε ἐκλίπτους, ὡς βιλτίους, μεταλήπτιον, ἀλλ' αὐταῖς ταῖς ὑπαρχούσαις καθ' αὐτοῦ χρηστέον. Qui vero dixerit has esse nugas dialecticas, verissimum dixerit; nec nugaretur Lucretius, nisi *Stoici* (inter quos et Epicureos immortale odium) futilissimi hominum hisce argutiis ineptire coëgissent.

466. *Cum*] *Ut*, Na. et vet. quidam Codd. *Qui*, Lambinus.

467. *Ne forte*] *Ne contra*, quidam Cod.

Ibid. *Esse fateri*] Alii, *Forte fateri*. Alii, *Cuncta fateri*.

Ne contra hæc per se cogant nos esse fateri: omnibus anteponit Lambinus.

468. *Ea*] *Et*, Gif. et alii.

469. Post hunc versum hiatum in Interpretatione reliqui, nec temere: quis enim non videt omnes istos excidisse versus, qui solutionem Sophismatis continebant? Lacerum vero Poëtam esse testor versus quosdam a veteribus laudatos; Nonius in voce *Torpor*.

—*Tantus conduxerat omnia Torpor*:
Lucr.

quas tamen voces in Lucretio hodie ne quæras.

470. *Rebus*] *Terris*, Na. et quidam alii.

472. *Denique materies, &c.*] Sophisma iterum aggreditur, et v. 12. demonstrat *Res olim gestas* non per se constare, sed Inanis et Corporis *Eventa* esse: quoniam si nullum Corpus et Inane olim extitisset, istæ res nunquam fuissent gestæ.

473. *Geruntur*] *Genuntur*, Lambinus contra omnes Codices, et absurde; ut patet ex v. 479.

477. *Durateus*] Δουράτιος, Hom. Odyss. 10. ex Trabibus compactus. Δυρεῖος, Euripid. Troad.

Ὅθεν πρὸς ἀνδρῶν ὕστερον κληθήσεται
Δυρεῖος ἵππος πευκτὸν ἀμπίσχων δόρυ.

Ibid. *Trojanis*] *Trojaï*, B. *Trojunis*, omnes alii Codd.

Corporis, atque Loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora sunt porro partim Primordia rerum,
485 Partim Concilio quæ constant principiorum.
Sed, quæ sunt rerum Primordia, nulla potest vis
Stringere; nam Solido vincunt ea corpore demum:
Et si difficile esse videtur credere quicquam
In rebus Solido reperiri corpore posse;
490 Transit enim Fulmen cœli per septa domorum,
Clamor ut, ac Voces: Ferrum candescit in igne:
Dissiliuntque fero ferventia Saxa vapore:
Conlabefactatus rigor Auri solvitur æstu:
Tum glacies Æris flamma devicta liquescit:
495 Permanat calor Argentum, penetraleque frigus,
Quando utrumque, manu retinentes pocula rite,
Sensimus, infuso lympharum rore superne:
Usque adeo in rebus Solidi nihil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum

Corporum, et Loci in quo istæ res gestæ fiunt. Corpora autem sunt vel Simplicia rerum principia, *vel ex iis simplicibus principiis* Composita et concreta: *Simplicia vero ista principia nulla vis valet diffringere, perfecta enim istorum soliditas nulli vi cedet. Quamvis, ut verum fatear, haud facile credimus aliquod esse in rerum natura perfecte solidum: fulmen enim per parietes murosque clausarum domuum, ut et sonus et vox, transit: ferrum in igne candescit: ferventia saxa penetrabili calore dissolvuntur: rigidum aurum liquefit flamma fractum; æris glacies igne domita dissolvitur: calor item et frigus penetrabile argentum permeat; sentimus enim utrumque, cum vas argenteum manu tenentes aquam vel frigidam vel calidam superne infundimus: tot argumentis constare videtur Nihil esse in rerum Natura perfecte solidum. Quoniam vero verissima ratio, rerumque Natura*

NOTÆ.

483. *Corporis*] *Corporum*, Gif. et alii.
Ibid. *Gerantur*] *Genantur*, alii: alii, *Regantur*; utrumque vitiose.

484. *Corpora sunt porro, &c.*] Demonstratis jam duobus Naturæ Principiis, Corpore viz. et Inani; et explicata etiam Inanis Natura, de Corpore fusius disputat: Corpora autem dividit in *Simplicia* et *Composita*. Sic Epicurus ad Herodotum, *τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστι συγκρίσεις, τὰ δ' ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται.* Docet insuper v. 20. Corpora ista simplicia, seu Compositorum principia, solidissima esse, perfecte plena, nullum *Inane* continere, ideoque nulla vi dividi aut diffringi posse: fatetur interim opus esse validissimis argumentis, quibus persuaderi possit Corpora aliqua esse perfecte solida et plena, cum Aurum, Æs, Saxa, reliquaque omnia quæ solidissima putamus, porosa esse, et aliis Corporibus pervia sentimus.

487. *Vincunt ea corpore demum*] Quidam Codices,
Evincunt ea corpore damnum.

488. *Credere*] *Forsitan*, Na. Et quidam Codd. *Fors ita* exhibent; monetque Lambinus, si ista lectio admittatur, *ita* debere attribui *solido*.

489. *In rebus*] *In rerum natura*. Fayus, *In rebus ipsis concretis*: et idem dixisset Lucretius, si fuisset Fayus.

491. *Clamor ut, ac voces*] Quidam Codd. *Clamor item ac voces*: Nar. vero, *Clamor ut et vocis*.

492. *Ferventia*] Alii, *Ferventi*. Nihil muto, at si per otium ridere liceat, Nardius ridendi materiam præberet: ille enim suspicatur Poëtam respicere Annibalem Alpes aceto rumpentem.

494. *Glacies æris*] *Glacies acri*, Na. At, ut recte Lambinus, inter Aurum, Argentum, reliquaque Metalla *Glaciei* quis locus? *Glacies æris*, durum et compactum Æs.

496. *Utrumque*] Quidam Codd. *Utrinque*, improbe. Hic multa de calida frigidaque Aqua in vinum olim infundi solita garriunt Interpretes, quæ solis imperitis placebunt.

499. *Naturaque Rerum*] Sup. ut jam est *composita*, Fayus; imperite. In sequenti versu quidam Codd. *Cognita de paucis*; nullo sensu.

500 Cogit, ades, paucis dum versibus expediamus,
Esse ea, quæ Solido atque æterno corpore constent,
Semina quæ rerum, Primordiaque esse docemus;
Unde omnis Rerum nunc constet Summa creata.
Principio quoniam duplex natura duarum
505 Dissimilis rerum longe constare reperta 'st,
Corporis atque Loci, res in quo quæque geruntur;
Esse utramque sibi per se, puramque necesse 'st:
Nam quâcunque vacat Spatium, quod Inane vocamus;
CORPUS eâ non est: quâ porro cunque tenet se
510 Corpus, eâ vacuum nequaquam constat Inane.
Sunt igitur Solida, ac sine Inani Corpora prima.
Præterea quoniam genitis in rebus Inane 'st,
Materiam circum Solidam constare necesse 'st:
Nec res ulla potest vera ratione probari
515 Corpore Inane suo celare, atque intus habere;
Si non, quod cohibet, Solidum constare relinquas.
Id porro nihil esse potest, nisi Materiaï
Concilium, quod Inane queat rerum cohibere.
Materies igitur Solido quæ corpore constat,
520 Esse æterna potest, cum cætera dissolvantur.
Tum porro si nil esset, quod Inane vacaret,

contrarium cuadent, commodum te præbeas et benevolum, dum quædam esse Corpora perfecte solida et indissolubilia, quæ rerum semina et Primordia esse, et e quibus totam mundi fabricam fieri docemus, brevi carmine explicem simul, et probem: Primo igitur quoniam jam constat duas res existere diversæ plane et dissimilis naturæ, Corpus viz. et Inane; necesse est ut et Corpus et Inane per se, vel a se invicem separata mutuo et distincta existant. Quacunque enim patet spatium, ibi non est Corpus; et quacunque Corpus existit, ibi nullum est Inane: Corpora igitur prima sunt perfecte solida, et nullum continent Inane. Deinde quoniam in rebus concretis Inane continetur, necesse est materiam perfecte solidam istud Inane circumambire. Nec unquam quis probare poterit rem aliquam concretam inter particulas suas Inane continere, quin concedat esse aliquod solidum quod contineat: illud autem quod continet Inane nihil aliud esse potest præter concilium primorum Corporum. Materies insuper illa quæ est perfecte solida, indissolubilis et æterna esse potest, dum cætera sint interitui obnoxia. Præterea si nullibi existeret purum Inane,

NOTÆ.

504. *Principio quoniam, &c.*] Jam probaverat duo esse rerum principia dissimilis prorsus naturæ, *Corpus* viz. et *Inane*; ista vero dissimilia per se vel a se invicem separata mutuo, et distincta existere quis neget? Quacunque enim *Inane* est, ibi qui dicit *Corpus* esse absurde dixerit, et vice versa. Unde infert v. 8. Prima Corpora perfecte solida et plena esse, ibi enim existunt ubi nullum est Inane.

507. *Sibi per se*] Arbitror istud *sibi* jungendum esse cum *se*, uti dicebant *meus mihi*, *tuus tibi*, *suus sibi*, *&c.* pro eo qui maxime proprius, et ἰδιαίτατος esset: exempla e Plauto et Terentio peti possunt. *Faber.*

512. *Præterea quoniam, &c.*] V. 7. supponit in rebus concretis, quas *genitas* vocat, varia spatiola inania intermista; et tum adjicit Corpora prima, seu simplicia, esse perfecte solida: congeries enim istorum simplicium corporum inania illa continet, et quid Inane potest continere præter solidum, nisi quis fingat *Inane* posse Inania complecti? Et demum v. 2. monet ista *solida* nulla vi diffringi posse, ideoque indissolubilia esse et æterna.

518. *Inane rerum*] Id Inane quod in rebus genitis est ut v. 512. Gifanius illud Inane in quo res geruntur vel moventur: absurde. Quidam Codd. pro *rerum* habent *tectum*.

521. *Tum porro, &c.*] Alio, v. 8. argumento soliditatem principiorum confirmat;

Omne foret Solidum; nisi contra corpora cæca
Essent, quæ loca complerent, quæcunque tenerent,
Omne, quod est, Spatium vacuum constaret Inane.
525 Alternis igitur nimirum Corpus Inani
Distinctu 'st, quoniam nec Plenum naviter extat;
Nec porro Vacuum: sunt ergo corpora cæca,
Quæ Spatium Pleno possint distinguere Inane.
Hæc neque dissolvi plagis extrinsecus icta
530 Possunt; nec porro penitus penetrata retexi;
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod jam supera tibi paullo ostendimus ante.
Nam neque conlidi sine Inani posse videtur
Quicquam, nec frangi, nec findi in bina secando:
535 Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur.
Et quam quæque magis cohibet res intus Inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.
Ergo, si Solida, ac sine Inani Corpora prima

Universum foret Plenum; et e contra, nisi quædam essent Corpora, quæ spatia ista, quæ occupant, penitus implerent, Totum illud quodcunque est extensum, purum Inane foret. Alternatim igitur Corpus Inani distinctum est, cum Universum non sit omnino Plenum, *nec omnino* Vacuum. *Quædam igitur sunt Corpora quæ spatium* Inane *possunt* Pleno *distinguere. Hæc autem Corpora nullis ictibus extrinsecus impactis diffringi possunt, nec ab ullis rebus inter partes insinuantibus dissolvi; nec ulla alia ratione labefactari, ut jam supra declaravimus. Illud enim quod* Inane *non continet, conlidi, frangi aut in partes findi, dividique non potest; neque humorem, neque frigus, neque penetrabilem ignem, quibus omnia dissolvuntur, admittere: et quanto plus* Inanis *res aliqua intus continet, tanto facilius ab his rebus tentata labefactatur, et dissolvitur. Ideoque si Corpora prima solida sint nullumque Inane,*

NOTÆ.

ut enim, nisi Inane foret, Omne (quod olim absurdum esse demonstraverat) esset Plenum: sic nisi Plenum aliquod foret, ideoque perfecte solidum, Totum quacunque patet universum esset spatium Inane, quod non minus incongruum et absurdum. Huc spectant Epicuri verba apud Plutarchum de Placitis Philos. lib. 1. cap. 3. *ὅτι δέ ἐστιν ἄτομος, σαφές· καὶ γὰρ ἐστι στοιχεῖα ἀεὶ ὄντα, ἐξ ἀπὸ τοῦ παντὸς διαριζόμενα.* Ut emendat Gassendus.

522. *Cæca*] *Certa*, rectius; ut et v. 527.

528. *Pleno*] Recte, ut liquet e v. 526. quoniam vero in MS. cod. nescio quo *pœna* legitur, aliquis legendum conjicit, *Quæ spatium pœna possint distinguere Inanis;* i. e. efficiendo ne sit Inane.

529. *Hæc neque dissolvi, &c.*] Postquam soliditatem Corporum primorum demonstraverat, eorum æternitatem adstruit v. 12. Solida enim sunt perfecte plena, nullum *Inane* continent, ideoque dissolutioni minime obnoxia: omne enim Corpus quod divisibile exsolubileque est, tale est, propter Inane interceptum, partes dissocians, et ingressum præbens virtuti externæ, ad eas sejungendas: id vero quod inexsolubile, indivisibileque est, tale est, quia omnino plenum solidumque, quod nullum Inane habeat, ex quo partium separationem timere possit. Epicurus ad Herodot. definit atomum, *Πλήρη τινὰ φύσιν, καὶ οὐκ ἔχουσαν ὅπη, ἢ ὅπως διαλυθήσεται.*

537. *Quam*] *Quo*, omnes codd. Lambinus tamen multis aliis exemplis monitus *quam* edidit.

538. *His rebus*] *Ictibus hæc*, legit Faber, et addit, se quidem scire esse qui per ista verba (*his rebus*) ignem, humorem, &c. intelligant (Lambinum notat) sed hoc loco agitur de plagis in universum. Ingeniose fateor, at quis non videt *his rebus* aptissime respondere istis verbis v. 536.

—— *Quibus omnia conficiuntur?*

540 Sunt, ita uti docui, sint hæc Æterna necesse 'st.
Præterea, nisi Materies Æterna fuisset,
Antehac ad Nihilum penitus res quæque redissent;
De Nihiloque renata forent quæcunque videmus.
At quoniam supera docui NIL posse creari
545 De Nihilo, neque quod genitu 'st ad Nil revocari:
Esse immortali Primordia corpore debent,
Dissolvi quo quæque supremo tempore possint;
Materies ut suppeditet rebus reparandis.
Sunt igitur Solida Primordia simplicitate,
550 Nec ratione queunt aliâ servata per ævum
Ex infinito jam tempore res reparare.
Denique, si nullam finem Natura parasset
Frangendis rebus, jam Corpora materiaï
Usque redacta forent, ævo frangente priore,
555 Ut nihil ex illis a certo tempore posset
Conceptum, summum ætatis pervadere florem:
Nam quidvis citius dissolvi posse videmus,
Quam rursus refici. Quapropter longa diei

ut probavi, contineant, indissolubilia et æterna sint necesse est. Præterea nisi Corpora prima æterna fuissent, res quæque ad nihilum olim recidissent; illæque omnes, quas videmus, res e nihilo fuissent natæ: cum vero supra demonstraverim, Nihil e Nihilo fieri, et Nihil etiam ad Nihilum reverti, *Corpora prima debent æterna esse, in quæ omnia quæ interierunt dissolventur, ut materia suppetat rebus reficiendis apta. Corpora igitur prima, ut simplicia sunt, sic etiam perfecte* Solida, *et si non essent solida, nullo modo per infinitum, quod effluxit, tempus integra mansissent, aut res pereuntes instaurassent. Denique si nullum terminum rebus dissolvendis natura statuisset, materiæ particulæ per tempus, quod præteriit, perpetuo fractæ, ad tam usque exilitatem redactæ forent, ut nihil ex illis compactum maturesceret, summumque ætatis florem stato tempore attingeret: citius enim Res quælibet dissolvitur quam reficitur. Ideoque quod per*

NOTÆ.

541. *Præterea nisi, &c.*] Alio v. 11. pugnat argumento e communi illo Epicuræorum effato, *De Nihilo Nihil*, et *in Nihilum Nihil*, deducto. Si enim prima rerum semina interirent seu dissolverentur, in Nihilum reciderent: nulla enim sunt priora *Primis* principia in quæ resolvi possint: ideoque res quotidie natæ e nihilo orirentur. Æterna igitur esse semina, vel res e *Nihilo* oriri, quo nihil absurdius dici posse philosophi crediderunt, concedatur necesse est. Epicurus ad Herodotum, ταῦτα δὲ τὰ σώματά ἐστιν ἄτομα, καὶ ἀμετάβλητα, εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι. Versu autem 549. et duobus sequentibus, hanc Principiorum immortalitatem solidæ istorum simplicitati deberi breviter ostendit.

543. *Nihiloque renata*] *Quæsitu*, B. Na. vitiose. Quidam, *Nihilo quoque nata*. Alii, *Nihiloque creata*. Gassendus, *reducta*.

552. *Denique si nullam, &c.*] Iterum v. 14. monet rerum omnium incremento statutum esse certum et definitum tempus; ideoque semina e quibus istæ res augentur certæ esse molis, indissolubilia etiam, nec frangi posse: aliter enim per infinitum illud, quod abiit, tempus, fracta et dissipata in tam exiles minutias redacta fuissent, ut nullis unquam, ideoque non paucis annis reficerentur, et in molem coalescerent. Et hæc omnia agnoscet qui res citius dissolvi quam refici posse cogitat.

556. *Florem*] *Finem*, G. Lamb. aliique; istamque etiam vocem Fayus, qui aliorum errores semper approbat, tuetur: at *finem* vel prorsus enervat argumentum, vel saltem infirmius reddit, et obscurius. *Flos ætatis*, ἀκμὴ, justus perfectusque vigor.

558, 559. *Longa diei Infinitæ ætas*] Faber legit, *Longa dies, et Infinita ætas*, et hanc emendationem hujus libri, v. 234.

Infinita ætas consumse, intacta diesque.

egregie confirmat.

Infinitæ ætas anteacti temporis omnis
560 Quod fregisset adhuc, disturbans, dissolvensque,
Id nunquam reliquo reparari tempore posset:
At nunc nimirum frangendi reddita finis
Certa manet: quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita simul generatim tempora rebus
565 Stare, quibus possint ævi contingere florem.
Huc accedit, uti Solidissima materiaï
Corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiant, Aër, Aqua, Terra, Vapores,
Quo pacto fiant, et qua vi cunque genantur,
570 Admistum quoniam simul est in rebus Inane.
At contra, si Mollia sint Primordia rerum,
Unde queant validi silices, ferrumque creari,
Non poterit ratio reddi. Nam funditus omnis
Principio fundamenti Natura carebit.
575 Sunt igitur Solidâ pollentia simplicitate,
Quorum condenso magis omnia conciliatu
Arctari possunt, validasque ostendere vireis.
Denique jam quoniam generatim reddita finis

Infinitum tempus præteritum diffractum et disjectum fuit, in futuro tempore nunquam reficeretur. Jam vero certum esse terminum frangendis rebus a natura positum colligimus, quoniam videmus res refici, easque etiam finito singulis generibus stato tempore ætatis suæ florem attingere. Observes insuper, quod licet Corpora prima sint perfecte solida, possunt res molles, v. g. aër, aqua, terra, ignis, ex iis componi, quoniam est Inane rebus admistum. E contra vero si Corpora prima essent mollia, unde duri silices ferrumque oriretur nemo dixerit: natura enim non haberet principia firma satis et rigida. Sunt igitur Corpora prima pure et perfecte solida, quæ quo arctius densiusque conjunguntur eo rigidiores et duriores res fiunt. Denique quoniam terminus

NOTÆ.

561. *Id nunquam reliquo*] Libri vet. *nunquam relliquo*.

566. *Huc accedit uti, &c.*] Atomorum solliditatem v. 12. confirmat. Quia enim manifestum est esse in rerum natura Corpora *dura* ac *mollia*, declarat, si principia quidem assumantur *Solida*, posse ex illis fieri non modo res duras, ut perspicuum est, verum etiam molles; quoniam quod concrescit ex ipsis mollescere poterit ex intermistione *Inanis*. Sin autem *Mollia* supponantur, tum poterunt quidem res effici *molles*; at nulla ratio suberit cur possint dici *duræ* effici; soliditate viz. quæ est fundamentum duritiei, nulla extante. *Gassendus*.

569. *Qua vi cunque genantur*] *Quæque gerantur*, Nat. *Gerantur*, Gif. et Pa. amant. *Genantur* tuetur Lambinus. Totum vero hunc versum tanquam importunum, et malæ fidei possessorem ex hoc loco amovendum esse censeo: at siquis retineat cum Lambini explicatione abeat contentus. Hæc enim ille. Quocunque modo fiant, et quacunque vi gignantur illa, nempe aër, aqua, terra, vapores; proinde quasi dicat, non est enim hujus loci docere, quomodo ex primordiis *Solidissimis* fiant aër, aqua, et cætera *mollia*.

573. *Omnis*] *Omni*, G. P. recte.

578. *Denique jam quoniam, &c.*] His v. 15. aliam subjicit rationem Lucretius ductam ex multiplici naturæ constantia, ut in provehendis semper animantibus ad certas usque virium incrementi, ac vitæ metas, in imprimendis semper iisdem singulorum generum discriminibus et notis; quæ præstitura sane non esset, nisi principiis uteretur certis, et constantibus, atque adeo dissolutioni, mutationique non obnoxiis. Unde enim seminibus quotidie mutatis ista tam pertinax constantia, profecto non eadem hominibus, aliisque animalibus constaret forma: quædam immen-

Crescendi rebus constat, vitamque tuendi,
580 Et quid quæque queant per fœdera Naturaï,
Quid porro nequeant sancitum quandoquidem exstat;
Nec commutatur quicquam, quin omnia constant
Usque adeo, variæ volucres ut in ordine cunctæ
Ostendant maculas generaleis corpori inesse:
585 Immutabile materiæ quoque corpus habere
Debent nimirum. Nam si Primordia rerum
Commutari aliqua possent ratione revicta,
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoïque
590 Quanam sit ratione, atque alte terminus hæreat;
Nec toties possent generatim sæcla referre
Naturam, motus, victum, moresque parentum.
Tum porro, quoniam extremum cujusque cacumen
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus
595 Jam nequeunt; id nimirum sine partibus exstat,
Et Minima constat natura; nec fuit unquam
Per se secretum, neque posthac esse valebit;
Alterius quoniam est ipsum pars, primaque, et ima:

crescendi, atque vivendi, pro diversis suis generibus cunctis rebus certus constituatur, et naturæ legibus statutum sit quid quæque res possunt, quid non possunt; cum etiam nihil mutetur, cum certus sit rerum ordo, et ita omnia eundem tenorem servent, ut varia avium genera peculiares quasdam colores et sibi proprios constanter habeant; necesse est componi e Corporibus primis Immutabilibus. Si enim prima Corpora aliqua ratione mutari possint, incertum jam foret quid oriri possit, quid non possit; qua etiam ratione quodcunque est finitam habeat potestatem, hæremque potentiæ in ipsa ipsius rei natura positum. Nec animalia pro diversis suis generibus naturam, motus, victum, moresque parentum, tam constanter repræsentarent. Præterea cum extremus cujusque Corporis apex est aliquod quod nostri oculi videre non valeant, id profecto nullas habet partes, et Minimum *est, nec unquam extitit, nec olim unquam existet ab omnibus aliis separatum, quoniam est pars prima ultimaque rei alterius;*

NOTÆ.

sis viribus et longævitate fruerentur, dum alia ejusdem generis pusilla nimis essent, et brevissimæ ætatis: frequenter albos corvos, et aliquando nigros cygnos videremus.

579. *Tuendi*] Quidam libri, *tenendi*.

582. *Quin*] Alii, *quando*: non probo.

584. *Generales*] Quidam legi volunt *genitales*.

Ibid. *Corpori inesse*] *Corpore esse*, Gifanius. Sed iste hiatus nimis deperit.

592. *Victum*] Sic Codices; at *vultum* non incommode substituatur.

593. *Tum porro, &c.*] Alio v. 16. utitur argumento, subtili equidem, et quod pauci perceperint; *semina* secundum Epicurum sunt aliqua quantitate prædita, quod vero quantum est, *Extremum* habet; id autem Extremum *Minimum* est quod potest concipi; neque unquam existit ab aliis partibus sejunctum et separatum, atque ex istis *Minimis* tota cujusque *Seminis* moles constituitur. Cum vero partes constituentes a se invicem separatæ existere nequeant, a se invicem divelli non possunt: quodcunque enim corpus ab alio disjungi potest sine illius ope et auxilio suum *Esse* tueri valet. Ideoque quodlibet *Semen* simplex necesse est, et indissolubile; quoniam constat partibus conceptu minimis, et quas nulla vis potest disjungere, quoniam nulla est vis quæ in Nihilum valeat redigere: *In Nihil* enim *Nihil*.

593. Alii legunt,
Quoniam est extremum quodque cacumen
Corporis illius quod nostri, &c.

598. Alii legunt,
Alterius quoniam est ipsum: primæ quoque et imæ.

Inde aliæ, atque aliæ similes ex ordine partes
600 Agmine condenso naturam Corporis explent.
Quæ quoniam per se nequeunt constare, necesse 'st
Hærere, ut nequeant ulla ratione revelli.
Sunt igitur Solidâ Primordia simplicitate,
Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte;
605 Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia Simplicitate:
Unde neque avelli quicquam, neque diminui jam
Concedit Natura, reservans semina rebus.
Præterea, nisi erit Minimum, Parvissima quæque
610 Corpora constabunt ex partibus Infinitis:
Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla.
Ergo rerum inter summam, minimamque, quid escit?
Non erit ut distent: nam, quamvis funditus omnis
615 Summa sit Infinita, tamen, Parvissima quæ sunt,
Ex Infinitis constabunt partibus æque.
Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque

et partes aliæ huic plane pares seriatim conjunctæ Corpus constituunt. Quæ partes quoniam per se et separatim nequeant existere, ita sibi invicem hærere debeant, ut nulla vi distrahi et divelli possint. Corpora igitur prima solida simplicitate gaudent, cum constant e partibus Minimis arctissime unitis, non compacta ex principiis variis in cœtum coeuntibus, sed potius indissolubili puraque simplicitate pollentia; unde nihil avelli aut deteri permittit natura, reservans rebus producendis et reparandis semina. Præterea, nisi foret Minimum, *parvissima quæque Corpora partes Infinitas continerent, dimidia enim pars semper haberet dimidiam partem, et sic in infinitum: quænam igitur esset inæqualitas inter rem maximam et minimam? Nulla omnino foret: licet enim Universum sit infinitum, res tamen parvissima infinitas partes pariter continebit. At cum vera ratio repugnet, nec permittat*

NOTÆ.

600. *Agmine*] *Augmine*, alii.

602. *Ut nequeant ulla*] Recte conjecit Lambinus, nec eos audio qui scribunt, *Unde queant nulla*.

607. *Jam*] *Quid*, Gif. alii.

609. *Præterea nisi erit Minimum, &c.*] Modo statuerat semina ex partibus conceptu minimis componi; talia vero minima esse v. 13. notissimo illo, quo omnes fere philosophi utuntur, argumento confirmat. In his versibus explicandis non tam interpretis quam patroni partes agit Gassendus, et Lucretii sententiam corrigit et emendat, potius quam explicat. Siqua enim sit in hoc argumento vis, siquid ipsa verba valeant, *Minima* hæc, e quibus sua principia componit, Lucretius plane *Mathematica* esse voluit,

Quæ nullis jam prædita partibus extent: Ver. 619. Semina enim Epicuri magnitudine, et figura, ideoque partibus prædita esse quis dubitat nisi qui in illius philosophia hospes sit, neque Epicurum, περὶ γωνίας Ἀτόμου scripsisse noverit? Hoc igitur voluit Lucretius; semina prima sunt indissolubilia et æterna, non quia partibus carent, sed quia perfecta soliditate pollentia nulla vi diffringi, aut divelli possint: si vero quis roget; quales sunt istæ partes e quibus semina prima tanquam composita concipiuntur? Resp. Eas nullas habere partes, et esse Mathematicas; nisi enim talia minima darentur, nulla esset inter rem maximam et minimam inæqualitas, quoniam utraque res infinitas partes pariter contineret; ideoque utraque esset infinita. Epicurus, Epist. ad Herodotum, οὐ δεῖ τοιζῶν ἐν τῷ ὡρισμένῳ σώματι ἀπείρους ὄγκους εἶναι, οὔτε γὰρ σαφῶς, ἐπειδὰν ἄπαξ τις εἴπῃ ὅτι ἄπειροι ὄγκοι ἐν τινὶ ὑπάρχουσιν, ἐστὶ νοῆσαι πῶς ἂν ἔτι πεπερασμένον τοῦτο εἴη τὸ μέγεθος.

613. *Escit*] Seu *escet*; ut Festus, *obescet* pro *oberit*; seu *esit* ut veteres pro *Erit*; et hanc lectionem probat sequens versus: alii, *esset*.

Credere posse animum, victus fateare necesse 'st,
Esse ea, quæ nullis jam prædita partibus exstent,
620 Et Minima constent natura. Quæ quoniam sunt,
Illa quoque esse tibi Solida, atque Æterna, fatendum.
Denique, ni Minimas in parteis cuncta resolvi
Cogere consuêsset rerum Natura creatrix,
Jam nihil ex illis eadem reparare valeret:
625 Propterea, quia, quæ multis sunt partibus aucta,
Non possunt ea, quæ debet Genitalis habere
Materies, varios Connexus, Pondera, Plagas,
Concursus, Motus, per quæ res quæque geruntur.
Porro, si nulla 'st frangendis reddita finis
630 Corporibus, tamen ex æterno tempore quædam
Nunc etiam superare necesse 'st Corpora rebus,
Quæ nondum clueant ullo tentata periclo:
At quoniam fragili natura prædita constant,
Discrepat æternum tempus potuisse manere

animum tam absurda amplecti, necesse est ut hoc argumento impulsus fatearis esse ea Corpora quæ nullas habent partes, et quæ Minima *plane sunt. Si vero talia concedas, illa etiam solida esse atque æterna fateberis. Præterea nisi natura rerum effectrix causa res omnes pereuntes in Minima semper dissolveret, nihil ex iis reparare posset; ea enim Corpora quæ habent partes, et non sunt Minima, non possunt habere eas affectiones, quas rerum semina habere debent, varios viz. connexus, gravitatem, ictus, concursus, et motus, sine quibus nullæ res produci possunt. Insuper, supponamus nullum frangendis Corporibus finem a natura statutum esse, concedendum tamen est quædam existere Corpuscula ab æterno indissoluta et infracta: at si omnia Corpora fragili essent natura, aut dividi frangique possent, nemo crederet ista integra manere potuisse,*

NOTÆ.

618. *Credere posse animum, victus*] Recte, dum alii legant,
Credere posse animi, victus, &c.

622. *Denique, ni minimas, &c.*] Explicata de *Minimo Mathematico* sententia, ad *Minimum* suum *Physicum* redit Poëta, quod propter soliditatem, non vero propter exilitatem indissolubile fingit, et æternum; quod v. 7. iterum confirmat: nisi enim ad extremam resolutionem natura perveniret, nisi omnes, etiam minutissimas, moleculas explicaret, inepta foret rerum materies innumeris illis quibus debet subjici mutationibus, atque formis; moleculæ enim ex variis partibus connexæ, et Inane inter se, ex sententia Epicuri, continentes, non æquabili pondere, non uniformi motu donarentur; aliorum ictibus maligne obsequerentur, ideoque minime connecti possint.

622. *Denique ni*] Ita sententia ipsa postulante edidit Lambinus. *Denique si*, Nardius, Gifanius, Par. quos omnes merito negligimus; reclamat enim v. 625.

625. *Quæ multis*] Recte Lambinus contra omnes libros: Codd. *Quæ nullis;* vitiose. Gif. Par. *Quæ ullis:* quos qui sequitur, Lucretium, et sensum communem deseret.

628. *Geruntur*] *Genuntur*, Lambinus, Gassendus, eamque lectionem contra Gifanii et Parei strepitus v. 626. probe defendit, et tuetur.

629. *Porro, si nulla est*] Ultimum, quo utitur, argumentum v. 7. jam probatis nititur. Olim demonstraverat, vel semina quædam ab æterno indissoluta et infracta esse, aut nullas res omnino nasci, vel e nihilo oriri potuisse: Res nasci ipsi sensus demonstrant, et Nihil e Nihilo oriri fatentur omnes; si vero nullum esset *Solidum* quod frangi et dissolvi nequeat, ubi inveniremus Corpora illa ab æterno indissoluta, et infracta? Cum enim fragiles moleculæ infinitis occursibus ictibusque obnoxiæ sint, fieri non potest, ut tam diuturno tempore non sint exsolutæ.

629. *Porro si nulla est, &c.*] Hi 7 versus non inveniuntur in B. v. 630. pro *Tempore* Fayus legit *Corpore;* et pro *Quædam*, alii, *Quæque:* utrumque imperite.

635 Innumerabilibus plagis vexata per ævum.
Quapropter, qui Materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni Summam consistere solo,
Magnopere a vera lapsi ratione videntur.
HERACLITUS init quorum dux prælia primus,
640 Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graveis inter Graïos, qui vera requirunt.
Omnia enim Stolidi magis admirantur, amantque,
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt;
Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt
645 Aureis, et lepido quæ sunt fucata sonore.
Nam cur tam variæ res possent esse, requiro,

cum per infinitum tempus innumerabilibus ictibus percussa forent. Quapropter illi philosophi qui docuerunt Ignem *esse rerum principium, et Universum ex solo* Igne *consistere, videntur plurimum errare. Hujus vero opinionis præcipuus fautor est* Heraclitus, *philosophus ille, quem vani ineptique Græci, non vero graves et docti, et qui veritatem investigant, propter obscuram dictionem admirantur. Inepti enim maxime suspiciunt amantque illa quæ sub obscuris vocibus teguntur, et pro veris ista habent quæ concinne composita, et grato et tinniente sono veluti fucata aures delectant. Unde enim ista rerum varietas,*

NOTÆ.

636. *Quapropter, qui, &c.*] Positis et stabilitis Epicuri principiis, aliorum sententias convellit; et omnia argumenta in duo distribuens capita, impugnat primum eos, qui *elementum unicum*, ac deinde eos qui *plura* assumunt: inter priores deligit Heraclitum, v. 70. qui Ignem constituerit; reputat nempe quicquid contra illum argumentatus fuerit, contra cæteros valiturum; quandoquidem nihil opponi adversus ignem valeat, quod non pari jure et de aëre, et de quolibet alio concludatur. Et certe ad rem attendenti illa opinionum varietas merus esse ludus videtur; quatenus cum earum authores diversa supponant, circulatione tamen utuntur, qua in idem cadant recidantque omnes. Sortiatur enim quis elementum quodcunque tandem lubuerit, is nihil aut minus consequatur, aut amplius, quam quivis alius, a quo aliud occupatum fuerit; siquidem uno habito, illud condensans ac rarefaciens statim habebit cætera; adeo ut nihil plane intersit, sive hoc sive illud primum usurpetur. *Gassendus.*

639. *Heraclitus*] Blythonis, vel Heracionis filius Ephesi natus circa LXIX Olympiad. floruit: *ἔδοξεν αὐτῷ πάντα ἐκ πυρὸς συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι.* Laërtius.

640. *Ob obscuram linguam, &c.*] *De industria, et consulto occulte dixit Heraclitus.* Cicero de Finibus, lib. 2. et in 3. de Nat. Deor. *Intelligi noluit:* inde *σκοτινὸς, tenebricosus*, dictus. Author Homericarum Allegoriarum; Ὁ γοῦν Σκοτινὸς Ἡράκλειτος ἀσαφῆ, καὶ διὰ συμβόλων αἰνίζεσθαι δυνάμενα θεολογεῖ τὰ φυσικά, &c. Menagius ad Laertium Vit. Heracliti. Naturam viz. imitabatur; Φύσις γὰρ καθ' Ἡράκλειτον κρύπτεσθαι φιλεῖ. *Themistius*, Orat. xii.

Ibid. *Inaneis*] Obscurus enim hic scriptor, et qui intelligi noluit, multos habuit interpretes, sectatores etiam plurimos, Ἡρακλειτίους dictos. Laertius, Vit. Heracliti.

641. *Quamde*] *Quam. Quamde* pro *Quam* usos esse antiquos, cum multi veteres sunt testimonio, tum est Livius,

Quamde tuas omnes legiones ac populares.

Tum Lucretius,

Clarus ob obscuram linguam magis inter Inanes,
Quamde graves inter Graïos.

Festus.

Nardius vero legit, *Quamde* Graiis inter, &c. imperite.

643. *Inversis quæ sub verbis*] *Inversa verba*, inflexa et tropo immutata; *inversi mores* apud Horatium, mores a recta virtutis norma deflectentes. *Immersis*, Gassendus.

645. *Fucata*] Audax translatio, sed tam egregiæ audaciæ quis non indulgeat?

646. *Nam cur tam variæ, &c.*] Primum v. 10. contra Heraclitum proponit argumentum. Concipi non potest quomodo tanta varietas rerum, imo quomodo unica res varietate quadam partium prædita, ex uno quodam simplici ac uniformi principio constet: Esto *Ignis*, at nisi quidpiam aliud admisceas, nihil unquam habebis præ-

Ex vero si sunt Igni, puroque creatæ?
Nil prodesset enim calidum denserier Ignem,
Nec rarefieri, si partes Ignis eandem
650 Naturam, quam totus habet super Ignis, haberent:
Acrior Ardor enim conductis partibus esset;
Languidior porro disjectis, disque supatis.
Amplius hoc fieri nihil est, quod posse rearis
Talibus in causis; nedum variantia rerum
655 Tanta queat densis rarisque ex Ignibus esse.
Atque Hi si faciant, admistum rebus Inane,
Denseri poterunt Ignes, rarique relinqui:
Sed, quia multa sibi cernunt contraria, mussant,
Et fugitant in rebus Inane relinquere purum, et,
660 Ardua dum metuunt, amittunt vera viaï:
Nec rursum cernunt exempto rebus Inani,
Omnia denseri, fierique ex omnibus unum
Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim,

si ex solo simplicique igne omnia creata sint? Non enim hanc varietatem efficeret condensatio aut rarefactio Ignis, si modo partes ignis ejusdem sint naturæ cum toto cujus partes sunt; condensato enim Igne (i. e. constipatis Ignis partibus) intensior fit calor, rarefacto autem (i. e. disjunctis et separatis ignis partibus) remissior. Nihil aliud oriri posse quis concipiat, ideoque multo minus tantam rerum varietatem ex condensatis et rarefactis Ignibus produci. Hi insuper philosophi, si Inane *rebus admistum concederent, tum Ignem condensari et rarefieri posse haud inepte supponerent: quia vero hanc opinionem multis difficultatibus laborare sentiunt, affirmare non audent, Inane esse asserere non sustinent, et dum difficilem metuunt, veram Philosophiæ viam non ingrediuntur: nec insuper intelligunt Inani e rebus sublato res cunctas constipari, omniaque corpora in corpus unum coalescere, quod nihil ex se cum impetu emittere valeret,*

NOTÆ.

ter *Ignem*: quoniam quomodocunque tandem partes illius transmutatæ, commistæque inter se fuerint, perinde semper futurum sit propter eandem omnium naturam. Et ne evadat condensationis rarefactionisque beneficio, (ἀραιώσει καὶ πυκνώσει ἐν τῷ πυρὸς πάντα, Laertius vit. Heracliti) monet, intelligi quidem posse ex condensatione partium calidarum *Ignis* evadere quidpiam calidius, ex rarefactione quidpiam minus calidum; at evadere frigidum, imo et frigidissimum, qualia in rerum natura multa experimur, qui intelligi possit?

647. *Ex vero*] *Ex uno*, Lambinus.

650. *Totus habet super Ignis*] Ita codices: *super*, i. e. *superior*, Lambinus; et hæc interpretatio forsan admitti potest ex v. 781. At *totus*, ne quid tale putet Faber, efficit. Hæc ille: existimo hoc loco *super* esse adverbialis formæ, ita ut *Totus super Ignis, sit reliquus ignis*, seu alii igues: exemplum cuperes, en tibi, nec longe abeo; Virgil. Æneid. 3.

O mihi sola mei super Astyanactis Imago; Imago quæ reliqua es. Servius vero ad Virg. *Super*, valde, vehementer. Alii legunt *suus*, et ista vox non incommode respicit *partes* in v. 649.

652. *Disque supatis*] *Et dissipatis*: aliquando Lambinus legit, *Disque paratis*. Cæsar de Bello Gallico, *Disparandos*, et ad suos diducendos curaret.

656. *Atque* Hi *si faciant*] Instat, v. 10. Physicos Heracliti fautores ad condensationem et rarefactionem Ignis confugere non posse, prout *Inane* non admittunt, sine quo nihil rarum fiat aut densum, ut supra demonstraverat v. 396. Aliqui legunt *Id quoque si faciant*.

658. *Mussant*] Recte Lambinus, et ibi verbum aliquod debere esse id vinculum orationis, *et* probat: *et fugitant*. Negligamus autem illos qui amant *Multi: contraria esse, contraria inesse*; vel *amusæ*, ἄμυσα. *Mussant*] Nævius: *Odi* Summussos, *proinde aperte dice quid fit*. Terentius, *mussare* pro *tacere* posuit; *Sile, cela, occulta, tege, tace*, mussa. Festus in voce *Summussi*.

663. *Raptim*] Alii, *raptis*: *Ab se raptis*: id est, Ab se constipatis. Alii, *natum*.

Æstifer Ignis uti lumen jacit, atque vaporem:
665 Ut videas non e stipatis partibus esse.
Quod si forte ulla credunt ratione potesse
Igneis in cœtu stingui, mutareque corpus;
Scilicet ex ulla facere id si parte reparcent,
Occidet ad Nihilum nimirum funditus Ardor
670 Omnis, et ex Nihilo fient quæcunque creantur.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante:
Proinde aliquid superare necesse 'st incolume olli,
Ne tibi res redeant ad Nilum funditus omnes,
675 De Nihiloque renata virescat copia rerum.
Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam
Sunt, quæ conservant naturam semper eandem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, et convertunt corpora sese;

ut ardens Ignis lucem emittit et calorem; unde apparet illum non e partibus penitus, et sine intermixto Vacuo, stipatis, constare. At vero si credant Ignes cum coëant, ullo modo extingui posse, igneamque naturam deponere, si inquam id omnino fieri affirmant, in Nihilum penitus recideret iste omnis Ignis, et res, quæ producuntur, e Nihilo orirentur; illud enim, cujus natura mutatur, desinit esse id quod ante fuit: in omni autem rerum dissolutione debet aliquid superesse integrum et illæsum, vel res in Nihilum reciderent, et e Nihilo productæ vigerent. Jam vero cum sint quædam corpuscula, quæ eandem semper servant naturam, et quorum discessu, aut conventu, aut mutato ordine, rerum concretarum naturæ mutantur,

NOTÆ.

Alii, *raptum*. Sed *raptim* sequenti versui maxime convenit.

666. *Quod si forte ulla, &c.*] Porro quia posset quoddam patere effugium, si quis diceret Ignem extingui, et converti in aliud Corpus, eapropter urget v. 10. fieri id non posse, nisi admittatur abire Ignem in Nihilum: quia res simplex et inconcreta, quale debet esse illud elementum, si prima quidem, et unica rerum materies fuerit, mutari non potest, quin omnino pereat. Nam res quidem composita sic mutari potest, ut desinens esse quod erat, relinquat partem superstitem, quæ, veteri statu amisso, novum subeat; verum quod incompositum est, naturam suam deperdere, quin plane intereat, non potest.

666. *Potesse*] *Posse*. Lucilius in lib. 5.

Nam si quod satis est homini id satis esse potesset,
Hoc sat erat; nunc cum hoc non est, qui credimus' porro
Divitias ullas animum mi explere potesse?

667. *Stingui*] Alii, *stringi*; imperite.

Ibid. *Mutareque*] Alii, *massareque*, i. e. *solidare* et *constringere*: at *mutare* probabit qui v. 671. legit.

668. *Reparcent*] Alii, *reportent*. Alii, *receptent*. *Reparcent*, Codd. *Reparco* autem eandem habet vim propter illud suum *re*, quam multa alia verba ut *relino*, *refigo*; nam *relino* non est iterum lino, sed id quod erat litum detergo: at Latine *Parco id dicere* significat *nolo dicere*; itaque *reparco facere* significat *libenter facio*, aut quid tale.

673. *Proinde aliquid superare, &c.*] V. 18. concludit, si extincto Igne generari quidpiam debeat, necessarium esse ut supersit aliquid quod deperdita Ignis forma rei istius generatæ formam induat: perspicuum est autem hoc esse communem materiam, quam Lucretius supponit esse incorrupta Corpuscula, quæ adjectione, detractione, transpositione sui varia, nunc formam Ignis, nunc alicujus aliûs rei exhibere valeat. Quod autem illa Ignea ex natura sua non sint, merito arguit ex eo, quod additio, detractio, transpositio nihil operaretur; cum ex ipsa Ignis natura remanente incolumi nihil fieri præter Ignem posset. Deinde sententiam Epicuri exponit; quædam viz. Corpuscula nulla forma, quam sensus percipere valeant, prædita, rerum esse principia, et ex iis diversimode coëuntibus tam Ignes, quam reliqua omnia oriri.

680 Scire licet non esse hæc Ignea corpora rerum.
Nil referret enim quædam decedere, abire,
Atque alia attribui, mutarique ordine quædam,
Si tamen Ardoris naturam cuncta tenerent:
Ignis enim foret omnimodis, quodcunque crearent.
685 Verum, ut opinor, ita 'st: sunt quædam Corpora, quorum
Concursus, Motus, Ordo, Positura, Figuræ,
Efficiunt Ignes, mutatoque ordine mutant
Naturam; neque sunt Igni simulata, neque ullæ
Præterea reii, quæ corpora mittere possit
690 Sensibus, et nostros adjectu tangere tactus.
Dicere porro Ignem res omneis esse, neque ullam
Rem veram in numero rerum constare, nisi Ignem,
Quod facit HIC IDEM, perdelirum esse videtur.
Nam contra Sensus ab Sensibus ipse repugnat,
695 Et labefactat eos, unde omnia credita pendent;
Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat Ignem.
Credit enim Sensus Ignem cognoscere vere,
Cætera non credit, nihilo quæ clara minus sunt:
Quod mihi cum vanum, tum delirum esse videtur.

certi esse possumus hæc corpuscula non esse Ignea. Nihil enim referret quædam decedere, alia advenire, quorundam etiam ordinem mutari, si modo cuncta naturam haberent Igneam; quodcunque enim ex Igne nasceretur omnino esset Ignis. Ita vero secundum meam sententiam se res habet; sunt quædam corpora quorum concursus, motus, ordo, situs, et figuræ Ignes constituunt, et quæ mutato suo ordine mutant naturam Ignis; hæc autem corpora habent neque naturam Ignis, neque alicujus ullius rei, quæ ex se queat emittere corpuscula, et istorum adjectu sensuum nostrorum organa movere: (i. e. quæ sensibus percipi possint.) Denique affirmare res omnes esse Ignem, nihilque esse in tota rerum summa præter Ignem, quod hic idem Heraclitus *affirmat, ineptissimum videtur: sensuum enim ope contra sensus utitur, et illorum fidem evertit quibus solis tuto credimus, et a quibus hunc, quem vocat, Ignem existere fit certus. Credit enim sensus vere percipere Ignem, alia vero non putat, quæ tamen sensibus non sunt minus obvia quam ipse Ignis; quod mihi vanum videtur et ineptum:*

NOTÆ.

681. *Abire, atque alia*] Alii legunt, *Adire, atque alio.*

683. *Si tamen*] Ita Lambinus ex quibusdam codd. Alii codd. *Si tantum;* unde alii, *si tandem*, libenter legunt.

684. *Omnimodis*] Quidam amant *omnimodus:* aliique *unimodus* non rejiciendum censent.

691. *Dicere porro Ignem, &c.*] His 11. v. criterium sensus advocat, ut non constare omnia ex ignea natura confirmet, fatetur Heraclitus Ignem sibi ope sensuum notum esse: monet Lucretius, sensus non minus percipere plura alia diversæ omnino ab Igne naturæ, quam ipsum Ignem; eandem autem semper, aut nullam unquam fidem sensui adhibendam esse; et deinde Epicuri sententiam de criterio breviter exponit.

692. *Rem veram*] *Naturam.* Quippe istud concoqui non potest, *Nulla res vera in numero rerum constat.* Faber; delicias stomachi! *Res veras* nos jejuni non contemnimus. Res aliquas præter Ignem *apparere* nunquam negavit Heraclitus, at *Esse* nunquam concessit: hanc opinionem convellit Lucretius, ideoque probare debuit Res esse *veras*, et quas sensus *vere* cognoscant, v. 697.

694. *Nam contra sensus ab sensibus*] Sic hunc locum explicandum puto; pugnare, seu stare ab aliquo, est pugnare pro aliquo, partes alicujus tueri, &c. Heraclitus autem qui sensus esse certos dicebat, planissime contra sensus agebat, cum diceret omnia esse Ignem; nam id si verum foret, sensus nostri Ignem sentirent, quem tamen in pomo, marmore, ligno, &c. non sentiunt. *Faber.*

700 Quo referemus enim? Quid nobis certius ipsis
Sensibus esse potest, quo vera ac falsa notemus?
Præterea, quare quisquam magis Omnia tollat,
Et velit Ardoris naturam linquere solam,
Quam neget esse Ignis, Summam tamen esse relinquat?
705 Æqua videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter qui Materiem rerum esse putârunt
Ignem, atque ex Igni Summam consistere posse;
Et qui principium gignundis Aëra rebus
Constituêre; aut Humorem quicunque putârunt
710 Fingere res ipsum per se; Terramve creare
Omnia, et in rerum naturas vertier omneis;
Magnopere a vero longeque errâsse videntur.
Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
Aëra jungentes Igni, Terramque Liquori;

cui enim fidemus, et a quo certius quam ab ipsis sensibus vera et falsa cognoscemus? Deinde, cur aliquis reliqua omnia quæ apparent negaret esse, et solum Ignem existere assereret, potius quam Ignem non esse, omnia vero alia esse affirmare sustineret? Par enim dementia utrumque asserere. Quapropter qui Ignem esse rerum Principium, et Universum ex Igne constare crediderunt, qui ex Aëre omnia fieri tradiderunt, aut putârunt Aquam esse unicum rerum Principium, aut Terram constituere omnia, et in omnes rerum naturas verti posse, plurimum mihi videntur a vero aberrasse. Ut et illi etiam qui duo elementa statuunt rerum Principia, Aërem viz. et Ignem, aut Terram et Aquam,

NOTÆ.

701. *Quo*] *Qui*, Gifanius.

702. *Præterea, quare quisquam, &c.*] V. 4. supponit, Si aquam, si alia tam multa inspexerimus, tetigerimusve, aliam plane nobis naturam apparituram, quam Ignem; unde docet non esse majorem rationem, cur asseramus omnia esse Ignem, quam negato Igne quidvis aliud. *Gassendus.*

706. *Quapropter qui Materiem, &c.*] Denique v. 7. tam de Igne, quam de quovis alio singulari elemento, de quo eadem dici proportione valeant, concludit; omnes viz. delirant qui vel ignem, ut Heraclitus, vel aëra, ut Anaximenes Milesius, vel aquam, ut Thales Milesius, vel terram, ut Pherecydes, rerum omnium principium statuerunt.

712. *Longeque errâsse*] *Longe deerasse*, quidam codd. et an hoc sit verius adhuc dubitat Gifanius.

713. *Adde etiam, qui conduplicant, &c.*] Inter posteriores Empedoclem deligit, v. 116 adversus quem quatuor elementa asserentem quicquid objicit, etiam adversus cæteros, duo, vel tria asserentes intelligi objectum potest. Nimirum si ne quatuor quidem sunt reputanda sufficere, longe minus pauciora sufficient; non sufficere autem quatuor, imo et longe plura corporum genera, ad tantam rerum varietatem, quanta in mundo cernitur, ex infra dicendis clarius percipietur. Interea vero concipere potes, uti ex una litera non nisi unam faciem habes, ut *A*; ex duabus, nisi duas, *Am*, *Ma*; ex tribus, nisi sex, ut *Amo*, *Aom*, *Mao*, *Moa*, *Oam*, *Oma*; ex quatuor, nisi viginti quatuor, ut *Amor*, *Amro*, *Mora*, *&c.* ita ex uno corpore simplici, quantumvis versetur, non posse unquam fieri nisi unum, ex duobus commistis nisi duo, hoc est, unum compositum, quod prout erit rarius aut densius, aut habebit amplius ex uno, quam ex altero, ad unius magis, quam ad alterius naturam accedat; ex tribus pari ratione, nisi sex; ex quatuor, nisi viginti quatuor. Et commuta situs, commuta gradus, versa, ac reversa quantum voles omnia, semper tamen erunt eadem genera; ac omnino denique ad varietatem rerum innumerabilem necessaria esse elementa seu principia varietate innumerabilia. *Gassendus.*

714. *Aëra jungentes Igni*] Œnopides Chius. *Terramque liquori*, Xenophanes. Armenides autem ignem terræ junxit: Hippo Rheginus atque Archelaus ignem junxerunt aquæ; et Onomacritus ignem, aquam, et terram simul posuit rerum primordia. *Fayus.*

715 Et qui Quatuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex Igni, Terra, atque Anima procrescere, et Imbri:
Quorum Acragantinus cumprimis EMPEDOCLES est;
Insula quem Triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor
720 Ionium glaucis aspergit virus ab undis,
Angustoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terraï oras a finibus ejus:
Hîc est vasta Charybdis, et hîc Ætnæa minantur
Murmura flammarum rursum se conligere iras,
725 Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis,
Ad cœlumque ferat flammaï fulgura rursum:
Quæ cum magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis regio, visendaque fertur,
Rebus opima bonis, multa munita virûm vi;
730 Nil tamen hoc habuisse Viro præclarius in se,

et qui e quatuor elementis, Igne, Terra, Aëre, et Aqua omnia produci tradiderunt. Inter quos eximet Empedocles Acragantinus, philosophus ille, quem nutrivit insula tribus promontoriis nobilis, et quam Ionium mare magnis et sinuosis flexibus circumfluens a cæruleis aquis salem spargit, et a cujus finibus violentum æquor angusto freto dividit Italiam: hic est sæva Charybdis, et hic mons Ætna terribili murmure minatur se Iras flammarum collecturum, ut immani impetu ejectos faucibus ignes eructaret; igniumque fulgura in sublime, usque ad cœlum, iterum eveheret: quæ insula licet multas propter causas hominibus admirabilis, et digna quæ visatur, sit, bonarum omnium rerum plena, et incolarum multitudine munita, nihil tamen augustius, admirabilius, aut præclarius

NOTÆ.

717. *Empedocles*] Metonis filius, ut aliis placet, Archinomi, ut aliis, Exeneti, sed omnes fatentur Acragantinum esse: floruit Olymp. 84. eleganti Carmine de Rerum Natura scripsit, docuitque omnia e quatuor elementis *Igne*, *Aqua*, *Aëre*, et *Terra*, componi, et in ea iterum resolvi. Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος Ἀκραγαντῖνος τέτταρα μὲν λέγει στοιχεῖα, Πῦρ, Ἀέρα, Ὕδωρ, Γῆν· δύο δὲ ἀρχικὰς δυνάμεις, φιλίαν τε καὶ νεῖκος· ὧν ἡ μὲν ἐστιν ἑνωτική, τὸ δὲ διαιρετικόν. Plutarchus de Placit. Philos. lib. 1. c. 3.

718. *Insula quem Triquetris*] *Sicilia*. Triquetra a tribus promontoriis, quod omnes sciunt dicta: Horatius, Sat. 6. l. 2.

—*Militibus promissa* Triquetra
Prædia Cæsar, an est Itala tellure daturus?

Tellure Triquetra, *Sicilia*.

718. *Insula, &c.*] His v. 18. Siciliam, Empedoclis patriam describit, illumque egregia laude ornat.

720. *Ionium*] Magnam enim Siciliæ partem Mare Ionium alluit. Quidam legunt,

Ionio, et Libycis aspergit littus ab undis.

Alii,—*littus ab undis*. Optimi Codd. *Virus*. Virus autem non humores, ut Lambinus et Faber sentiunt, sed *salem* denotat; sic lib. 2. 475. *tetrum virus*,

Linquit enim supra tetri primordia Viri
Aspera——.

721. *Fretu*] Ita hunc versum legunt veteres magistri, inter quos Priscianus, quin et eadem flexione usus est Cicero, Orat. 5. in Verrem, *Sicilia perangusto* fretu *divisa*. Vid. etiam *Arnobium contra Gentes*, lib. 1. p. 36.

722. *Italiæ terraï*] Ita Lambinus, *Italia* enim *terra*, *Campania terra*, *Gallia terra*, apud veteres occurrunt: *terrarum*, Codd. Quidam e MSS. legit, *Æoliæ*, ea enim, quam Jocastes Æoli filius ad fretum Siculum habitabat, pars olim dicta est *Æolia*.

725. *Eruptos*] Sic Virgilius,

— *Erupti nubibus Ignes.*
— *Proruptus corpore sudor.*

726. *Rursum*] Alii, *Sursum*.

729. *Rebus opima bonis, &c.*] Multis codd. hic versus desideratur; *Fayus*. Ille viz. summæ industriæ et perspicacitatis vir multos evolvit libros, quos neque Lambinus, neque Gifanius, neque alii viderunt.

Nec sanctum magis, et mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, et exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur stirpe creatus.
735 Hic tamen, et supera quos diximus, inferiores
Partibus egregie multis, multoque minores,
Quanquam, multa bene ac divinitus invenientes,
Ex adyto tanquam cordis responsa dedêre
Sanctius, et multo certa ratione magis, quam
740 Pythia, quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur;
Principiis tamen in rerum fecere ruinas,
Et graviter Magni magno cecidere ibi casu.
Primum, quod motus, exempto rebus Inani,
Constituunt, et res molleis, rarasque relinquunt,
745 Aëra, Solem, Ignem, Terras, Animalia, Fruges;
Nec tamen admiscent in eorum corpus Inane.
Deinde, quod omnino finem non esse secandis

hoc Philosopho continuisse unquam videtur. Carmina etiam illius divina adeo luculenter exponunt, et explicant egregia ejus dogmata et inventa, ut illum vix humana stirpe natum jure existimemus. Hic tamen, aliique quos supra memoravimus, philosophi illo longe inferiores, et multo minores, quamvis plurima feliciter et divinitus commenti, quasi ex adyto pectorum responsa dederint sanctiora, et certiora, quam Pythia, quæ ex lauro et tripode Phœbi fatur, in rerum principiis graviter lapsi sunt; magnique viri magno casu ceciderunt. Primo quod Motum posse esse dicunt licet nullum sit Inane; deinde quod res molles rarasque quales sunt Aër, Ignis, Terra, Animalia, Fruges, agnoscunt, non tamen istarum rerum corpora aliquod Inane *continere concedunt. Deinde quod corporibus frangendis nullum terminum,*

NOTÆ.

731. *Carumque*] Pluris faciendum, τιμιώτερον: *Clarumque*, alii legunt, et probat Faber, quasi Lucretius dixisset, Nihil habuit *præclarius*, et *magis clarum*.

732. *Carmina quin etiam*] Ὁμηρικὸς Ἐμπεδοκλῆς, καὶ δεινὸς περὶ φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὤν, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἱστιτύγμασι χρώμενος. Aristot. ἐν τῷ περὶ ποιητικῶν. Laertius.

735. *Hic tamen et supera*, &c.] v. 8. Egregium fuisse philosophum Empedoclem fatetur, Heraclito, et aliis quos supra refutaverat, maximis licet viris, et quibus tutius quam ulli Deorum oraculo credamus, majorem; hunc tamen principia rerum non recte statuisse plurimis argumentis demonstrare aggreditur.

736. *Partibus egregie multis*] *Valde, impense*, &c. Rhetor ad Herennium, lib. 3. *Nec egregie magnam esse utilitatem audacter pronuntiaverunt.* Paulo post; *At si quid videmus et audimus egregie turpe aut honestum.* Itaque *Egregie turpe* idem ferme fuerit quod paulo post *unicam turpitudinem* vocavit. *Faber.*

743. *Primum, quod motus*, &c.] Aggreditur refutationem primo, v. 4. quod tum Empedocles, quam cæteri plurium Elementorum assertores *Inane* perinde, ac superiores rejiciant, et motum tamen, raritatem, et mollitudinem, quæ sine *Inani* esse nequeunt, admittunt.

Ibid. *Quod*] Gifanius, *Quo.*

746. *Admiscent in eorum corpus*] *Admistum rebus*, et *admistum in rebus*, sæpe Lucretius. Quidni igitur legamus *corpore?*

747. *Deinde, quod omnino finem*, &c.] Secundo, v. 7. quod velint omne Corpus esse infinite dividuum, secus quam Lucretius ante ostenderit, et nunc eodem, quo usus est argumento, v. 593. probat. Alis Plutarchus de Placit. Philos. lib. 1. cap. 13. Ἐμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεσσάρων στοιχείων θραύσματα ἰλάχιστα οἱονεὶ στοιχεῖα στοιχείων, ἄμοιρα μερῶν, ὅπερ ἐστὶ τρογγύλα. Ἡράκλειτος ψηγμάτιά τινα ἰλάχιστα, καὶ ἄμερῆ εἰσάγει. Cap. 17. Ἐμπεδοκλῆς δὲ ἐκ μικροτέρων ὄγκων τὰ στοιχεῖα συγκρίνει, ἅπερ ἔστιν ἰλάχιστα, καὶ οἱονεὶ στοιχεῖα στοιχείων. Et lib. 4. Empedoclem cum Epicuro jungit: Ἐμπεδοκλῆς δὲ, καὶ Ἐπίκουρος, καὶ πάντες ὅσοι μετὰ συνάθροισμον τῶν λεπταμερῶν σωμάτων κοσμοποιοῦσι, &c.

Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori;
Nec prorsum in rebus Minimum consistere quicquam:
750 Cum videamus id extremum cujusque cacumen
Esse, quod ad sensus nostros Minimum esse videtur:
Conjicere ut possis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, Minimum consistere rebus.
Huc accedit item, quod jam primordia rerum
755 Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus
Esse, et mortali cum corpore funditus; atqui
Debeat ad Nihilum jam rerum Summa reverti,
De Nihiloque renata virescere copia rerum:
Quorum utrumque quid a vero jam distet, habebas.
760 Deinde, inimica modis multis sunt, atque venena
Ipsa sibi inter se; quare aut congressa peribunt,
Aut ita diffugient, ut tempestate coorta,
Fulmina diffugere, atque Imbreis Ventosque videmus.
Denique, Quatuor ex rebus si cuncta creantur,

neque finem divisioni statuunt; nec in rebus esse aliquod Minimum concedunt: cum videamus illud esse extremum rei cujusque apicem quod nostris sensibus Minimum *apparet; et inde facile possemus colligere id extremum rerum, quod nos videre non valemus, esse in rebus* Minimum. *His addas, quod principia rerum mollia constituunt, mollia vero generationi et interitui penitus obnoxia esse cognoscimus; talia vero si sint principia, jamjam in Nihilum recidisset tota rerum summa, et e Nihilo renata vigeret: quantum autem utrumque horum a veritate abiit supra explicatum est. Deinde illa quæ statuunt principia sunt multis modis contraria, et sibi invicem prorsus lethalia: quapropter vel peribunt cum conveniant, aut ita dissipabuntur ut fulmina, imbres, ventique, contraria orta tempestate, dissipantur. Denique si e quatuor Elementis res cunctæ fiant,*

NOTÆ.

748 *Pausam*] *Finem*. A. Gellius, l. 9. cap. 13. *Pausa pugnæ facta est*. Ennius,

Hæc ubi dicta dedit, Pausam *facit ore loquendi*.

752. *Quod*] *Quæ*, Gifanius. Et in sequenti versu inter *minimum* et *consistere* Lambinus legit *in*. Qui probant *quæ* ita explicant; conjicere ut possis ex hoc extremo, quod extremum habent ea quæ cernere non potes, esse aliquid *Minimum* in rebus.

754. *Huc accedit item*] Tertio, v. 6. quod mollia, ac proinde mutabilia, et in Nihilum abitura elementa faciunt: Prima enim Corpora, si mutarentur, in Nihilum recidunt: *At e Nihilo Nihil*, et *in Nihilum Nihil*, supra demonstratum est.

Ibid. *Quod jam*] *Quoniam*, Gif.

758. *Virescere*] *Vigescere*, Gif. Na. alii; quibus non repugno.

760. *Deinde inimica modis*] Quarto v. 4. quod elementa contraria, ac proinde se mutuo peremptura, aut nunquam certe inter se coalitura inducant. Horum enim elementorum fautores, veluti patres-familias, singulis suas qualitates attribuunt, calorem et siccitatem alteri, alteri vero humiditatem et frigus, humiditatem et calorem tertio; quarto denique siccitatem et frigus: ita hæc elementa in mutuam perniciem armant, ab iis tamen nihil præter pacem, concordiam, et fœdera expectant.

760. *Atque venena*] Varro, l. 1. de Re Rustica,

Quædam pecudes culturæ inimicæ sunt ac veneno.

762. *Coorta*] *Coacta*, MSS. rectius: *coacta* vero non τῷ *tempestate*, sed τῷ fulmina conjungas.

764. *Denique, quatuor ex rebus, &c.*] Quinto, v. 18. quod aut dicere debent elementa amissis naturis mutari in res, quæ deinde rursus in ipsa mutentur, quo casu, non ipsa potius rerum, quam res ipsorum principia sunt: aut naturis servatis acervos solum quosdam ex iis fieri, quo casu nulla unius speciei, uniusque nominis res oriretur; sed tantum ignis, aeris, aquæ, et terræ, rudis quædam et indigesta moles; ut ex auri, argenti, stanni, ærisque ramentis nihil unquam præter auri, argenti,

765 Atque in eas rursum res omnia dissolvuntur;
Quî magis illa queunt rerum Primordia dici,
Quam contra res illorum, retroque putari?
Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter se naturam, tempore ab omni.
770 Sin ita forte putas Ignis, Terræque coire
Corpus, et Aërias auras, Roremque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum;
Nulla tibi ex illis poterit res esse creata,
Non Animans, non Exanimo quid corpore, ut Arbos:
775 Quippe suam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam ostendet, mistusque videbitur Aër
Cum Terra simul, atque Ardor cum Rore manere:
At Primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandestinam, cœcamque adhibere,
780 Emineat nequid, quod contra pugnet, et obstet,
Quo minus esse queat proprie, quodcunque creatur.
Quin etiam repetunt a cœlo, atque ignibus ejus,
Et primum faciunt Ignem se vertere in Auras

et in ea iterum resolvantur, quam ob rationem illa quatuor dicantur rerum principia potius quam e contra, mutatoque prorsus ordine, res ipsæ illorum quatuor primordia? Alternis enim ex se invicem gignuntur, formam, totamque naturam inter se vicissim mutant. At vero si Ignem, Terram, Aërem, et Aquam, ita misceri putas, ut naturam suam integram conjuncta servent; nulla profecto res ex iis componi posset, neque res animata neque inanimata, v. gr. arbor: quælibet enim pars compositi e rebus tam diversis compacti propriam suam naturam ostendet, Aër cum Terra, Ignis cum Aqua mistus apparebit: at rerum concretarum principia debent esse nulla sensibili qualitate prædita, ne forsan aliquid appareat, quod faciat ut res composita non sit unius speciei, uniusque nominis, sed rudis et indigesta partium componentium moles. Adde quod hi philosophi elementorum transmutationem a cœlo ejusque ignibus deducunt, et primo dicunt Ignem mutari in Aëra;

NOTÆ.

stanni, ærisque acervum efficies. Concludit denique rerum principia sensibili aliqua qualitate prædita ad rerum generationem prorsus inepta fore.

766. *Illa*] Elementa viz. licet *res* præcedat.

774. *Quid*] *Cum*, codd.

777. *Atque Ardor*] Ita Lambinus non dubiis conjecturis ductus, sententia enim ipsa postulat. Ardor pro Igne v. 669.

779. *Clandestinam, cæcamque*] Non *obscuram* et *latentem*, ut alii, sed *sensibus non apparentem*.

781. *Quo minus, &c.*] Ita ut illud concretum non sit aqua, ignis, &c. sed proprietatem suam specificam habeat. Faber. Gifanius, *proprium*.

782. *Quinetiam repetunt a cœlo, &c.*] Sexto, v. 21. quod admittentes mutuam elementorum transmutationem, admittere debent communem, atque adeo priorem materiem, quæ varias eorum formas successive induat: Empedocles enim, ejusque sectatores docuerunt elementa mutuas prædas agere, modo ignem partem aliquam aëris abripere, modo aërem quasdam Ignis particulas detrahere, et idem facere alia elementa. Πυκνόμενον τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι, καὶ ἀέρα γίνεσθαι· συνιστάμενον ἀέρα γίνεσθαι ὕδωρ, πηγνύμενον τὸ ὕδωρ εἰς γῆν τρέπεσθαι, ὁ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω ἴναι. Πάλιν δὲ αὐτὴν τὴν γῆν κάεσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι, ἐκ δὲ τούτου τὰ λοιπὰ ὁμοίως· αὐτὴν δὲ εἶναι τὴν ἄνω ὁδὸν, dicebant: Laertius de Heraclito; et eadem de Empedocle affirmari possunt. Urget autem Lucretius, mutentur principia, et in Nihilum recident, ideoque cum elementa mutari omnes fatentur, ista non sunt rerum primordia: *e Nihilo* enim *Nihil*. Quædam igitur est materia immutabilis e qua diversimode mota et disposita modo aër, modo aqua, modo ignis, modo terra conficitur.

783. *Ignem se vertere*] Hesychius tamen

Aëris: hinc Imbrem gigni, Terramque creari
785 Ex Imbri, retroque a Terra cuncta reverti,
Humorem primum, post Aëra, deinde Calorem;
Nec cessare hæc inter se mutare, meare
De Cœlo ad Terram, de Terra ad Sidera Mundi:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto;
790 Immutabile enim quiddam superare necesse 'st;
Ne res ad Nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Quapropter, quoniam, quæ paullo diximus ante,
795 In commutatum veniunt, constare necesse 'st
Ex aliis ea, quæ nequeant convertier unquam:
Ne tibi res redeant ad Nihilum funditus omnes.
Quin potius tali natura prædita quædam
Corpora constituas; Ignem si forte creârint,
800 Posse eadem, demptis paucis, paucisque tributis,
Ordine mutato, et motu, facere Aëris auras:
Sic alias aliis rebus mutarier omneis.
At manifesta palam res indicat, inquis, in auras

ex Aëre vero Aquam, et ex Aqua Terram gigni, et vice versa illa omnia e Terra iterum generari; primo Aquam, inde Aëra, demum Ignem; et hanc transmutationem continuam, et perpetuam esse e cœlo ad terras, et a terris iterum ad cœlos: at vero rerum principia nullo modo mutari debent; debet enim esse aliquid in rebus immutabile, ne res cunctæ in nihilum penitus reciderent: quodcunque enim mutatur id interit, et desinit esse id quod ante fuit. Quoniam igitur Elementa, de quibus modo disputavimus, aliquando commutantur, necesse est ea constare ex iis quæ nunquam mutari possunt; ne res omnes ad nihilum penitus redirent. Prudentius igitur agnoscas quædam esse corpora talis naturæ, ut si forte Ignem *constituant, eadem tamen, paucis ablatis aut paucis additis, mutato ordine aut motu, Aërem posse constituere; et eodem modo cæteras res omnes in alias posse verti. At dices, manifestum est res omnes in*

NOTÆ.

Ἀγίννητα, τυχαῖα παρὰ Ἐμπεδοκλεῖ. Quod si non fallitur Grammaticus, frustra disputat Lucretius: falli autem non patitur Plutarchus, qui toties affirmat Empedoclem agnoscere τυχαῖα τῶν τυχόντων, Principia Elementorum, et de his primis Principiis intelligendus est Hesychius. Inter Empedoclem igitur et Epicurum probe convenit, nisi quod Empedoclis sententia sit operosior, simplicior Epicuri: Empedocles enim ex primis suis principiis Elementa componit, et ex iis Elementis constituit res omnes; Epicurus autem e primis Principiis res cunctas immediate conficit.

787. *Mutare, meare*] Quidam libri, *Mutando meare.*

788. *Ad Sidera Mundi*] *Ad Sidera Cœli*, quidam Codices: mutatur viz. hic versus ab iis qui *mundum* pro *cœlo* sæpissime poni ignorarunt.

795. *In commutatum veniunt*] i. e. *mutantur*: hujusmodi verbalia in *us* amabant veteres; *conciliatus*, Lucretius: *factus*, Cato: *occasus* pro *occasione*, Ennius: et Virgilius,

—*O nunquam frustrata vocatus*
Hasta meos. Faber.

802. *Sic alias aliis rebus mutarier omnes*] Faber legit, nec absurde,

Sic alias aliis rebus res vertier *omnes.*

803. *At manifesta palam, &c.*] Tandem, v. 20. objectionem proponit et solvit: Plantæ, cæteraque animalia nutritionem et incrementum suum quatuor Elementis debent: omnia enim e terra crescunt, quod nemo neget; sed tamen nisi benignus Aëris tepor, calor Solis, et opportuni Imbres accedant, nihil quidquam Terra ex sese progignet: ergo fatendum est Aquam, Ignem, &c. esse Principia. Respondet, v. 809. Ea non magis Principia esse quam vinum, triticum, et alia quibus

Ignibus ex Ignem; Humorem ex Humoribus esse;
Cætera consimili fingit ratione, putatque.
Nec tamen esse ulla parte IDEM in rebus Inane
Concedit, neque corporibus finem esse secandis:
845 Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque ILLI, supera quos diximus ante.
Adde quod imbecilla nimis Primordia fingit,
Si Primordia sunt, simili quæ prædita constant
Natura, atque ipsæ res sunt; æqueque laborant,
850 Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrænat:
Nam quid in oppressu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat lethi sub dentibus ipsis?
Ignis? an Humor? an Aura? quid horum? Sanguen? an Ossa?
Nil, ut opinor, ubi ex æquo res funditus omnis
855 Tam mortalis erit, quam quæ manifesta videmus
Ex oculis nostris aliqua vi victa perire.
At neque recidere ad Nihilum res posse, neque autem
Crescere de Nihilo, testor res ante probatas.
Præterea, quoniam Cibus auget corpus, alitque;

ignem ex ignibus, aquam ex aquis, et similiter reliqua omnia fieri, et constitui. Hic insuper idem Anaxagoras *docet nullum esse* Inane, *neque esse aliquod* Minimum: *ideoque mihi videtur æque errare ac Illi omnes quos supra refutavimus. Adde quod nimis infirma fingit rerum principia si ejusdem plane sunt naturæ ac res ipsæ, si æque interitui obnoxia, nulloque modo ab exitio secura: quid enim eorum cum valido morsu premit mors sub ipsis lethi dentibus mortem evitare possit? An ignis, aër, aqua? quid horum? an sanguis, an ossa? Nihil ut puto; omnis enim res æque obnoxia esset interitui ac ea quæ nostris oculis apparent vi aliqua fracta aut dissipata interire. At res neque in Nihilum recidere, neque e Nihilo oriri posse allata olim argumenta fidem faciunt. Præterea, quum alimentum nutrit, et auget nostra corpora,*

NOTÆ.

841. *Ignibus, ex Ignem, &c.*] Quidam scribunt,

Sic ignem inter se parvis coëuntibu' nasci
Ignibus, exiguis Humorem Humoribus esse.

Hic de Lambino, Gifanio, et Pareo, quorum nec scripta, nec nomina profecto unquam vidit, multa commentus est, et nugatur Fayus.

843. *Nec tamen esse ulla, &c.*] Quod Epicuro non placuit Anaxagoræ opinio, ideo Lucretius ipsam studiose insectatur, et initium facit, v. 4. a duobus argumentis adversus superiores, Heraclitum, Empedoclem, et alios allatis: uno quod Inane in Natura detur; altero quod nullum Continuum infinite dividuum sit.

847. *Adde quod imbecilla, &c.*] Tertio, v. 12. arguit, quod cum Anaxagoras vellet constare similia ex similibus, et principia esse ejusdem plane cum compositis naturæ, sequeretur, ut composita, sic etiam principia interire posse: et nulla certe ratio est, cur, si major quædam carnis portio corruptioni obnoxia sit, non sit quoque obnoxia minor, cum etiam, tametsi consistas in aliqua minima, non appareat, quamobrem illa, dum caro sit, pati aliquid, destruique non possit: at si principia corrumpantur, in *Nihilum* recident, quod absurdum et impossibile esse olim demonstratum est.

852. *Sub dentibus*] Alii, *sub cœtibus:* quidam libri, *subeuntibus:* Muretus legit, *sub motibus:* at *dentibus* aptius convenit *oppressu valido*, in versu præcedenti.

853. *Sanguen? an Ossa?*] *Sanguis, anne os?* Gifanius, *sanguis an? anne os?* Nardius. Codd. *Sanguinis ad nos: Sanguinis onos: Sanguis ἰμείους.* Aliqui legunt, *Sanguis, an ossum? Ossum* enim veteres agnoscunt. His adderem, *sanguis an? Os am?*

856. *Victa*] B. *Cuncta.*

859. *Præterea, quoniam cibus, &c.*] Quarto, v. 9. præclare disputat; ex variis alimentis quæ dissimilibus prorsus constant partibus corpora nostra nutriuntur, unde

860 Scire licet, nobis Venas, et Sanguen, et Ossa,
Et Nervos alienigenis ex partibus esse:
Sive Cibos omneis commisto corpore dicent
Esse, et habere in se Nervorum corpora parva,
Ossaque, et omnino Venas, parteisque Cruoris;
865 Fiet, uti Cibus omnis et aridus, et Liquor ipse,
Ex alienigenis rebus constare putetur,
Ossibus, et Nervis, Venisque, et Sanguine misto.
Præterea, quæcunque e Terra corpora crescunt;
Si sunt in Terris, Terras constare necesse 'st
870 Ex alienigenis, quæ Terris exoriuntur.
Transfer item, totidem verbis utare licebit:
In Lignis si flamma latet, fumusque, cinisque;
Ex alienigenis consistant Ligna necesse 'st.
Linquitur hic tenuis latitandi copia quædam:

certi esse possumus venas, sanguinem, ossa et nervos e partibus dissimilibus componi: si autem contendant alimentum e commisto corpore constare, et continere minutos nervos, venas, ossa, et sanguinis guttas; inde sequetur, alimentum, quo utimur, sive siccum sive liquidum, ex partibus dissimilibus, ex ossibus, nervis, venis, et cruore mixto constare. Præterea, si omnia corpora quæ e terris oriuntur sint in terris, tum necesse est terras constare ex istis Dissimilibus *rebus quæ ex istis terris oriuntur. Alias res contemplare, si enim flamma, fumus, et cinis sint in lignis, tum ligna ex* Dissimilibus *componi necesse est. Hujus vero argumenti vis aliquali responso eludi potest,*

NOTÆ.

partes nostri corporis dissimilibus constare sequitur, singulæ enim partes, Ossa, Nervi, Venæ, &c. diversis et dissimilibus alimentis nutriuntur. Si autem dicant ista alimenta continere particulas Nervorum, Ossium, &c. fateantur necesse est non esse in istis corporibus eam, quam finxit Anaxagoras, Homœomeriam. Diversas et dissimiles partes *alienigenas* nuncupat Lucretius, quas retenta voce Græca vulgo *heterogeneas*, uti similes *homogeneas* vocamus.

861. Hunc versum multi codd. non agnoscunt, quod librariorum negligentiæ imputandum est, illum enim sibi vendicat Lucretius.

867. *Venisque*] Alii legunt, *sanieque*: at quis non videt ex v. 860. *venisque* retinendum?

868. *Præterea, quæcunque e Terra, &c.*] His v. 6. contra Anaxagoram sextum proponitur argumentum; Si omnia quæ e terra oriuntur in terra latuerint, necesse est ut terra constet e rebus dissimilibus, quoniam corpora dissimilia e terris oriuntur: urgetque insuper; Si flamma, fumus, et cinis, quæ sunt res inter se dissimiles, in lignis sint, tum ligna e rebus dissimilibus componi; ideoque nullam esse Homœomeriam.

873. Post hunc versum inserit Lambinus,

Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur:

Et castigat Gifanium, qui delendum esse censuit; at dum deleatur iste versus irascatur Lambinus.

874. *Linquitur hic tenuis, &c.*] Proponit Anaxagoræ sententiam, eamque, v. 22. protinus invadit: hæc vero Anaxagoræ sententia in hunc modum ab Aristotele expressa est. *Res et apparere, et denominari invicem differentes aiunt, ab eo, quod in infinitorum mistura maxime abundat: non enim esse totum pure aut album, aut nigrum, aut dulce, aut carnem, aut os; cujus autem amplius unumquodque habet, eam talis rei naturam videri.* Sensus est, Carnis nomine, v. g. non esse intelligendam naturam simplicem, ac uniusmodi, sed congeriem plurium, imo innumerabilium, diversarum particularum, quæ hanc corporis speciem, quam dicimus Carnem, tum faciunt, cum major quædam est copia illarum particularum, quæ ad talem speciem exhibendam idoneæ sunt, quam cæterarum quarumcunque quæ sub illis delitescentes ipsis concedant formam et nomen: facta autem exsolutione, translationeque earundem partium in aliam congeriem, tum particulæ carneæ cum cæteris delitescentes et nomen et formam similiter concedant aliis, qua-

875 Id quod ANAXAGORAS sibi sumit, ut omnibus omneis
Res putet immistas rebus latitare; sed illud
Apparere unum, cujus sint pluria mista,
Et magis in promptu, primaque in fronte locata:
Quod tamen a vera longe ratione repulsum 'st.
880 Conveniebat enim Fruges quoque sæpe minutas,
Robore cum saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliûm nostro quæ corpore aluntur:
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.
Consimili ratione Herbas quoque sæpe decebat,
885 Et laticis dulceis guttas, similique sapore
Mittere, lanigeræ quali sunt ubera lactis:
Scilicet et Glebis terrarum sæpe friatis
Herbarum genera, et fruges, frondeisque videri
Dispertita, atque in Terris latitare minute:
890 Postremo, in Lignis cinerem fumumque videri,
Cum præfracta forent, igneisque latere minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,

eoque utitur Anaxagoras; docet enim res omnes rebus omnibus immistas esse, illud vero solum apparere, cujus sunt plurimæ partes in composito, exterius et in superficie collocatæ: hoc autem responsum a veritate est longissime remotum. Aliter enim oporteret fruges minutas, cum vi lapidis molaris frangantur, sanguinem vel aliquid tale (nervos puta et medullam) quale in nostro corpore nutritur, emittere: similiter etiam oporteret herbas dulces humoris guttas, et ejusdem saporis cum lacte fundere; et in friatis terræ glebis minutas herbas, fruges, frondesque hic et illic hospitantes videremus: deinde in fractis lignis fumum, cinerem, ignesque minutulos latitantes. Quoniam vero nil tale apparere manifestissimum sit,

NOTÆ.

rum copia major fuerit, et species visibilior. Adversus, v. 880. objicit Lucretius, quod si hæc vera esset sententia, tum in detritione Frugum, Herbarum, et similium, oporteret aliquando apparere speciem Sanguinis, Lactis, aliarumve id genus rerum, &c. *Gassendus.*

877. *Pluria*] Sic veteres, ut *compluria* apud Terentium. Valeant B. et Na. cum suo *plurima*.

880. *Minutas*] *Minaci*, B. Na. *Minacis*.

882. *Aut aliûm nostro quæ corpore aluntur*] Ita optime restituit Lambinus: et solus Nardius, ejusque similes amant,

Aliquid nostra quo corpora aluntur;

Nec alii magis sapiunt qui legunt,

Aut aliquid, nostro in quæ corpore aluntur.

883. *Cum lapidem lapidi terimus*] Hunc versum ejiciendum esse monet Faber, quoniam nihil in eo est, quod in priori versu,

Robore cum saxi franguntur mittere signum

Sanguinis——non legitur.

Turnebus tuetur, et docet intelligendum esse de quodam molendi genere in quo *lapis lapidem terit*, ut est apud Plautum.

Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?

Aliquando putavit Lambinus ferri non posse lectionem vulgatam *manare cruorem*, (quamobrem enim conveniebat ex lapidibus collisis et contritis cruorem manare) legendumque esse *manare calorem*, i. e. ignem seu flammam, ut sit hic Lucretii sensus; Conveniebat, si Anaxagoræ sententia vera esset, ex lapidibus inter se contritis *calorem*, id est, ignem manare. Hæc ille: quasi ex lapidibus contritis scintillæ non exiliant. Ejiciatur igitur hic versus tam importunus, et inutilis, ne forsan aliqui, quod jam Fayus fecit, ex eo concluderent Lucretium docuisse, Corpora nostra *saxis* et *lapidibus* nutriri. Interpres tali ferculo dignissimus.

885. *Et laticis*] *Latices*, ex Codd. Lambinus: conveniebat enim latices, i. e. aquas quas potant guttas dulces, et lactei saporis mittere. Hæc ille. Alii *laticis dulces guttas* legunt: nec repugno.

886. *Quali sunt ubera*] Alii, *Quales sunt ubere*.

Scire licet non esse in rebus res ita mistas :
Verum Semina multimodis immista latere
895 Multarum rerum in rebus communia debent.
At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus Austris,
Donec fulserunt flammæ fulgore coorto :
900 Scilicet ; et non est lignis tamen insitus Ignis,
Verum Semina sunt Ardoris multa, terendo
Quæ cum confluxere, creant incendia sylvis.
Quod si tanta foret sylvis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celarier Ignes :
905 Conficerent volgo sylvas, Arbusta cremarent.
Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre eadem Primordia sæpe
Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque ;
910 Atque eadem paullo inter se mutata creare
Igneis e Lignis, quo pacto Verba quoque ipsa

certi sumus res non esse in rebus ita mixtas, at semina multis rebus communia diversimode mixta in unoquoque composito latere. At, inquies, in magnis montibus sæpe accidit, vicinarum arborum ramos, valido vento agitante, inter se teri donec accendantur. Concedimus : in arboribus tamen ignis non includitur, sed multa ignis semina, quæ ista attritione in unum locum collecta, accendunt sylvas. Quod si tanta vis ignis in arboribus includeretur, ne per momentum quidem temporis celari possit, passim et continuo sylvas consumeret, et arbores cremaret. Nonne igitur jam verum agnoscis quod paulo ante docuimus, plurimi plerumque interesse cum quibus aliis principiis, et quali ordine semina miscentur ; et quos etiam motus dent et recipiant vicissim : eademque semina, paululum inter se mutata, generare Ignes *e* Lignis, *quo pacto voces quoque ipsæ*

NOTÆ.

894. *Verum Semina multimodis, &c.*] Duos hosce versus aliunde huc translatos arbitror, (nam alibi plus semel leguntur) atque ideo tollendos : alioqui non dicendum fuerat *debent* sed *debere :* Faber. Sæpe leguntur ! utinam indicasset ; et ista de *debere* et *debent* sententia atrox profecto et truculenta est, et quæ plurimos Lucretii versus jugularet.

896. *At sæpe in magnis, &c.*] Proponit, solvitque, v. 10. quod Anaxagoras urgebat ad probandum Omnia in Omnibus esse, atque adeo Omnia generari ex omnibus. Exemplum viz. Ignis, qui latere debeat in arboribus collisione vehementi ignescentibus. Respondet Lucretius ; Non Ignem quidem esse in arbore ipsa, sed tamen semina Ignis seu moleculas atomorum, quæ certa ac nova ratione dispositæ speciem Ignis exhibeant : nam alioquin si Ignis actu et revera in sylvis foret, is haud dubie suas vires passim ostentaret.

899. *Fulserunt flammæ fulgore coorto*] Alii,

Flammaï fulserunt igne coorto :

Alii e veteribus codd. longe melius,

Fulserunt flammaï flore coorto.

906. *Jamne vides igitur, &c.*] Semina multa Ignis in lignis latere supra affirmaverat, illa autem ligna ista non consumere, quia aliis diversæ figuræ seminibus impedita speciem formamque Ignis influere non potuerunt ; et inde, v. 8. supra positam Epicuri sententiam egregie confirmat : communia viz. esse multarum rerum in multis rebus semina, eadem principia Cœlum, Terras, Mare, omnia denique constituere ; ideo autem res diversas esse quia alia semina aliis diversæ figuræ diverso ordine junguntur, et diversimode moventur, ut in vocibus LIGNA et IGNIS communes sunt literæ, at voces ipsæ sunt diversæ.

908. *Contineantur*] Alii, *conjungantur : Contingantur*, B. unde *contignantur*.

Inter se paullo mutatis sunt elementis,
Cum LIGNA, atque IGNES distincta voce notemus?
Denique jam quæcunque in rebus cernis apertis,
915 Si fieri non posse putas, quin Materiaï
Corpora consimili natura prædita fingas,
Hac ratione tibi pereunt Primordia rerum:
Fiet uti risu tremulo concussa cachinnent,
Et lacrymis salsis humectent ora, genasque.
920 Nunc age, quod superest cognosce, et clarius audi.
Nec me animi fallit quam sint obscura, sed acri
Percussit thyrso Laudis spes magna Meum cor,
Et simul incussit suavem mî in pectus amorem
Musarum; quo nunc instinctus, mente vigenti
925 Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores;
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ.
930 Primum quod magnis doceo de rebus, et arctis

Ligna *et* Ignes, *licet diversa plane vocabula et diversas res significantia, literis paululum transpositis et mutatis in se invicem converti possunt? Denique si istas res quas sensu percipimus credas generari non posse, nisi fingas prima rerum illarum semina ejusdem et plane similis naturæ esse, actum profecto esset de rerum principiis: exinde enim sequeretur semina quædam fore, quæ concussa risu tremulo cachinnarent, et quæ ora et genas salsis lachrymis humectarent. (quædam ridentia, quædam lacrymantia principia.) Nunc age, quod superest cognosce, et perspicue explicatum accipe. Nec me latet ea quæ dicturus sum esse explicatu difficilia, sed vehemens spes gloriæ acri irritamento mentem meam percussit, simulque indidit pectori blandum et potentem musarum amorem, quo nunc instinctus alacri vividoque animo avia Pieridum peragro loca, nullius olim pedibus calcata. Placet adire fontes illibatos, et inde aquas haurire; placet novos flores legere, et ex iis locis nobilem mihi coronam decerpere e quibus musæ nullius unquam caput ornârunt; primum quod de rebus maximi momenti cano, animosque hominum arctis*

NOTÆ.

914. *Denique jam quæcunque, &c.*] Ultimum argumentum contra Anaxagoram subjicit ex absurdo, v. 6. Sequeretur enim ὁμοιομερείας ridentes, flentesque, et alias id genus constitui, ut omnia ex similibus fieri probaretur.

917. *Rerum*] Aliquid deesse aut inverti suspicatur Gassendus, aut certe particulam *et* interserendam esse post *rerum*. Alia, Lambinus; et hi disputent: sive interponas *et*, sive rejicias, eadem est argumenti vis, et qui nullos in Lucretio hiatus patitur, ille est nimis elegans, et morosus.

920. *Nunc age, quod superest, &c.*] Fatigatum longa de rerum principiis disputatione Memmium ad majora et sublimiora ducit, de suo carmine, v. 30. magnifice loquutus: Horridam esse Epicuri philosophiam, nec ad vulgi gustum fatetur; promittit vero se versibus suis suavibus et decoris ita illam perfusurum et ornaturum esse, ut speciosissima tandem et dulcissima videbitur: saltem id effecturum quod medici faciunt, qui ingratam potionem pueris dantes poculi oras melle contingunt; cujus sapore decepti pueri amara etiam pharmaca absorbent. Improbus quidem hic labor, sed futuræ gloriæ spes incitat, et ut Memmio suo totam naturam rerum explicet, aggreditur opus difficile, arduum, et a nullo hactenus Latino Carmine tentatum.

926. *Solo*] Planta pedis. Cicero, 5. Tusc. dixit *solorum callum*: et Varro de Re Rustica: *Solum hominis exitium est herbæ, et semitæ fundamentum.*

926. *Integros*] E quibus nemo biberat: Sic Horatius ad Musam, *O quæ fontibus integris gaudes, &c.*

930. *Doceo de rebus*] Cicero, Orat. pro domo, *Docere pontificum collegium de rebus divinis.*

RELLIGIONUM animos nodis exsolvere pergo:
Deinde quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore;
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
935 Sed veluti Pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut Puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
940 Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc Ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
945 Carmine Pierio Rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle,
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, qua constet compta figura.
950 Sed quoniam docui, Solidissima Materiaï
Corpora perpetuo volitare invicta per ævum;
Nunc age Summaï ecquænam sit finis eorum,
Necne sit, evolvamus: item, quod Inane repertum 'st,

Religionum vinculis eximo; deinde quod de rebus tam obscuris tam lucida scribo carmina, musæo lepore cuncta contingens; neque hoc temere videtur fieri: verum ut medici, cum amara absynthia pueris conantur dare, poculi oras dulci flavoque melle circumlinunt, ut incauti pueri ludificentur labrorum tenus, at interim amarum absynthium epotent, atque ita decepti non damnum aliquod hac fraude patiantur, sed ut hausto medicamine recreati convalescant; sic Ego, quoniam hæc nostra philosophia videtur horrida et tristis iis omnibus quibus nondum fuerit perspecta, vulgusque hominum eam maxime aversatur, dulci carmine tibi nostra dogmata explicare, illaque suavi quasi musarum melle circumlinere volui, si tali forsan ratione mentem tuam in meis libris detinere possem, donec Universam Naturam rerum penitus perspectam habeas. Quoniam vero supra demonstravi corpora esse quædam perfecte solida, et æterna, jam videamus an sint numero Finita, vel Infinita; item quoniam probavi Inane,

NOTÆ.

931. *Pergo*] Aliqui codd. *Porgo*; id est, porro ago, illaque voce usus est Ennius.

941. *Tali facto*] *Tali tactu*, Lambinus ex voce *contingunt* in v. 937. Non placet.

943. *Retroque*] Rectius quam *ideoque*, quod codd. nonnulli exhibent.

949. *Naturam rerum, qua constet compta figura*] Hellenismus Plauto, Terentio, Lucilioque familiaris; sic *Nescio illum qui sit*: Plautus in Pænulo:

Patrem atque Matrem viverent vellem tibi.

Alii pro *compta* legunt, *cuncta*; alii legunt, *Qua constent cuncta*.

950. *Sed quoniam docui, &c.*] Corpora esse, eaque perfecte solida et indissolubilia, Inane etiam multis argumentis affirmaverat; ex iis vero Universum constare, nec tertium esse rerum genus docuerat Lucretius. Jam, v. 7. nobilem quæstionem proponit, *An Universum hoc infinitum sit, an terminis aliquibus inclusum?* variisque argumentis evincere conatur Omne ex nulla parte terminatum esse, sed tam multitudine Corporum, quam Inanis magnitudine prorsus infinitum.

952, 953. *Summaï ecquænam sit finis eorum, Necne sit, evolvamus*] B. Na. *Summa audi. Summaï quænam*, Fayus. *Nec si te volvamus*: B. *Hæc sic volvamus*: Nardius.

Seu locus, ac spatium, res in quo quæque genantur,
955 Pervideamus utrum finitum funditus OMNE
Constet, an Immensum pateat vel ad usque profundum.
OMNE quod est, igitur, nulla regione viarum
Finitum 'st: namque Extremum debebat habere:
Extremum porro nullius posse videtur
960 Esse, nisi ultra sit quod finiat, ut videatur,
Quo non longius hæc sensus natura sequatur.
Nunc extra Summam quoniam nihil esse fatendum 'st,
Non habet Extremum: caret ergo fine, modoque.
Nec refert quibus assistas regionibus ejus,
965 Usque adeo quem quisque locum possidit, in omneis
Tantundem parteis infinitum Omne relinquit.
Præterea, si jam finitum constituatur
Omne quod est spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
970 Id validis utrum contortum viribus ire

seu locum, et spatium, in quo res quæque fiunt et moventur, esse; inquiramus an Omne *ex istis Corporibus et Inani compositum, sit terminis aliquibus inclusum vel immensum pateat, et sine fine.* Omne *igitur nulla ex parte finitum est, si enim esset finitum, Extremum haberet; extremum vero non potest esse, nisi sit aliquid extra id quod terminat (id extremum) ex quo videri possit; et ultra quod nostra videndi facultas non progrediatur (et quod sistat aciem oculi). Quoniam vero concedendum est extra* Omne *nihil esse,* Omne *nullum habet extremum, ideoque caret fine, et infinitum sit necesse est. Nec interest in quibus* Omnis (*Universi*) *partibus consistas, quamcumque enim partem illius aliquis occupat,* Omne *relinquit quoquoversum ab ea parte æque infinitum. Præterea si Totum quodcunque extensum est aliquibus terminis finiri statuatur, siquis progrediatur ad extremos illos fines, telumque jaciat, utrum dices istud telum magno*

NOTÆ.

956. *Pateat vel ad usque*] *Patefiat ad usque*, Nardius. Sed rectius legendum, *pateat vasteque.*

957. Primum argumentum, quo Universi infinitionem, v. 10. probat, explicat Cicero de Divinat. l. 2. sect. 154. Quod finitum est habet extremum: Quis hoc non dederit? Quod autem habet extremum id cernitur ex alio extrinsecus: hoc quoque est concedendum. At quod Omne est id non cernitur ex alio extrinsecus: ne hoc quidem negari potest: igitur Omne quod est non habet extremum. Epicurus ad Herodotum. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστι, τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει, τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται, ὥστε τὸ μὴ ἔχον ἄκρον πέρας μὴ ἔχει, πέρας δὲ μὴ ἔχον ἄπειρον ἂν εἴη, καὶ ὑπὸ πεπερασμένου.

958. *Namque Extremum*] *Nam qua*, alii legunt, quos negligo.

Ibid. *Debebat*] *Debebit*, Faber.

959. *Extremum porro, &c.*] Duos hos versus obscuros esse omnes queruntur, nonnulli corruptos; Faber delet, neque ego retinerem, si sine illis integrum esset, quod nobis exhibet Lucretius, Epicuri argumentum: id facit ut retineam, et, nisi fallor, non erunt amplius obscuri. Quidam legunt, *quoad non*, id est, ultra quod.

960. *Ultra sit*] Repone, *extra sit* ex v. 962.

964. *Assistas*] Fayus, *obsistas.*

967. *Præterea, si jam, &c.*] Pro Infinitate *Universi* iterum, v. 16. telo suo egregie pugnat Lucretius. Esto Omne finitum, in extrema illius Universi ora collocetur aliquis, et telum vibret; aut longius evolabit istud telum, aut ab aliquo sistetur: si evolet, ultra extremam oram patet spatium; si sistatur, aliquid extra extremum est: ubicunque extremæ Universi oræ statuuntur, hoc modo instabit Lucretius, et telo suo minabitur.

968. *Omne quod est spatium*] Universum. Qui *Inane* interpretantur, ineptiunt; ut patet ex v. 972.

968. *Procurrat*] Ita codd. optimi. Alii, *percurrat.*

970. *Id validis*] Recte: Gassendus et alii, *Invalidis* pro valde validis.

Quo fuerit missum mavis, longeque volare,
An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse 'st,
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, et Omne
975 Cogit ut exempta concedas fine patere.
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque
Quo minu' quo missum 'st veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est ea fini' profecto.
Hoc pacto sequar, atque oras ubicunque locâris
980 Extremas, quæram quid Telo denique fiat.
Fiet uti nusquam possit consistere finis;
Effugiumque fugæ prolatet copia semper.
Præterea, spatium Summaï totius omne
Undique si inclusum certis consisteret oris,
985 Finitumque foret, jam copia Materiaï
Undique ponderibus solidis conflûxet ad Imum;
Nec res ulla geni sub cœli tegmine posset;
Nec foret omnino Cœlum, neque lumina Solis:
Quippe ubi Materies omnis cumulata jaceret
990 Ex infinito jam tempore subsidendo.
At nunc nimirum requies data Principiorum

impetu impulsum in eam partem in quam destinabatur longe evolare, an ab aliquo obstaculo impeditum quiescere debere? Horum enim alterum dicas necesse est; neutrum vero te elabi sinet, et utrumque coget fateri Omne *sine terminis esse, et immensum patere. Sive enim est aliquid quod impediat quo minus eam partem, in quam destinatum fuit, attingat, ibique tanquam in termino se sistat, sive longe evolet, ibi profecto nullus erat finis. Hoc modo insequar, et ubicunque extremos istos fines posueris, quid telo fiet inquiram. Et exinde probabitur nullos esse extremos fines, sed immensum patere spatium per quod telum istud evolaret. Præterea, si* Universum *certis finibus ex omni parte inclusum et terminatum esset, jam cuncta rerum semina vi suæ gravitatis ad infimum locum descendissent, neque ulla res sub cœli fornice fieri posset, imo nec ipsum foret cœlum, neque sol; omnia enim omnium rerum semina cumulata jacerent cum ab æterno subsidissent. Nunc vero perpetuo agitantur rerum principia*

NOTÆ.

971. *Quo*] *Quod*, Na. Hunc versum non agnoscit B.

978. *Non est ea fini' profecto*] Ita optime Lambinus. Alii, *a fine profectum*, quod Fayus, ut solet, approbat; quasi telum quod prohiberetur v. 976. dici possit non *a fine profectum*.

980. *Telo*] B. *Cælo*; manifesto errore.

983. *Præterea, spatium*, &c.] Urget opus Poëta, et, v. 14. subjicit incommodum, quod eveniret si *Finitum*, et aliquibus terminis, inclusum esset *Universum*. In isto enim finito *Imus* aliquis esset locus, ad quem materies ab æterno subsidens innata sibi gravitate contendisset, effectumque jam pridem fuisset, ut depressa in eum locum universa materia nihil generari deinceps posset; ex seminibus enim quiescentibus nihil oritur: cum autem non sit *Imus* locus, jugiter moventur principia, undique nascuntur res, et ex infinito *Universo* nova semina singulis *Mundis* perpetuo inferuntur.

984. *Si inclusum certis consisteret*] *Conclusum certis si insisteret*, Gassendus.

986. *Conflûxet*] *Conflurisset*. Sic *Extinxem* pro *Extinxissem* apud Virgilium. *Consumse* pro *Consumpsisse* apud Lucretium, &c.

987. *Geni*] *Geri*, omnes codd. vet. ut et *Geruntur* v. 954. eamque lectionem Gif. Par. Na. omnes præter Lambinum tuentur: at contra omnes libros admittenda est ea vox quæ Lucretium sapit, et ad argumentum apprime facit.

Corporibus nulla 'st: quia nil est funditus Imum,
Quo quasi confluere, et sedes ubi ponere possint;
Semper et assiduo motu res quæque genuntur
995 Partibus in cunctis, æternaque suppeditantur
Ex Infinito cita corpora Materiaï.
Postremo ante oculos rem res finire videtur;
Aër dissepit Colleis, atque Aëra Montes,
Terra Mare, et contra Mare Terras terminat omneis:
1000 OMNE quidem vero nihil est quod finiat extra.
Est igitur natura loci, spatiumque profundi,
Quod neque clara suo percurrere flumina cursu
Perpetuo possint ævi labentia tractu:
Nec prorsum facere, ut restet minus ire, meando:
1005 Usque adeo passim patet ingens copia rebus,
Finibus exemptis in cunctas undique parteis.
Ipsa modum porro sibi rerum Summa parare
Ne possit, Natura tenet: quia Corpus Inani,
Et quod Inane autem 'st, finiri Corpore cogit;
1010 Ut sic alternis Infinita omnia reddat.

quia nullus est infimus in natura locus quo descendere possint et quiescere; atque hac perpetua agitatione res in omnibus Universi partibus fiunt, et agilia et æterna rerum semina ex infinito subministrantur. Postremo nihil evidentius est quam quod res rem terminat, Aër Montes, et Montes Aëra, Terra Mare, et e contra omnes Terras Mare terminat; at vero nulla res est extra Universum *quæ terminus illi esse possit. Ea igitur est natura spatii Inanis vel loci, ut neque celebres fluvii, etsi ab æterno in æternum fluerent, unquam percurrere valerent, neque omnino efficere labendo ut sibi minus viæ supersit: tam immane immensumque est spatium, et ex omni parte finibus destitutum. Denique natura ipsa facit ut* Universum *terminum habere non possit, quia Corpus Inani, Inane autem Corpori terminum posuit, ut hac alterna Corporis et Inanis*

NOTÆ.

995. *Æternaque*] *Infernaque*, B. et alii codices; nullo sensu.

997. *Postremo ante, &c.*] Alio his v. 10. utitur argumento; Quicquid enim terminatur ab aliquo quod extra se est, finitur, sic aër terminat montes, et montes aërem, mare terras, et terræ mare. At quis dixerit aliquid esse extra *Universum* quod illius terminus esse possit, cum id ipsum quod extra est sit *Universi* pars, Universum enim continet omne quod est? Concludit igitur *Universum* esse immensum, eamque immensitatem præclara periphrasi describit.

1002. *Flumina*] Aliqui libri, ut et Na. *Fulmina*; hæc vox et Lambino et Gifanio displicuit; eam Faber amplectitur, an merito, judicent alii.

1003. *Possint*] Possunt, MS. et Gif.

1004. *Ire, meando*] *In remeando*, aliqui, ut monet Gif.

1007. *Ipsa modum, &c.*] Iterum, v. 13. *Universum* esse infinitum probat Lucretius quia Corpus et Inane sese mutuo terminant, ex ista autem mutua terminatione necesse est ut immensitas oriatur, quoniam neutrum, neque Corpus, neque Inane potest esse ultimum, cujus vero nulla pars potest esse Ultima, id profecto infinitum. Si autem alterutrum (Corpus viz.) non finiret alterum (Inane), Inane autem esset infinitum, quod olim probaverat, Corpora vero finita, ut Stoïcis placuit, dissolverentur omnia; rupta enim subito compage, finita semina per immensum Inane dissiparentur, imo nunquam coaluissent, cum finita semina in Inani infinito semel dispersa perpetuo vagarentur. Hæc omnia Epicurus ipse ad Herodotum: *ἔτι γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμῇ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα, ᾗ σύλλοντα κατὰ τὰς ἀντικοπάς.*

1010. *Ut sic alternis*] *Utque sit alterius*, B. frustra.

Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum,
Simplice natura et pateat tantum Immoderatum;
Nec Mare, nec Tellus, nec Cœli lucida templa,
Nec Mortale genus, nec Divûm corpora sancta
1015 Exiguum possent horaï sistere tempus:
Nam dispulsa suo de cœtu Materiaï
Copia ferretur magnum per Inane soluta;
Sive adeo potius nunquam concreta creâsset
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset.
1020 Nam certe neque consilio Primordia rerum

terminatione, Universum *reddat interminatum. Si vero alterutrum non terminet eorum alterum (Corpus viz. Inane) sed alterutrum tantum eorum (viz. Inane) esset sine termino, tum nec mare, nec terra, nec cœlum ipsum, nec homines, nec sancta Deorum corpora vel per minimum horæ tempus consistere possent: omnium enim rerum principia a se invicem dissilirent, et per immensum Inane dissiparentur; seu potius nunquam rem ullam fecissent, quoniam semel disjecta in immenso illo spatio concrescere nunquam potuissent. Profecto enim rerum semina nulla providentia*

NOTÆ.

1011. *Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum,*
Simplice natura et pateat tantum Immoderatum.

De his duobus versibus varia critici; in priori *si* pro *nisi* legit P. nec agnoscit copulam *et* in posteriori versu. In posteriori pro *tantum*, *tamen*, B. P. Gif. Par. omnesque MSS. ut fatetur Lambinus, nec agnoscunt copulam *et*. Posteriorem versum adulterinum esse existimant Gifanius et Pareus, ideoque rejiciunt: Auratus legit,

Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum,
Simplice natura pateat Totum immoderatum.

Per *Totum* intelligit τὸ πᾶν: quod alias appellatur *Omne*. *Immoderatum autem simplice natura*, est infinitum una natura viz. *Inani*. Et hanc lectionem amplectitur Gassendus. Lambinus hæret, aliquando autem legit,

Aut si, etiam alterutrum si terminet alterum eorum,
Simplice natura pateat tamen immoderatum.

Hac sententia: Aut si, etiamsi alterutrum terminet alterum eorum, pateat tamen immoderatum, simplice natura, i. e. Inane tantum sit infinitum unica natura, hoc est, Corpora prima non sint infinita, sed Inane duntaxat sit infinitum: sed hanc sententiam absurdam esse *Ipse* vidit et confessus est, et tandem legit,

Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum, et
Simplice natura pateat tantum immoderatum.

Existimat Faber vulgatam lectionem retinendam esse, et aliquot versus hic excidisse, ita ut cum de incommodis, ab *Inani immoderato* sine admistione Corporis infiniti, et alternis misti, proficientibus, dixerit; altera pars omissa sit, aut non satis perspicue a Lucretio explicata; eandem enim ἀπορίαν remeare necesse esse: deinde duas illas voces *alterum* et *alterutrum* probâsse quod dicit. Displicent omnia: integer est Poëta, nullique exciderunt versus; rejectis Aurati, Gassendi, aliorumque conjecturis, admittatur codd. MSS. lectio, et sana protinus erunt omnia et integra. Legantur itaque,

Aut etiam, alterutrum nisi terminat alterum eorum,
Simplice natura pateat tamen immoderatum;

Inane viz. ut sequentes versus, et vox ipsa *pateat* demonstrant. Hæc igitur horum versuum sententia; nisi *alterutrum*, Corpus viz. *alterum eorum*, viz. Inane, terminet, Inane vero solum concedatur *infinitum*, ut olim probavi, et Stoici, contra quos disputo, fatentur; nec Mare nec Tellus, &c. Epicurus ipse, fateor, alteram hujus argumenti partem proponit in Ep. ad Herodot. εἴτι τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, τὰ δὲ σώματα ἄπειρα, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἂν ἦσαν. Sed eam neglexit Lucretius, quoniam *Inane* esse infinitum aliis argumentis jam probaverat.

1012. *Immoderatum*] Immensum. Sic Cic. 2. de Nat. Deor. ex Euripide,

Vides sublime fusum immoderatum æthera.

1016. *Dispulsa*] *Dissipata*, C.

Ibid. *De cœtu*] *Detectum*, B. Unde aliquis conficiat *dejectu*, sed *de cœtu* vel *coitu* placet.

1020. *Nam certe, &c.*] Stoïcos irridens

Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt;
Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:
Sed quia multimodis, multis, mutata, per Omne
Ex infinito vexantur percita plagis,
1025 Omne genus motus, et cœtus experiundo,
Tandem deveniunt in taleis disposituras,
Qualibus hæc rebus consistit Summa creata:
Et multos etiam magnos servata per annos,
Ut semel in motus conjecta 'st convenienteis,
1030 Efficit, ut largis avidum Mare fluminis undis
Integrent Amnes, et Solis Terra vapore
Fota novet fœtus, summissaque gens animantum
Floreat, et vivant labentes Ætheris ignes.
Quod nullo facerent pacto, nisi Materiaï
1035 Ex Infinito suboriri copia posset,
Unde amissa solent reparari in tempore quoque.
Nam veluti privata cibo Natura animantum

aut sagacitate mentis se in suo ordine collocârunt, neque inter ea convenit quibus mot que uterentur; sed quia infinita principia per immensum Inane variis plane modis agitata sint, tentando omne genus motus, et concilii, tandem conveniant in tales positu bus hæc universa natura rerum constat: quæ natura semel apte disposita et per mu sæcula integra conservata, efficit ut amnes copiosis fluviorum undis mare avidum re terra solis radiis calefacta fruges renovet, ut animalia nascantur, et vigeant, et vola stellæ non extinguantur: quorum omnium tamen nihil fieret, nisi ex infinito suppeditar cipiorum copia, e quibus res pereuntes semper refici possint. Ut enim animalia privata intereunt,

NOTÆ.

jocose propositum argumentum prosequitur, v. 14. Finita enim semina in infinito spatio dispersa nunquam convenissent, nisi, quod Stoïcis placuit, Mundus esset grande animal, et plane Deus; ejusque semina summa arte et consilio a spiritu per omnia membra infuso disposita fuissent. Prudentia hæc, et meditantia Stoicorum principia deridet, et ex placitis Epicuri docet; res omnes fortuito infinitorum Corporum in infinito Inani volitantium concursu tandem procreatas fuisse, et quotidie reparari ex istis seminibus, quæ infinita corporum primorum copia jugiter suppeditat.

1021. *Ordine se quæque, &c.*] Quidam libri, *Ordine se suo quæque.* Marul. *Ordine quoque suo.* Gifanius, *Ordine se suo.* Aliquando etiam Lambinus legit, *se Ordine suo quæque. Ordine seque suo, B.* Alii, *Se Ordine quæque suo:* proximum versum non agnoscit B.

1023. *Sed*] *Quæ*, G.

Ibid. *Multimodis*] *Multa modis*, P. C. Gif.

1027. *Rebus*] *Rerum*, Faber: Nec contemnenda ista emendatio. Sensus autem est, *Deveniant in tales dispositur bus rerum summa creata est.* Il *qualibus* ad *disposituras* refertur.

1028. *Magnos*] Forsan intelli num illum Platonis Annum, se Chaldæorum. *Faber.* Isto vero non opus est, cum, ut observat G lib. 5. v. 643. quorumlibet Astro cuitus magnos vocat.

Ibid. *Servata*] *Formata*, C.

1031. *Integrent*] Exhaustum renovent, &c. Homo vero ridicu timavit *τὸ integrare* hoc loco si *integrum manere.* Huic mand recte curatum velis; *Pareum* dic scias. *Faber.*

1032. *Summissa*] Imminuta, d *Fayus.* Acumen!

1035. *Ex Infinito*] Infinito sem jungit *Inani*, Fayus et alii, cum t hil evidentius, quam quod *Infini Inanis* magnitudinem, sed *Corpo* titudinem, seu potius Universum

1036. *Tempore quoque*] *Temp que*, Gif. alii: *Corpore quæque*, *pora quæque*, alii.

1037. *Nam veluti, &c.*] Proposit

Diffluit amittens corpus, sic omnia debent
Dissolvi, simul ac defecit suppeditare
1040 Materies recta regione aversa viaï.
Nec Plagæ possent extrinsecus undique Summam
Conservare omnem, quæcunque 'st conciliata.
Cudere enim crebro possunt, partemque morari,
Dum veniant aliæ, ac suppleri Summa queatur:
1045 Interdum resilire tamen coguntur, et una
Principiis rerum spatium tempusque fugaï
Largiri, ut possint a cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse 'st.
Et tamen ut Plagæ quoque possint suppetere ipsæ,
1050 Infinita opus est vis undique Materiaï.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,

diffluentibus sensim corporibus, sic quodcunque concretum est, (rerum summa) debet interire, simul ac materies (infinita atomorum multitudo) a debito suo cursu deflectens desiit subministrare semina, unde resarciatur id quod amissum est. Neque enim ictus extrinsecus inflicti (ut forsan aliquis objiciat) sufficiens causa est ad conservandum res istas quas nos videmus concretas. Etsi enim illi ictus frequenter feriant, aliquasque atomos morentur, donec accedant aliæ ad perficiendam summam requisitæ, aliquando tamen repercussos resilire necesse est, et tum præbere principiis corporum et locum, et tempus, quo soluta possunt diversimode dispergi. Necesse est igitur ut multa semina ex infinito jugiter subministrentur ad conservandam rerum summam. Præterea debet esse infinita corpusculorum copia, ut ipsi hi ictus (quos volunt) possint esse. At vero, O Memmi,

NOTÆ.

argumentum his v. 4. illustrat, docetque res cunctas resolutum iri, nisi materies ex infinita copia atomorum jugiter suppeditaretur, quæ damnum quod corpora patiuntur, resarciret, ut animalia brevi perirent, nisi alimento indies repararentur.

1040. *Recta regione*] *Aliqua ratione*, B. Na. *Aliqua regione*, Gif. Pa. e vet. libris.

1041. *Possent*] *Possunt*, e vet. lib. Gif. Pa.

Ibid. *Extrinsecus*] *Intrinsecus*, Gif. imperite; ut patet ex v. 1054.

Ibid. *Nec Plagæ, &c.*] Nequis vero forsan objiciat atomos occursantes officiose se (etiam fatente Lucretio) mutuo percutere, et ex eo conflictu fieri, ut morantes et tardatæ coalescant, et compingantur in Corpora, ideoque cum, finitæ licet, sese mutuo percutiant, sane tantum abesse ut rebus jam concretis aliquid detrahatur, ut etiam novis semper advenientibus atomis magis ac magis angerentur; monet atomos finitas, se invicem perpetuo omnique puncto temporis ferire non posse, imo interdum debere resilire, ideoque tempus spatiumque concedere principiis compositorum, (τοῖς συνεχῶς κινουμένοις, Epicurus ad Herodotum,) quæ semper motum affectant, quo rupta compage a se invicem avolarent. Imo nullos omnino futuros esse ictus, ut olim v. 1019. observaverat, nisi atomi essent infinitæ.

1043. *Partemque*] *Partimque*, Gif. quam vocem et Faber approbat, jungitque is παραλλήλω cum τῷ *Interdum* versu abhinc secundo: at *Partem* melius respondet τῷ *aliæ*, et τῷ *summa*.

1044. *Queatur*] Ut *poteratur, potestur, nequitur, &c.*

1050. *Infinita opus est vis*] Sic lib. 3.

Materies opus est——
Ergo Corpoream ad Naturam pauca videmus
Esse opus omnino—— Lib. 2.

Et eodem libro,

Scire licet nil principiis opus esse Colores.

1051. *Illud in his rebus*] Denique ne Memmius diversam sententiam amplexus, Centrum esse aliquod Universi crederet, in quod omnia tenderent innata sua gravitate, ideoque non opus infinita Atomorum multitudine, quæ concursantes, ictibus externis hanc Mundi compagem sartam tectam conservarent; totam illam de Centro opinionem convellit pariter et deridet: supponit autem, ut illi ipsi Stoïci, qui amant centrum, supponunt, olim fuisse confusam particularum copiam, in immenso spatio undique dispersam; has vero omnes par-

In medium Summæ (quod dicunt) omnia niti,
Atque ideo Mundi naturam stare sine ullis
Ictibus externis, neque quoquam posse resolvi
1055 Summa atque Ima, quod in Medium sint omnia nixa;
(Ipsum si quicquam posse in se sistere credis:
Et quæ pondera sunt sub Terris omnia sursum
Nitier, in Terraque retro requiescere pôsta;
Ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus)
1060 Et simili ratione Animalia subtu' vagari
Contendunt, neque posse e Terris in loca Cœli
Recidere inferiora magis, quam corpora nostra
Sponte sua possint in Cœli templa volare:
Illî cum videant Solem, nos Sidera noctis
1065 Cernere, et alternis nobiscum tempora Cœli

cave ne credas quod vulgo docent, corpora omnia in Centrum *Universi vi quadam innata tendere; ideoque ad mundum conservandum non opus esse ictibus cæternis, neque superiores aut inferiores mundi partes in aliquem alium locum dissipari posse, quoniam omnes ad* Centrum *tendunt. (at vero quis credat aliquid seipsum sistere et sustinere? Quis credat, res graves quæ sunt in adversa terræ facie sursum omnes tendere, et in terræ superficie retro (contrario plane ac apud nos situ) positas quiescere? eodem prorsus modo quo cernimus simulachra nostra in aquis. (pedibus nostris plane oppositis.) Docent insuper in adversa terræ superficie animalia eodem modo ac nos incedere, neque magis posse in inferiores cœli regiones e terris recidere, quam corpora nostra propria sua vi in sublimes cœli fornices evolare; et cum illic solem videant, nos nocturna astra videre, et alternis vicibus illa partiri nobiscum cœli tempora,*

NOTÆ.

ticulas in unum punctum, Medium viz. Universi niti; inde Terram fieri rotundam, in medio universi suspensam, omnesque, etiam adversas hujus globi partes animalibus habitatas esse, quæ non decidunt in partes cœli sibi subjectas, quia gravitate sua in medium tendunt: inde etiam circumvolvi æthera, et solem cœli fornicem perpetuo motu percurrentem diem oppositis terræ partibus alternatim facere: nec unquam timendum imas summasque compagis partes a se invicem disjunctas fore, cum in unum idemque Medium nitantur. Hæc omnia, v. 16. quæ tamen v. 1036. et tribus sequentibus obiter deridet: absurdum enim grave aliquod seipsum sistere et sustinere posse, aut in adversam terræ partem (cum vulgo enim sapuerunt Epicuræi) sursum tendere.

1056. *Ipsum si, &c.*] Hos quatuor versus parenthesi includendos non tam explicare, (quicquid alii sentiant) quam convellere istam de Centro opinionem contendo.

1058. *In Terraque*] *In Terramque*, Gif. Par. alii: idem sensus.

1059. *Videmus*] Vocamus, G.

1060. *Subtu'*] In MSS. plerisque *supra*, *cuncta*, *suapte*, istamque vocem multæ editiones approbant, sed optime reposuit Lambinus *subtus*: nisi forsan audiendus sit Saltmasius, qui Epist. 59. hæc habet. Pro illis *subtu' vagari*, quæ ex ingenio suo reposuit Lambinus, notat in veteribus Libris esse partim *supra*, partim *suapte*, partim *suapta*; ex quibus vestigiis olim faciebam *suppa*, id est *supina*, antiqua voce. Nam illi qui pedes nobis adversos habent, ἀντίχθονες nobis sunt *supini*, et nos illis. *Suppum* porro notat Festus antiquos dixisse quod nos *supinum* dicimus: liber Vossii nostri plane præfert *suppa*.

1062. *Recidere*] Alii, *decidere*; quam vocem etiam Lambinus admittit: immerito. Non enim observavit Lucretium uti vocibus opinioni istæ quam exagitat, suisque præjudiciis accommodatis; ut enim Centripetæ gravia a circumferentia ad centrum olim decidisse existimârunt, sic Lucretius eadem gravia a centro in inferiores circumferentiæ partes recasura esse pronunciavit.

1064. *Illi*] Idem quod illic. Sic Ter. *Illi* etiam pronomen admitti potest quamvis *animalia* præcedat; mutare enim genus æque licet placetque Lucretio, ac aliis veterum.

Dividere, et nocteis parileis agitare, diesque.
Sed vanus Stolidis hæc omnia finxerit error,
Amplexi quod habent perverse prima viaï.
Nam Medium nihil esse potest, ubi Inane, locusque
1070 Infinita: neque omnino, si jam Medium sit,
Possit ibi quicquam hac potius consistere causa,
Quam quavis alia longe regione manere.
Omnis enim locus, ac spatium, quod Inane vocamus,
Per Medium, per non Medium concedat oportet
1075 Æquis ponderibus, motus quacunque feruntur:
Nec quisquam locus est, quo Corpora cum venere,
Ponderis amissa vi possint stare in Inani:
Nec quod Inane autem 'st, illis subsistere debet,
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
1080 Haud igitur possunt tali ratione teneri
Res in concilio, Medii cuppedine victæ.
Præterea quoque jam non omnia corpora fingunt

et noctes diesque quales nos habere. At hæc omnia figmenta e putida ignorantia nascuntur: ideoque errant vani harum opinionum fautores, quoniam vera Naturæ principia non probe intellexerint: Non enim potest esse Medium (Centrum) in infinito spatio; nec si Medium esse concedamus, grave aliquod corpus quiesceret in isto Medio, quia Medium esset, potius quam in aliqua alia spatii infiniti parte ab isto Medio longissime remota. Omne enim spatium (i. e. Inane) æqualiter cedat necesse est rebus gravibus, in quamcunque partem motus eorum tendunt, sive per Medium, sive per non Medium; neque ulla est spatii pars, in quam cum Corpora venerint, amissa veluti gravitatis vi sistere se possint, et quiescere in vacuo. Nec potest Inane ipsa sustinere, sed pro natura sua viam locumque præbere debet, quo ulterius progredi, et movere possint. Nisus ergo in Medium non conservat rerum summam, neque quiescunt corpora Centri amore capta. Præterea hujus opinionis fautores fingunt

NOTÆ.

1066. *Parileis*] *Paribus*, B.

Ibid. *Diesque*] *Diebus*, Gif. Pa. Alii fere omnes: sed istis omnibus sapientior Lambinus, qui legit *Diesque*.

1067. *Sed vanus, &c.*] Explicatam de Centro opinionem, his v. 15. aggreditur. Primoque docet nullum posse esse Medium cum *Inane* sit *Infinitum*: sic Plutarchus, Universum *infinitum* est, *Infinito* autem, cum neque *principium* neque *finem* habeat, *Medium* habere non convenit: nam et ipsum *Medium* est quidpiam *Extremum*, et ipsa *Infinitio* Extremorum *privatio* est: et Chrysippum manifestæ contradictionis arguit, quod *Medium* in *infinito* locum statuit: *De Stoic. Repug.* Deinde concesso Medio, nulla suadet ratio fore, ut res graves in illa Media Inanis parte potius quam in ulla alia consisterent, et quiescerent; quoniam est natura *Totius Inanis* cedere ponderibus, neque potest ulla illius Inanis pars sustinere res graves, quia *Inane* solidum minime est, ac firmum: τῇ Κενῇ φύσις τὴν ἐνίσχυσιν οὐχ οἵά τε οὖσα παρέχεσθαι.

Ibid. *Finxerit*] Na. et Vulg. *Parturit*.

1068. *Amplexi quod habent*] Notissimus Hellenismus, περάξας ἔχει pro ἐπρᾶξε, et alia id genus sæpe apud Atticos. *Amplexi quod hebent*, vulg. non probo.

Ibid. *Perverse*] *Perversæ*, P.

1070. *Infinita*] *Infinitus*, Gif.

1072. *Regione*] *Ratione*, Na. acute, ut solet.

1075. *Æquis*] *Æque*, G. Gif. Pa. Lamb. Rectius. Τὸ Κενὸν τὴν ἴξιν ὁμοίαν παρέχει τῇ κουφοτάτῃ καὶ τῇ βαρυτάτῃ ἀτόμῳ ἐς τὸν αἰῶνα, Epicurus ad Herodotum.

Ibid. *Motus*] Alii legunt, *Motis*: alii, *Motu*: Gif. *Mota*: eligat lector.

Ibid. *Ponderibus*] Sup. *Præ*, id est propter pondus et gravitatem. *Fayus*. Quid hæc sibi velint alii conjectent, certe Fayum sapiunt.

1081. *Cuppedine*] Sic veteres pro *cupidine* vel amore.

Ibid. *Victæ*] Quid si legatur *vinctæ?*

1082. *Præterea quoque jam*] Perturbatos fuisse sequentes versus queritur Lambinus; in aliquem saltem ordinem redegit, sed in meliorem Gifanius, quem sequar: secun-

In Medium niti, sed Terrarum, atque Liquorum,
Humorem ponti, magnisque e montibus Undas,
1085 Et quasi Terreno quæ corpore contineantur:
At contra tenues exponunt Aëris auras,
Et calidos simul a Medio differrier Igneis,
Atque ideo totum circumtremere Æthera signis,
Et Solis flamman per cœli cærula pasci,
1090 Quod calor a Medio fugiens ibi colligat igneis.
(Quippe etiam vesci e Terra mortalia sæcla:
Nec prorsum arboribus summos frundescere ramos
Posse, nisi a terris paullatim cuique cibatum
Terra det) at supra circum tegere omnia Cœlum
1095 Ne volucrum ritu flammarum, mœnia Mundi
Diffugiant subito magnum per Inane soluta,
Et ne cætera consimili ratione sequantur:
Neve ruant Cœli tonitralia templa superne,
Terraque se pedibus raptim subducat, et omnes
1100 Inter permistas terræ, cœlique ruinas

non omnia corpora in Medium niti, sed terrestria tantum et aquosa, mare, fluviosque e montibus decurrentes, et quæcunque e terra constant; at docent tenuem aëra, calidos etiam ignes a medio niti, et sursum ferri, ideoque cœlum ex omni parte stellis micare, solemque in cœlo nutriri, quod calor e Medio ascendens ibi colligat, et constipet ignes (ut terra alit omnia, nec animalibus cibus esset, nec summi arborum rami foliis ornarentur, nisi terra debitum cuique rei alimentum subministraret); contendunt insuper cœlum aliquod supremum circumambire omnia et continere; ne superiores mundi partes nexibus mutuis solutæ per immensum Inane ut volucres flammæ subito dissipentur: et ne cœli fornices desuper corruant, terraque se subito pedibus nostris subducat, et nos omnes inter cœli aliarumque rerum ruinas,

NOTÆ.

dum igitur, v. 24. argumentum contra fautores Centri, ipsorum viz. sententiam recitat; qui enim absurda memorat eadem refutat. Docent autem, terræ tantum et aquæ particulas ad Centrum, ignis vero et aëris a Centro niti, ex ignibus etiam a Medio surgentibus astra stellasque fieri, et nutriri (ut vigent animalia, et arbores virescunt, tellure succos et debita alimenta præbente). Circum vero omnia solidos aliquos circumvolvi Cœlos, qui leves has et a Medio surgentes particulas sistant, et contineant; nisi enim sisterentur istæ particulæ, per immensum Inane subito diffugerent, cœlum rueret, terra se pedibus nostris subduceret, et dissolveretur totius machinæ compages. Quandocunque enim aliqua hujus mundi pars secessum facit, Totius interitus sequetur.

1082. *Quoque jam*] Omnes præter Lambinum *quoniam*, nullo plane sensu: forsan *quidnam*; et vox ista sit otiosa, quales apud poëtas sæpissime occurrunt.

1083. *Terrarum, atque Liquorum*] *Liquoris*, MSS. unde Gif. post Lambinum conjicit legendum *Terrai* atque *Liquoris*.

1085. Hunc versum non agnoscit B.

1088. *Circumtremere*] Propter scintillantem, palpitantem, et nictantem siderum micantium ignem. *Fuber*.

1090. *Ibi—igneis*] Aliqui libri, *sibi omnis*.

1091. Hunc versum in *B.* frustra quæras.

1093. *Cuique cibatum*] *Quisque cibetur*, Lambinus, et sequentem versum rejicit; *Quodque cibetur*, Gif. ex vet. cod. monetque, *versum proximum* terra det, &c. *insertum fuisse ob non intellectum ὑπέρβατον longissimum: nam istud* Ne volucrum, &c. *conjungi debet cum* Illud in his rebus, &c. *et alioqui quis unquam dixit* terra dat cibatum a terris? *aberat etiam a quodam vet. cod. nostro.* Sed alii codices admittunt, et recipiendus est ut aliquis saltem sit hujus loci sensus, cui per se satis obscuro istud ὑπέρβατον majores tenebras offundit.

1097. *Sequantur*] *Ferantur*, P. et alii.

1098. *Tonitralia*] Recte Lambinus, dum B. Na. allique retinent *Penitralia*.

1100. *Terræ*] Alii, *rerum*: Gif. *Inter mixtas terrarum*.

Corpora solventes, abeant per Inane profundum,
Temporis ut puncto nihil exstet relliquiarum,
Desertum præter Spatium, et Primordia cæca.
Nam quacunque prius de parti corpora cêsse
1105 Constitues, hæc rebus erit pars janua lethi:
Hac se turba foras dabit omnis Materiaï.
Hæc si pernosces, parva perfunctus opella,
(Namque alid ex alio clarescet) non tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima Naturaï
1110 Pervideas, ita Res accendent lumina Rebus.

in principia prima resoluti et fracti, per immensum Inane delabamur, ita ut puncto temporis nihil reliquum sit præter vacuum spatium et principia rerum insensilia; quacunque enim de parte aliqua hujus mundi corpora incipiunt secessum facere, illac cuncta ruent, eaque pars erit janua lethi rerum summæ. Hæc si, aliqua saltem (non multam postulo) usus diligentia, perspecta et probe intellecta habeas; (alia ex aliis clariora fiunt) ne timeas ullas olim caligines impedire posse quo minus intima naturæ intueri valeas, et perspicere: Ita res accendent lumina rebus.

NOTÆ.

1102. *Exstet*] *Restet*, B.

1104. *Nam quacunque prius de parti corpora cêsse*] Ita Lambinus, qui de Lucretio optime meritus est. B. *Quæcunque corpore deesse.*

1107. *Hæc si pernosces, &c.*] Per totum hunc librum gravibus querelis de obscuritate et difficultate operis Memmium suum tantum non terruit, jam v. 4. erigit illius animum, pollicitus futuram disputationem claram fore et perspicuam.

1107. *Perfunctus*] Melius quam *perductus.*

1110. *Accendent*] Male Gifanius in utraque editione *accendunt.* Ad ea enim tendit quæ in libris sequentibus, præsertim autem secundo scripturus est; ex quo ubi emerseris, tum omnia jam tibi prona et secunda erunt, post illa jam ut lubet ludas licet. *Faber.*

INTERPRETATIONEM primi Libri, et in illum notas absolvi; labore meo fruatur Lector, et erroribus ignoscat: sed quid ego candidos Judices exposcerem, cum acrem, et iniquam forsan in ipsum Lucretium censuram in animo instituam? Inquiram enim quid recte, quid perperam commentus est poëta, et ut non omnia rejiciam, sic non omnia probabo. Qui laudem ingenii Lucretio denegavit, artem concessit; et quis invidebit illi istum honorem quem summa malignitas agnovit? Opus igitur optime dispositum asserimus, ubique nitet ordo, et ita se invicem adjuvant argumenta; ut nisi in Epicuri opinionibus quædam fuisset deformitas, quæ nulla venustate cohonestari, quædam infirmitas quæ nullis ingenii viribus sustentari possit; pulcherrimam simul et firmissimam philosophiam Poëta exhibuisset.

Fœlicitatis non minimam partem existimat Epicurus sine metu vivere, et hanc fœlicitatem sola naturæ cognitione acquiri posse;

—Terrores Animi Tenebrasque necesse est
Non radii Solis, non lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ Species, Ratioque. Lucretius.

Μὴ ἀλλό τι τέλος ἐκ τῆς περὶ μετεώρων γνώσεως, ἢ τὸ κατὰ συναφὴν λεγομένων, ἢ τὸ αὐτοτελῶς, νομίζειν δεῖ εἶναι, ἥπερ ἀταραξίαν, καὶ πίστιν βέβαιον, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν. Epicurus ad Pythoclem. Omnium natura cognita levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa existunt horribiles sæpe formidines. Cicero, l. 1. de Fin.

Omnem istam formidinem, quæ homines molestia afficit, Epicurus existimat oriri ex opinione de Providentia, et de pœnis, quæ alteram necessario consequitur, post mortem futuris. Quis enim potest, cum existimet a Deo se curari, non et dies et noctes divinum numen horrere? Vide Ciceronem in Lucullo. Ita Iste insanientis sapientiæ consultus Erro. Contra quem si quis disputet rem profecto ageret ridiculam.

communi enim sensu caret istius sententiæ fautor, et est medico committendus. Cura benevoli principis aut parentis metu et tristitia liberat, nec benignos horremus: unde igitur iste horror cum nos a beneficentissimo et potentissimo numine curari existimemus?

Absurdam hanc opinionem in primo libro proponit Lucretius, et post præparatum artificioso exordio lectorem, argumentum, quod infœliciter eligerat, exornat.

Ver. 160. Nihil e Nihilo fieri, et Nihil in Nihilum reverti decem argumentis probare nititur; ingeniose fateor invenit, copiose explicat, at rem ipsam minime attingit. Concedamus enim quodlibet e quolibet oriri non posse, certis temporibus res nasci, opus esse tempore quo crescant, et materia qua augeantur; denique certos esse ætatis viriumque terminos, et agros industria et cultura hominum fertiliores reddi. Supponamus insuper Nihil interire nisi vi aliqua dissolvatur, animalia quotidie nasci non posse nisi ex certis seminibus reficerentur: supponamus unam eandemque vim res cunctas dissolvere non valere, nec naturam aliquid producere, nisi morte aliena adjuvetur. Quid efficiet Lucretius? Semina ipsa non fuisse e Nihilo producta? Aut Nihil numinis nutu et providentia fieri? Neutrum concludet, ideoque decem argumenta perierunt, licet non tam ingenii sui, quam causæ vitio.

Ver. 266. Semina sua exilia et minuta contra illos, qui solis oculis credunt, egregie tuetur: et v. 330, *Inane* esse argumentis quatuor, quibus nemo unquam meliora protulit, evincit: quorum primo et quarto (secundum enim ac tertium non sunt ejusdem firmitatis) nunquam vidi quod reponi possit.

Ver. 420. Nihil esse præter Corpus et Inane duobus argumentis confirmat, reliquaque omnia, quæ alii inter res numerant, detrudit in classem accidentium, quæ sola opinione a Corpore et Inani distinguuntur, et subsistunt: hic vero callide supponit quod probare debuit, solum corpus agere et pati, tangere et tangi posse; hanc enim definitionem humanæ animæ omnesque immateriales substantiæ aversantur.

Ver. 484. Seminibus suis perfectam soliditatem attribuit multis argumentis; nec repugno: at vero ideo illa dissolvi non posse nulla suadet ratio; soliditas enim seminum oritur ex partium, quæ concipi possunt, contactu. At in omnibus concretis corporibus datur partium contactus æqualis saltem isti, qui est inter partes seminum, contactui: ideoque corpora concreta essent æque indissolubilia ac ipsa semina. Reliqua argumenta, quibus suis seminibus æternitatem adstruit, vitiosa suppositione innituntur; assumit quod probare debuit: et cum demum ad *Minimum* quod vocant mathematicum fugit, v. 609. magnis difficultatibus, fateor, adversarios premit, sed ipse non minoribus tenetur.

Ver. 630. De Heraclito, Empedocle, Anaxagora, et aliis, triumphos agit, et demum, v. 950, Universo quod ex corpore et inani constat, infinitionem longa disputatione attribuit, ubi multa contra Stoicos in Universo Infinito medium statuentes copiose, multa secundum Epicuri placita ornate; sed illa falsis suppositionibus subnixa coruunt. Deinde Antipodas extorres agit, quos in veteres sedes olim restituit sanior philosophia et experientia. Utcunque tamen suis argumentis adblanditur hominum imaginationi, quæ in infinitum deferri amat, nec unquam spatio fixit terminos, nec figere audebit.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER SECUNDUS.

LIBRI SECUNDI

ARGUMENTUM.

I. *AD studium Philosophiæ, quæ sola lenire curas, et animum metu liberare potest, Memmium suum a v.* 1. *ad v.* 61. *Lucretius hortatur. Inde* II. *de Seminum seu Atomorum affectionibus disputat, quarum prima est* Motus: *moveri semina ex rerum generatione demonstratur; Motus vero hic est deorsum, omnia enim Semina sunt gravia. Cum autem concurrant Semina solida necesse est quoquo versum a se invicem dissiliant: ita quædam Semina aliis implicantur; quæ arctius conjunguntur, res duras et densas constituunt, quæ laxius, res molles et raras: quædam autem Semina nunquam coalescunt; sed, uti ramenta pulveris in radiis solis videmus, perpetuo motu per inane feruntur, et alia corpora subinde percutiunt et agitant, ad v.* 140. III. *Celeritatem motus Seminum deorsum tendentium explicat, ad v.* 166. IV. *Inde pro more suo quædam scommata contra illos qui Providentiam agnoscunt intexit, ad v.* 182. V. *Tum argumentum repetit, asseritque omnia corpora deorsum tendere, ad v.* 215. VI. *Deinde Semina deorsum tendentia a recta linea paululum declinare, nisi enim declinarent Semina, nihil unquam, saltem nullum Liberum Agens oriretur, ad v.* 293. VII. *Demum docet Eodem motu Semina jam ferri quo ab æterno ferebantur, nec quemquam huic opinioni diffidere debere, quia motus non videt, cum ipsa Semina percipi non possunt, ad v.* 332. *Secunda Seminum affectio est* Figura: *docet autem,* VIII. *Omnia semina non esse ejusdem Figuræ, quædam vero rotunda, quædam quadrata; quædam lævia, et alia aspera, hamata, &c. fuseque ostendit quæ Figuræ amara, quæ dulcia, quæ dura, quæ mollia corpora componunt, ad v.* 476. IX. *Hanc Figurarum varietatem non esse Infinitam, Semina tamen ejusdem Figuræ infinita, infinita viz. rotunda, infinita quadrata, &c. ad v.* 580. X. *Demum ostendit res non componi e Seminibus ejusdem Figuræ, et variis argumentis probat concreta omnia Semina variarum Figurarum continere, ad v.* 728. XI. *Deinde docet Semina nullas habere qualitates, quas sensibiles vocamus, Colorem viz. Saporem, Frigus, Calorem, &c. Item sensu non donari, quamvis res coloratæ, sapidæ, calidæ, frigidæ, et sensibiles ex iis componantur, ad v.* 1021. XIII. *Demum Infinita Semina per Infinitum Inane volitantia Infinitos Mundos constituere, eosque Mundos augeri aliquando a Seminibus ex Infinito delapsis, aliquando etiam avolantibus in Infinitum Seminibus diminui et dissolvi, ut plantæ, et animalia nascuntur, adolescunt, senescunt, et demum intereunt.*

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER SECUNDUS.

SUAVE, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia vexari quemquam 'st jucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave 'st.
5 Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa, Tuâ sine parte pericli:
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa serena;
Despicere unde queas alios, passimque videre
10 Errare, atque viam palanteis quærere vitæ,
Certare ingenio, contendere nobilitate,

INTERPRETATIO.

Jucundum est, cum in agitato mari ventus tollat fluctus, alterius grave periculum e terra longe spectare; non quia alterius periculum volupe sit, sed quia jucundum est spectare ista mala quibus ipse careas: jucundum etiam spectare prælia in campis pugnata, dum ipse discriminis iis expers: at nihil jucundius quam alta, quieta, et bene munita sapientum doctrina Philosophiæ arce collocari, e qua alios despectare possis, videre passim errare, et viam vitæ quærere misere vagantes, certare ingenio, nobilitate

NOTÆ.

1. *Suave, mari magno, &c.*] Propter hos versus, quibus *Memmium* suum ad Philosophiæ studium, sepositis aliis, hortatur, quidam Lucretium diritatis accusant; morosi nimis et improbi: Id asserit poëta quod omnes sentiunt: Qui dolore, morbo, &c. laborantem videt, protinus, *O me fœlicem!*

Ib. *Magno*] Tumido, agitato; Sic Virg.

—— *Magnaque surgunt*
Æquora.—

6. *Tua*] Alii, inter quos Gassendus, approbant *Tui*.

7. *Dulcius*] *Suavius*, Gassendus; et forsan melius.

8. *Sapientum*] Quæ Lucretius Memmio suo, olim Epicurus Menæceo proposuit. Μήτε νέος τὶς ὢν μελλέτω φιλοσοφεῖν, μήτε γέρων ὑπάρχων κοπιάτω φιλοσοφῶν· ὅτι γὰρ ἄωρος ὑδοίς ἐστιν, ὅτι πάρωρος πρὸς τὸ κατὰ ψυχὴν ὑγιαίνειν· ὁ δὲ λέγων, ἢ μήπω τοῦ φιλοσοφεῖν ὑπάρχειν ὥραν, ἢ παρεληλυθέναι τὴν ὥραν, ὅμοιός ἐστι τῷ λέγοντι, πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ μὴ παρεῖναι τὴν ὥραν, ἢ μηκέτι εἶναι.

Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum menteis! ô pectora cæca!
15 Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque 'st! nonne videre
Nil aliud sibi Naturam latrare, nisi ut, cum
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jucundo sensu, curâ semota, metuque?
20 Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant quemque dolorem,
Delicias quoque uti multas substernere possint,
Gratius interdum neque Natura ipsa requirit.
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædeis
25 Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,

contendere, improboque labore noctes atque dies conari maximas divitias, aut summam potestatem acquirere. O miseras hominum mentes! O cæca pectora! Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periculis, degitur hoc ævi, quodcunque est! *Nonne manifestum est naturam nihil aliud sibi poscere nisi ut, cum corpus sit doloris expers, mens jucunditate fruatur ab omni metu et solicitudine semota? Jam vero pauca sufficiunt, ut corpus sine dolore sit, imo multa voluptate fruatur, et quibus nihil sibi gratius natura ipsa postulat. Licet enim non sint in ædibus aurea juvenum simulachra dextris manibus igniferas lampadas tenentia, lucemque nocturnis epulis suppeditantia;*

NOTÆ.

12. *Præstante*] *Constante;* Gassendus.

13. *Rerumque potiri*] Reipublicæ summatem esse; quo nihil infœlicius homini Epicuræo, et ei qui ex norma naturæ vivit: quorsum enim belluæ tumultuanti vaces? Tibi vive, tibi vale, *τὰ πολιτικὰ ὀδὶν πρὸς τὸ εὖ.* Si recte facies, male tibi a corpore erit, nam sexcenta negotia per caput inque latus salient; si male, tum metues, uno verbo vile mancipium fueris: siquid autem in usus privatos derivabis, id omne forte cum fœnore reddendum. Itaque fuge magna, ait ille, et *λάθι βιώσας.* Hæc Faber privatus; quibus adjungas illa Epicuri: *Ἐνδοξοι καὶ περίβλεπτοι τίνες ἐθελήθησαν γενέσθαι, τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀσφάλειαν οὕτω νομίζοντες περιποιήσεσθαι· ὥστε οἱ μὲν ἀσφαλὴς ὁ τῶν τοιούτων βίος, ἀπέλαβον τὸ τῆς φύσεως ἀγαθόν· οἱ δὲ μὴ ἀσφαλὴς, οὐκ ἔχουσιν ὅ ἕνεκα ἐξ ἀρχῆς παρὰ τὸ τῆς φύσεως οἰκεῖον ὠρέχθησαν.*

16. *Degitur*] *Degimus*, Na. et olim Nonius.

Ibid. *Videre*] *Videtis*, B. *Videre*, MSS. opt. Cui *est* frustra a quibusdam adjungitur.

17. *Latrare*] *Poscere.* Ennius *latrare* pro *poscere* posuit. *Festus.*

Ib. *Nisi ut, cum*] *Nisi utque*, et sequenti versu *Mensque* legit Fayus contra omnes codd. Alii approbant *ut qui*, alii *ut cui*, et pro *semota* legunt *semotu'*: forsan rectius.

Σώματος ὑγιεία καὶ ψυχῆς ἀταραξία, τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστι τέλος, τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν ὅστε μήτε ἀλγῶμεν, μήτε ταρβῶμεν. Et rursus, *ἡδονὴν λέγομεν ἀρχὴν καὶ τέλος τοῦ μακαρίως ζῆν* Epicurus ad Menæceum.

19. *Jucundo sensu*] Epicurei non eam solam sequebantur voluptatem, quæ suavitate aliqua naturam ipsam movet, sed maxima illa iis videbatur voluptas, quæ percipitur omni dolore detracto: Tull. 1. de Fin. Et cum aliquando dixit Epicurus, *πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει.* Epist. ad Menæceum; vox ista *αἴσθησις* latius sumenda, et opponitur morti quæ est *στέρησις τῆς αἰσθήσεως.* Epicurus enim de *voluptate* a Cyreniacis dissentit, *οἱ μὲν γὰρ τὴν καταστηματικὴν ἐκ ἐγκρίνουσι, μόνην δὲ τὴν ἐν κινήσει· ὁ δὲ ἀμφοτέρων, ψυχῆς καὶ σώματος,* Laert. vit. Epicuri. Et Epicurus ipse in libro *περὶ αἱρέσεως. Ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναὶ, ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται.*

21. *Quæ demant quemque*] *Quæ demant cunque*, alii: magis placet.

22. *Multas*] *Nullas*, Lambinus, Gifanius, Pareus, alii; hanc lectionem et ipse Faber amplectitur; *multas* alii, quod retinendum judico, et v. 31.

Non magnis opibus jucunde corpora curant, admonitus contendo.

Nec domus argento fulget, auroque renidet;
Nec citharis reboant laqueata auratáque templa:
Attamen inter se prostrati in gramine molli
30 Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucunde Corpora curant:
Præsertim cum tempestas arridet, et anni
Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas;
Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
35 Textilibus si in picturis, ostroque rubenti
Jactaris, quam si plebeia in veste cubandu 'st.
Quapropter quoniam nil nostro in corpore Gazæ
Proficiunt, neque Nobilitas, neque Gloria regni;
Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum:
40 Si non forte tuas Legiones per loca campi
Fervere cum videas belli simulacra cienteis;
Fervere cum videas Classem, lateque vagari;
His tibi tum rebus timefactæ Relligiones
Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores:
45 Tum Vacuum pectus linquunt, curaque solutum.
Quod si ridicula hæc, ludibriaque esse videmus,

hæc domus nec auro nec argento fulget, et laqueata et deaurata tecta non resonant citharis; tamen juxta aquæ rivum in molli gramine jacentes sine magnis divitiis, corpora sua homines liberaliter curant; præsertim cum tempestas faveat, annique tempora virides herbas floribus conspergunt: nec ardens febris citius a corpore recedet si in tapetibus stratisque purpureis volutaris, quam si in vilibus stragulis decumbas. Quapropter cum neque nobilitas neque divitiæ, neque potestas corporibus nostris dolores auferant, credendum etiam non animo prodesse: nisi forsan, cum videas legiones tuas per campos instructas furere, et ciere belli simulachra, cum videas classes tuas late vagantes remis fluctus agitare, perterritæ hoc bellico apparatu religiones e tuo animo decedant, et mortis timor pectus relinquat solicitudine et cura vacuum. Si vero hæc nihil proficere sentiamus,

NOTÆ.

28. *Auratáque templa*] *Auratáque tecta*, olim legit Macrobius.

29. *Attamen*] *Tum tamen: Cum tamen. Quin tamen;* alii. Quæ vox a Macrobio probatur.

31. *Non magnis opibus, &c.*] Καὶ μάλα ἡ ὕλη τὴν ἀκροτάτην ἀπολαύειν ἡδονήν. Epicurus ad Menœceum. Et inter κυρίας δόξας illius legas. Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ἡ ὥρισται, ἡ εὐπορώτατός ἐστιν.

39. *Quod superest, animo, &c.*] Huic tres optimos Varronis Epicurei versus subjiciamus,

Non fit thesauris, non auro pectu' solutum,
Non demunt animis curas, nec religiones,
Persarum montes, non divitis atria Cræsi.

40. *Si non*] Ironice.

41. *Fervere cum videas, &c.*] Alii præferunt

Fervere cum videas classem, lateque vagari
Ornatamque armis belli simulachra ciere.

43. *Timefactæ*] Hac voce utitur Tullius lib. 2. de Off. nec rejicimus, etsi *pavidæ* sequatur: alii legunt *tumefacto*. Quid si *tumefactæ religiones*, i. e. superbæ; ut *Dominus metus* apud Lucretium, Δεσπότις Εἱμαρμένη apud Epicurum? Laertius vit. Epicuri. Faber non potest ab animo suo impetrare ut approbet *religiones timefactæ, pavidæ*, cum *pavidus* et *timefactus* idem sonent, quamobrem lubens legit,

His tibi tum rebus pavefactæ *religiones*
Effugiunt animo, pavidi *mortisque timores*
Tum vacuum pectus linquunt, &c.

45. *Pectus*] *Tempus*, codd. Caput, si Lambinum, aut Gifanium audiamus; Vitam si Fabrum?

46. *Quod si ridicula, &c.*] Cum reges, nobiles, ditissimi et potentissimi hominum metu, cura, solicitudine turbentur, nec beatiorem, quam alii, vitam agant; honorum, divitiarum, &c. cupiditatem ex

Re veraque Metus hominum, Curæque sequaces,
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela;
Audacterque inter Reges, rerumque Potenteis
50 Versantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureaï:
Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas
Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret?
Nam veluti Pueri trepidant, atque omnia cæcis
55 In Tenebris metuunt; sic nos in Luce timemus
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ Pueri in Tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse 'st
Non Radii solis, neque lucida tela diei
60 Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque.
Nunc age, quo motu GENITALIA Materiaï
CORPORA res varias gignant, genitasque resolvant,

si revera metus hominum et curæ sequaces non metuant strepitus armorum, nec fera tela; si audacter inter reges rerumque dominos versentur; si neque fulgorem auri reverentur, neque vestis purpureæ nitorem fulgentem: non amplius dubites harum rerum cupiditates ex sola ignorantia et stultitia oriri, præsertim cum tota hominum vita sit tenebris et densa caligine involuta. Nam ut pueri trepidant, et omnia metuunt in tenebris, sic nos in luce timemus ea, quæ interdum non sunt magis metuenda, quam quæ pueri in tenebris metuunt, et imaginantur futura. Hos igitur terrores tenebrasque quæ mentem obsident, non radii solis aut diei splendor dissipabit, sed contemplatio vel cognitio naturæ, et vera philosophia. Age vero, quo motu prima rerum semina res gignant, et res genitas resolvent;

NOTÆ.

ignorantia veræ fœlicitatis nasci, v. 15. pronunciat; nec mirum tam crassam esse ignorantiam, cum omnes veluti in tenebris ambulemus, vitamque agamus Epicureæ Philosophiæ luce nondum illustratam. In tenebris vero nos omnes vivere ex vano hominum metu, et ridiculis timoribus demonstrat; ut pueri enim in tenebris metuunt omnia, et ridicula sibi ipsis effingunt pericula, sic omnes opinione de providentia, et futuris post mortem pœnis (ægri, ut sentit Epicurus, somnio) terrentur. Ut has tenebras fuget, et Memmium suum omni metu et solicitudine liberet Lucretius, opus prosequitur, et rerum naturam copiose et ornate explicat.

52. *Quin omne sit hoc*] Alii, *Quin omnis sit hæc:* non probo, et multo minus *potestas* pro *egestas;* quod quidam codd. agnoscunt.

54. *Nam veluti Pueri, &c.*] Seneca, Ep. 110. Talis est animorum nostrorum confusio, qualis Lucretio visa est, *Nam veluti pueri, &c.* Quid ergo? nonne omni puero stultiores sumus qui in luce timeamus? sed falsum est, Lucreti, non timemus in luce, omnia nobis tenebras fecimus, nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat; tota vita incursitamus, nec ob hoc resistimus, aut circumspectius pedem ponimus; vides autem quam sit furiosa res in tenebris impetus, at mehercule id agimus ut longius revocandi simus, et cum ignoremus quo feramur, velociter tamen illo, quo intendimus, ire perseveramus: sed lucescere, si velimus, potest. Uno autem modo potest; siquis hanc humanorum divinorumque notitiam acceperit, si illa se non perfuderit, sed infecerit, si eadem, quamvis sciat, retractaverit, et ad se sæpe retulerit, si quæsierit quæ sint bona, quæ sint mala, quibus hoc sit nomen falso adscriptum; si quæsierit de turpibus, de honestis, de providentia.

61. *Nunc age, &c.*] Argumentum secundi libri v. 5. continetur: primo, promittit se explicaturum seminum motus, quibus res generantur et dissolvuntur; secundo, causam istorum motuum; et tertio, motuum seminum celeritatem. Hæc cum perfecerit, parata erunt omnia, quibus generationes et resolutiones rerum explicari possint.

Et qua vi facere id cogantur, quæve sit ollis
Reddita Mobilitas magnum per Inane meandi,
65 Expediam : Tu te dictis præbere memento.
Nam certe non inter se stipata cohæret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo ;
Ex oculisque vetustatem subducere nostris :
70 Cum tamen incolumis videatur Summa manere,
Propterea quia, quæ decedunt Corpora cuique,
Unde abeunt, minuunt ; quo venere, augmine donant :
Illa senescere, at hæc contra florescere cogunt :
Nec remorantur ibi. Sic rerum Summa novatur
75 Semper, et inter se mortales mutua vivunt ;
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur :
Inde brevi spatio mutantur sæcla animantum,
Et, quasi Cursores, vitaï lampada tradunt.
Si cessare putas rerum Primordia posse,

qua vi cogantur id facere, et quanta celeritate per infinitum Inane moventur, explicabo : tu vero, O Memmi, *dictis meis te attentum præbe. Profecto enim semina non cohærent inter se stipata, et quiescunt, res enim singulas minui videmus, et omnia longa ætate consumpta veluti delabi, et vetustatem res omnes oculis nostris subducere ; universa tamen natura rerum videtur integra manere. Hæc autem est ratio ; quæcunque materiæ particulæ decedunt, diminuunt ea corpora a quibus decedunt, augent vero ea corpora quibus accedunt, et faciunt ut illa senescant, hæc autem vigeant et floreant ; ab iis etiam corporibus quibus accedebant iterum avolant. Sic rerum summa semper renovatur, homines mutua inter se vivunt, alia animalium genera augentur, alia minuuntur ; brevique tempore mutantur, et quasi cursores in festis in honorem Vulcani Athenis celebratis tradunt vitæ lampada. Si vero credas semina posse*

NOTÆ.

63. *Quæve*] *Quæque*, e vet. lib. Gifan.

64. *Reddita*] Attributa, indita ; eaque voce sæpe utitur Lucretius.

66. *Nam certe, &c.*] De diversis seminum motibus, et eorum causa disputaturus, viam sibi præmunit, motumque aliquem esse contra ignavos quosdam et inertes philosophos ex incremento et decremento rerum, v. 13. demonstrat ; ideo enim augentur res, quod quædam materiæ particulæ advolent, et adhæreant ; ideo minuuntur, quod moleculæ quædam nexu solutæ avolent : istas vero particulas accedere vel recedere sine motu qui fixerit, absurda dixit.

68. *Fluere*] Occulte dilabi, et sensim minui. Hac voce elegantissimi autores utuntur, at non Manilius in lib. 4.

—*Tunc et opes, et regna fluunt :*

quod sensit Pareus. Consule locum, et apud Manilium *fluere* aliud significare agnosces.

71. *Cuique*] Alii, *cunque :* non tanti.

72. *Augmine*] *Agmine* alii ; quos non sequor.

78. *Et quasi Cursores, &c.*] Ex Pausania, Harpocratione, Aristophanis Scholiaste, Varrone, Scriptore ad Herennium, &c. multa corradunt interpretes : breviter ; Athenis in quibusdam festis currebant homines accensam lampada tenentes ; qui cursum perfecerit, alteri cursuro lampada tradebat ; inde λαμπαδεύεσθαι tradi successive, ut apud Philonem, Τὸ τῆς ἀρετῆς φίγγος λαμπαδευόμενον ἐπ' ἀλλήλοις διαδοχαῖς ἰσόχρονον γενήσεται Κόσμῳ. Et apposite Plato, lib. 6. de Leg. Γιγνώσκεις καὶ ἐκτρέφοντες παῖδας, καθάπερ λάμπαδα, τὸν βίον παραδιδόντες ἄλλοις ἐξ ἄλλων. Hunc versum loco suo movet Faber, et v. 75. subjungit,

—*Inter se mortales mutua vivunt*
Et quasi cursores, &c.—

79. *Si cessare putas, &c.*] Quicunque credunt novos rerum motus, incrementum viz. et decrementum a quiescentibus atomis produci posse, eos insanos, nec refutatione dignos existimat : insuper, v. 9. docet semina, quæ per Inane vagari probaverat, motum vel suo ponderi debere, vel aliorum ictui. Quodcunque enim est so-

80 Cessandoque novos rerum progignere Motus;
Avius a vera longe ratione vagaris.
Nam, quoniam per Inane vagantur, cuncta necesse 'st
Aut Gravitate sua ferri Primordia rerum,
Aut Ictu forte alterius: nam cita superne
85 Obvia cum flixere, fit, ut diversa repente
Dissiliant: neque enim mirum, Durissima quæ sint,
Ponderibus solidis, neque quicquam a tergis obstet.
Et quo jactari magis omnia Materiaï

quiescere, et quiescendo novos rerum motus excitare, profecto a veritate infinitum erras. Quoniam enim per Inane volitent cuncta rerum semina, necesse est singula vel ponderi suo hunc motum debere, vel ictibus aliorum: semina enim celerrime deorsum tendentia, cum concurrant, aut alia in alia impingant, diversa resiliant necesse est; nec aliter fieri potest, cum sint gravia, durissima, et perfecte solida, nec quicquam a tergo impedit quo minus resilirent. Ut vero clarius perspicias omnia materiæ

NOTÆ.

lidum (et soliditas est principalis seminum affectio) id grave est: gravia autem deorsum tendunt, ita seminum motus deorsum stabilitur. Cum vero solida hæc semina deorsum tendentia in corpora vel quiescentia, vel tardius procedentia impingunt, resiliant necesse est; corpus enim solidum in alterum corpus solidum impactum non omnem suum motum alteri impertit, ideoque istis gradibus motus, quos retinet, alio feretur: sic motus sursum confirmatur. Alter horum motuum est naturalis, violentus alter, uterque generationi et resolutioni rerum necessarius. Epicurus docuit, κινεῖσθαι τὰ ἄτομα κάτω, τότε μὲν κατὰ φάθμην, τὰ δὲ ἄνω κινούμενα κατὰ πληγὴν καὶ παλμόν. Laertius.

84. *Aut ictu forte*] *Aut ictu auferri*; Lambinus. Et in quibusdam codd.

—*Nam concita sæpe*
Obvia conflixere, ita uti diversa repente,

quam lectionem tanquam probabilem amplectitur: at istam interpretis facilitatem damnat poeta, et lectionem rejicit; nam gravia semina deorsum tendunt, ideoque consideranda sunt tanquam *superne obvia*.

Ib. *Superne*] Vide Fayum, et admirabere acumen hominis, qui sententiam Epicuri tot sæculis ignotam tandem invenit: Ea viz. *sursum* regio dicatur atomis, ex quacunque advenerint, sive desuper, sive infra, sive ab ortu, sive ab occasu, sive a dextra, sive a sinistra, &c. Ea vero deorsum Regio dicatur iisdem atomis, in quamcunque ferantur, sive sursum, sive deorsum, sive ab ortu, sive ab occasu, sive a dextra, sive a sinistra, &c. Et hanc sententiam Cicero in 1. lib. de Finibus rite assecutus est. Ita res omnes in tuto sunt, Epicurum explicat Fayus, et Ciceronis solertiam gravi suo testimonio confirmat. Quasi Epicurus non existimasset omnia semina ferri deorsum pondere ad lineam, aut *paululum declinare* semina dixisset, si gravitate sua ab ortu, ab occasu, a dextra, a sinistra ferri potuissent; aut hæc scripsisset Cicero, lib. 1. de Fin. *Requiro quonam pacto semina sese assequentur vicissim, atque comprehendent, aut quomodo ad insertum complexumque mutuum accedent, ut subinde res alias, veluti ipse prædicat, concursu suo progenerent?* Alia enim semina ab ortu, alia ab occasu, alia a sinistra, alia a dextra, ad insertum complexumque mutuum accederent. *Esse supra*, et *esse infra*, attribui posse Universo agnoscit Epicurus, licet non ut sit quicquam supremum, quicquam infimum: ᾧ μὲν κατὰ τοῦ ἀπείρου ὁ δὴ καταγορεῦν τὸ ἄνω, ἢ κάτω, ὡς ἂν εἴη τι μὲν ἀνωτάτω, τὶ δὲ κατωτάτω, &c. Epicurus ad Herodotum.

85. *Flixere*] Sic lib. 6.

——*pulsareque* flictu
Ferrea texta suo—

Et Virg.

Dant sonitum flictu *galeæ*—

Confluxere, B. et *Fluxere*, Nardius.

87. *Ponderibus*] *Corporibus*, Gassendus.

Ibid. *A Tergis*] *Tergibus*; alii. Et nescio quis legit, *Tergoribus stet*.

88. *Et quo jactari, &c.*] Ut melius hanc jactationem et agitationem seminum percipiat Memmius, ad primum suum librum reducit, et, v. 6. monet se olim docuisse nullum esse in infinito Spatio centrum aut medium, aut imum locum, quo semina tendant, et ubi, cum semel attigerint, quiescant: ideoque cum pondere suo deorsum ferantur, et in alia impacta aliquando resiliant, quis neget illa plerumque perpetuo motu jactari?

Corpora pervideas, reminiscere Totius imum
90 Nil esse in Summa; neque habere ubi Corpora prima
Consistant, quoniam Spatium sine fine, modoque 'st;
Immensumque patere in cunctas undique parteis,
Pluribus ostendi, et certa ratione probatu 'st.
Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est
95 Reddita Corporibus primis per Inane profundum;
Sed magis assiduo, varioque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta resultant:
Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab Ictu.
Et quæcunque magis condenso conciliatu
100 Exiguis intervallis connexa resultant,
Indupedita suis perplexis ipsa figuris;
Hæc validas Saxi radices, et fera Ferri
Corpora constituunt, et cætera de genere horum
Paucula: Quæ porro magnum per Inane vagantur,
105 Et cita dissiliunt longe, longeque recursant
In magnis intervallis; hæc Aëra rarum
Sufficiunt nobis, et splendida lumina Solis.
Multaque præterea magnum per Inane vagantur,

semina motu agitari, in memoriam revoca, nullum esse Imum locum in universo, nec punctum aliquod ad quod semina sistantur, et quiescant; quoniam Inane nullos habet terminos, et multis, iisque firmissimis argumentis olim demonstravi in omnes undique partes immensum patere. Cum vero certum sit semina in Inani infinito nunquam quiescere, sed variis et assiduis motibus agitari, fatendum etiam est alia post ictum ad longam distantiam resilire, alia ad brevem: quæ autem ad brevem tantum distantiam resiliunt, et arctius densiusque conjunguntur hamatis et angularibus et inter se implicatis mutuo impedita, illa solidas saxorum radices, et durum ferrum, et alia ejusdem conditionis corpora componunt. Quæ autem per magnum Inane vagantur, et celerrime moto post ictum ad magnam distantiam resiliunt, et moventur, illa rarum Aëra, lucem, et similia constituunt. Præter hæc duo seminum genera, multa sunt alia ab omni cætu libera,

NOTÆ.

94. *Quod quoniam constat, &c.*] Igitur cum semina assiduo motu exerceantur, cum percutiant ac resiliant, docet, v. 14. semina ista resilientia ad inæquales distantias reflecti; varietatem ictuum varietas reflectionum sequitur: ex iis autem quæ ad brevem distantiam reflectuntur, et arctiori spatio jactantur, ferrum, lapides, et reliqua dura et solida corpora componuntur; ex iis quæ ad longam distantiam resiliunt, et laxius vagantur, aer, ignis, et mollia ejusmodi et rara corpora constituuntur.

97. *Conflicta*] *Contusa*, Lambinus: *Consulta*, Gifanius: quam vocem vix intelligit, nisi *Consilire* a Salio, et inde *Consulta*: MSS. *Confulta*: quod probat Faber; notum est quid *Confulcio*, συνυόω, συνάζω, &c. ita pro certo legendum: sed festinantem Fabrum operæ urgebant, ideoque non vidit istam lectionem v. 105. repugnare. *Conflicta* itaque amplector.

98. *Nexantur ab ictu*] Quidam codd. *Vexantur*: retineo *nexantur*, v. 100. admonitus. Hæc Epicurus apud Laertium. Αἱ μὲν ἐς μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων διίστανται, αἱ δὲ αὐτὸν τὸν πάλμὸν ἴχνευν, ὅταν τύχωσιν ἐς τὴν περιπλοκὴν κεκλισμέναι, ἢ συγαζόμεναι ὑπὸ τῶν πληκτικῶν.

Ibid. *Pars etiam*] Alii, *partim etiam*.

99. *Condenso*] *Contenso*, Priscianus, et quidam codd.

100. *Connexa*] Alii, *Convecta*; *Conjecta*, alii. Existimat Gifanius veteres dixisse, *Connecta*.

104. *Paucula*] Nam multo pauciora numero sunt solida, quam rara.

105. *Et cita*] Vulg. lib. *Cætera*; inepte: quidam, *Citaque*.

108. *Multaque præterea, &c.*] Præter illa semina, quæ brevibus spatiis resultantia in dura et solida corpora connectuntur, et illa quæ magnis vagantia et longe re-

Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
110 Consociare etiam motus potuere recepta:
Cujus, uti memoro, rei simulacrum, et imago
Ante oculos semper nobis versatur, et instat.
Contemplator enim, cum Solis lumina cunque
Insertim fundunt radios per opaca domorum;
115 Multa minuta modis multis per Inane videbis
Corpora misceri radiorum lumine in ipso:
Et velut æterno certamine prœlia, pugnasque
Edere turmatim certantia; nec dare pausam,
Conciliis, et discidiis exercita crebris:
120 Conjicere ut possis ex hoc, Primordia rerum,
Quale sit, in magno jactari semper Inani;
Duntaxat rerum magnarum parva potest res
Exemplare dare, et vestigia notitiaï.
Hoc etiam magis hæc animum te advertere par est
125 Corpora quæ in Solis radiis turbare videntur:
Quod tales turbæ motus quoque Materiaï

quæ nunquam in compositum coaluerunt, ac aliquando admissa cum aliis cohærere, motusque suos sociare potuerunt: cujus rei imago et simulachrum, (quod nunc explico) ante nostros oculos semper versatur. Contemplare enim cum radii solis per rimam aut fenestram in opacam et tenebricosam domûs partem intromittantur, et videbis multa minuta corpuscula in lumine radiorum agitari, et veluti æterno certamine certantia turmatim pugnas et prœlia edere, nec unquam quiescere, modo sibi invicem appropinquantia, modo a se invicem longissime rejecta: et hinc conjectare possis quo modo rerum semina in immenso inani jactantur; usque adeo parva res potest dare imaginem magnarum rerum, atque aliqua indicia quibus res magnas deprehendere valeamus. Attentius vero hæc corpora quæ in radiis solis agitata vides oportet te contemplari, quoniam istorum agitationes argumento sunt quosdam esse seminum ipsorum motus,

NOTÆ.

cursantia, mollia et rara corpora constituunt; alia sunt ab omni nexu et concretione libera et irrequieta, quæ aliis incursant, et perpetuo vexant: porro ut ostenderet quasi similitudine quadam perennem illam agitationem, qua atomi extra concretiones per Inane quasi exercentur, v. 16. imitatus Democritum Leucippumque est, dum Aristotele referente comparârunt atomos cum vocatis illis ramentis corpusculisve per aerem, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν, quæ sunt in solis radiis per januas fenestrasve trajectis conspicua.

114. *Insertim*] Quidam codd. *Inserti radii:* quæ lectio videtur posse aliquo modo e Servio confirmari, qui ad 6. Ecl. Virg. scribit e Lucretio hæc corpuscula *infusis* per fenestrem *radiis* solis videri.

114. *Per opaca domorum*] Ita lege, nec illos audi, qui, *Per aperta domorum*, amant.

120. *Conjicere*] *Corripere*, B. nihil mutandum, nec illos moror, qui pro *quale* in sequenti versu legunt *quidve*.

124. *Hoc etiam magis, &c.*] Similitudinem, qua motus seminum illustraverat, v. 17. in argumentum vertit; Ista ramenta in solis radiis jactata variis diversisque motibus agitari videmus, modo ad lineam tendentia reflecti, modo ad dextram, modo ad sinistram, in omnes denique partes moveri: dum vero omnia corpora eandem lineam semper servent, nisi ab externa vi, vel interna sua gravitate alio flectantur, fatendum est quosdam subesse seminum motus, licet oculis cerni non possint, qui hæc ramenta et corpuscula agitent et exerceant; causa enim primaria omnis motus, et agitationis, quæcunque in rebus observatur, est in ipsis seminibus.

125. *Turbare*] *Tumultuari, errare.* Terent. Hecyr. *dum ne reducam, turbent porro, quam velint:* Turbent (inquit Donatus) errent, tumultuentur. Lucret. infra,

Aut ex offensu cum turbant corpore in ipso
Semina——

Significant clandestinos, cæcosque subesse.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam, retroque repulsa reverti
130 Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis :
Scilicet hic a Principiis est omnibus error.
Prima moventur enim per se Primordia rerum ;
Inde ea, quæ parvo sunt Corpora conciliatu,
Et quasi proxima sunt ad vireis Principiorum,
135 Ictibus illorum cæcis impulsa cientur :
Ipsaque, quæ porro paullo majora, lacessunt.
Sic a Principiis ascendit motus, et exit
Paullatim nostros ad sensus, ut moveantur
Illa quoque, in Solis quæ lumine cernere quimus ;
140 Nec quibus id faciant Plagis apparet aperte.
Nunc, quæ Mobilitas sit reddita Materiaï
Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, MEMMI.
Primum Aurora novo cum spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
145 Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent :
Quam subito soleat Sol ortus tempore tali

licet sensibus non appareant : videbis enim multa ex istis corpusculis clandestinis ictibus percussa commutare pristinum iter, modo rejecta retro, modo in hanc, modo in illam, et denique in omnes partes impelli : hic scilicet vagus motus ipsis seminibus debetur. Semina enim prima per se moventur, inde concreta quæ minima mole sunt, et quæ ad ipsa principia quasi proxime accedunt, clandestinis seminum ictibus impulsa agitantur ; illaque concreta moles majores lacessunt. Sic a seminibus ipsis motus ascendit, et paullatim exit ad nostros sensus (fit sensibilis) ut illa corpuscula, quæ in radiis solis oculis usurpare possumus, moveantur, at quibus ictibus agitentur videre minime valeamus. Nunc quanta sit seminum in movendo pernicitas, hinc licet, O Memmi, *facile colligere. Principio cum Aurora nova luce perfundit terras, et variæ volucres pervolitantes avia nemora, loca implent cantibus per liquidum aëra sonoris, nemo est qui non perspicit quam subito, et pene puncto temporis sol tunc ortus*

NOTÆ.

130. *Denique*] Alii præferunt, *undique*.

131. *Scilicet hic a*] Quidam, *Scilicet hic et*; quos neglige : alii legunt, *hinc*.

136. *Ipsaque*] Frustra in aliquibus codd. legitur *Ictaque*.

141. *Nunc, quæ Mobilitas, &c.*] Ad declarandam celeritatem atomorum, solaris lucis trajectionem per tanta hæc spatia adeo celerem tanquam argumentum a minori, v. 26. inducit. Lucem e moleculis quibusdam ex sole, ipso fonte lucis, profluentibus constare sentiebant Epicurei, has insuper moleculas constare e principiis diversis motibus agitatis, unde communis molecularum motus tardior fit et remissior, denique per aërem non invenire viam, sed facere, et aëriarum particularum occursu retardari : semina vero simplicia esse corpora, non privatis partium suarum motibus impedita, et per liberum Inane deferri. Et hinc concludunt radios solis cum sint tenuissimæ quædam atomorum contexturæ, quæ in unum motum non omnes consentiunt, neque per spatium plane liberum tendunt, concedere debere celeritate ipsis atomis, cum et solutæ, et spatio penitus libero feruntur ; *καὶ μὲν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη, πᾶν μῆκος πεῖλημπτον ἐν ἀπειρονήτῳ χρόνῳ συντελεῖ*, &c. Epicurus ad Herodotum.

143. *Primum Aurora novo cum spargit*] Macrobius olim, *Cum primum Aurora respergit*.

145. *Liquidis vocibus*] Horatius,

—Cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.

Et Virg.

Tum liquidas *corvi presso ter gutture voces*
Aut quater ingemmant.

Convestire sua perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumque esse videmus.
At Vapor is, quem Sol mittit, lumenque serenum,
150 Non per Inane meat vacuum, quo tardius ire
Cogitur, aërias quasi cum diverberet undas:
Nec singillatim corpuscula quæque Vaporis,
Sed complexa meant inter se, conque globata:
Quapropter simul inter se retrahuntur, et extra
155 Officiuntur, uti cogantur tardius ire.
At, quæ sunt solida Primordia simplicitate,
Cum per Inane meant Vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipsa suis e partibus unum,
Unum in quem cœpere locum connixa feruntur;
160 Debent nimirum præcellere Mobilitate,
Et multo citius ferri, quam lumina Solis:
Multiplexque loçi spatium transcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant fulgura cœlum;
Nam neque consilio debent tardata morari,
165 Nec persorutari Primordia singula quæque,

omnia sua luce cooperit et conspergit. At Radius ille quem sol emittit non transit per inane, ideoque tardior fit illius motus, quoniam dividit aërem, et removet: nec sunt prima nuda semina quæ istum radium lucis constituunt, et per aërem transeunt, sed moleculæ quædam ex istis seminibus compositæ; ideoque et ab internis diversis suorum principiorum motibus tardatur, et ab externis corporibus ita impeditur radius, ut tardius ire cogatur. At semina ipsa solida et simplicia cum per purum Inane moventur, nec ulla res externa impedit, cum sint quid unum, et simplex, non e partibus diverso motu agitatis composita, in eum in quem primum tendunt locum uno simplici impetu feruntur, debent maxima pernicitate præcellere, et multo celerius moveri quam solis radii, et multo majus spatium transire eo tempore quo lux solis spatium inter cœlum et terram perfundit: profecto enim principia non matura aliqua deliberatione habita, tardius

NOTÆ.

147. *Convestire*] Virgilius,
Largior hic campos æther et lumine vestit.

151. *Aërias quasi cum diverberet undas*] Gassendus, et Codd. *quasi dum*: alii, *Quod Sol*: quam tanquam pessimam lectionem Faber rejicit, et ex voce illa *undas* mira extorquet: calor ille solis quantumvis celer sit, tamen cogitur meare per aërem turbidum, et *quasi undosum*, propter ventos et accessum decessumque exhalationum, quæ in illum perpetuo recipiuntur.

154. *Simul inter se retrahuntur*] Reclamantibus omnibus libris, Lambinus legit *tardantur*: Faber libros sequitur, et addit, nunquam melius Lucretius locutus est: Qui in angusto aditu, cum magna hominum multitudo est, συνθλίβεσθαι, illi facile vident nullum dubitandi locum fuisse. Hæc ille, sed rem ipsam non attigit: semina quæ corpora rara, qualia sunt radii solis, constituunt, cita dissilire, et longe recursare asserit Lucretius: horum vero dissilientium longeque resursantium communem motum tardiorem fore quis non percipit, ideoque semina inter se *retrahi*?

157. *Res remoratur*] *Crescere moræ*, B. vitiose, ut et *se remoretur*.

158. *Atque ipsa*] *Quin ipsa*, Faber legit, et in sequenti versu *Ferantur* pro *Feruntur*: De hac emendatione, inquit, judicent docti; et certe docti judicabunt illa emendatione opus non esse.

159. *Connixa*] Recte; et frustra *Connexa* legitur.

162. *Multiplexque*] Legat qui velit, *Multiplicisque*.

164. *Nam neque consilio, &c.*] Hunc versum quidam codd. non agnoscunt, et in sequenti versu pro *perscrutari* exhibent *persectari*. Qui retinet, Fabri explicatione fruatur: neque enim dixerit quispiam, principia dum inter se deliberent quæ prima, quæ secunda ferantur, cessasse, morari: qui rejicit, eo modo quo potest, explicet.

Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.
At quidam contra hæc, IGNARI, Materiaï
Naturam non posse Deûm sine numine rentur,
Tantopere humanis rationibus, ac moderatis,
170 Tempora mutare annorum, frugesque creare;
Nec jam cætera, mortaleis quæ suadet adire,
Ipsaque deducit dux vitæ DIA VOLUPTAS,
Ut res per Veneris blanditim sæcla propagent,
Ne genus occidat Humanum: Quorum omnia causa
175 Constituisse Deos fingunt, sed in omnibu' rebus
Magnopere a vera lapsi ratione videntur.
Nam quamvis rerum ignorem Primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis Cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
180 Nequaquam nobis Divinitus esse creatam
Naturam mundi, quæ tanta 'st prædita culpa:
Quæ tibi posterius, MEMMI, faciemus aperta;
Nunc id quod superest de Motibus expediemus.

movent, nec consilium ineunt ut se suosque motus regant, et disponant. At stupidi quidam et ignari huic dogmati repugnant, creduntque ipsam nudam materiam sine ope et providentia Deorum non posse hominum utilitati et necessitatibus tam commode inservire, varias anni tempestates facere, fructus producere, cæteraque peragere, ad quæ ipsa voluptas vitæ magistra et gubernatrix homines ducit, et perficere impellit; nempe coire, Venerisque blanditiis illectos speciem suam propagare, ne pereat humanum genus, propter quos fingunt Deos cuncta effecisse: at in hac opinione plurimum falluntur. Etsi enim non esset origo rerum mihi optime perspecta, tamen ex ipsa cœli consideratione, aliisque rebus infinitis probare possum, mundum hunc tam vitiosum, tot defectibus laborantem a Diis non fuisse factum: hæc vero omnia, O Memmi, *tibi olim explicabo, nunc opus propositum implebo, et doctrinam de motibus exponam.*

NOTÆ.

167. *At quidam contra, &c.*] Providentiæ impotentissimus impugnator Lucretius scommata quædam, v. 16. effundit contra eos qui materiam inertem dicunt, et non vi sua aut necessitate naturæ, sed mente divina motam esse et dispositam; rudem deinde materiam sine ulla arte aut consilio hunc mundum posse constituere, eaque perficere opera, quæ vulgus hominum rationi et providentiæ attribuit, voluptatem esse ducem vitæ hominum, illius nutu omnes regi et gubernari, nec hominum causa mundum hunc, aut quidvis aliud a Deo fieri audacter et impie affirmat: denique promittit se olim ostensurum compagem mundi tam ineptam, inconcinnam, et vitiosam esse, ut divina sapientia sit prorsus indigna. Quid fecerit hic promissor tanto hiatu dignum lib. 5. videbimus, interim quanto sapientior ille qui *cœlos Dei gloriam enarrare* dixit! An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis, cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiunt, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Tullius de Nat. Deor. l. 2.

169. *Tantopere humanis, &c.*] Tam compositis, quæque humanæ prudentiæ tam similes sunt. Faber ex Lambino. Cum Salmasio tamen e MSS. rectius forsan legatur pro *ac moderatis, admoderate humanis rationibus;* i. e. ut humanæ rationes postulant. Et hæc interpretatio optime respondet v. 174, 175.

—Quorum omnia causa——
Constituisse Deos fingunt.——

181. *Quæ tanta 'st*] *Quamque hæc sint,* B.

183. *Nunc id quod superest, &c.*] Hunc versum rejicit Lambinus, an merito, alii judicent, certe nec supervacaneus est, nec Lucretio indignus. Olim affirmaverat se-

Nunc locus est (ut opinor) in his illud quoque rebus
185 Confirmare Tibi, nullam rem posse sua vi
Corpoream sursum ferri, sursumque meare;
Ne tibi dent in eo Flammarum corpora fraudem:
Sursus enim vorsus gignuntur, et augmina sumunt;
Et sursum nitidæ Fruges, Arbustaque crescunt,
190 Pondera, quantum in se 'st, cum deorsum cuncta ferantur.
Nec cum subsiliunt Ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma degustant tigna, trabeisque,
Sponte sua facere id, sine vi subigente, putandu 'st:
Quod genus, e nostro cum missus corpore Sanguis
195 Emicat exsultans alte, spargitque cruorem.
Nonne vides etiam, quanta vi Tigna Trabeisque
Respuat humor Aquæ? nam quam magi' mersimus altum
Directa, et magna vi multi pressimus ægre;
Tam cupide sursum revomit magis, atque remittit,
200 Plus ut parte foras emergant, exsiliantque:
Nec tamen hæc, quantu 'st in se, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per Inane deorsum cuncta ferantur.
Sic igitur debent Flammæ quoque posse per auras

Jam opportuna est occasio, ut puto, ostendere nullum corpus sua vi, et naturaliter sursum ferri, ne forsan motu flammæ deceptus id credas fieri: nam cum generetur, et cum incrementum sumat flamma, sursum tendit; lætæ etiam Segetes, et Arbores crescunt sursum, licet omnia pondera (qualia sunt Segetes et Arbores) deorsum vi sua et naturaliter tendant. Neque credendum est, cum ignes ad tecta domorum ascendant, et veloci flamma trabes et tigna absumant, id propria sua vi, et naturaliter, nulla vi cogente, facere, sed eodem modo, quo sanguis e vena secta emicat exultans alte, et cruorem late spargit. Nonne etiam cernere licet quanta vi Aqua tigna et trabes rejicit? quo magis enim alte mergimus, multaque vi laborantes in profundum deprimimus, eo majori impetu aqua rejicit, ita ut plus media sui parte sæpe emergant et exiliant: nemo tamen, puto, dubitat quin hæc omnia (quantum in se est) propria sua vi et naturaliter per vacuum Inane deorsum ferrentur. Similiter credendum est, flammas per

NOTÆ.

mina omnia deorsum tendere, et omnem motum sursum esse violentum, idem urget, v. 33. et docet nullum corpus, ne ignem quidem ipsum, naturaliter sursum ferri, sed vi aliorum corporum extrudi, eodem modo quo Succus in arboribus, Sanguis e venis exiliens et trabs Aquis immersa; quis enim dubitat et succum istum, et sanguinem, et trabem istam in *Inani* deorsum tendere, licet alter per truncum ascendat, alter e venis emicet, et altera ex undis emergat? observat denique radios solis ad terram deorsum tendere, stellas etiam, meteora ignita, et fulmina in terras cadere, et concludit flammam non vi sua, sed corporum extrudentium impulsu sursum ferri: ἢ τὰ πρῶτα μὲν ἄπλα, καὶ τὰ ἐξ ἀτόμων συγκείμενα βάρος ἔχει: Plutarchus, 1. Plac. Phil. cap. 12. Et Simplicius docet Epicuri fuisse sententiam, ἅπαν σῶμα βάρος ἔχειν, τῷ ἢ τὰ βαρύτερα ὠθίζειν, τὰ ἥττον βαρέα ὑπ' ἀτόμων ἐκθλίβεσθαι ἐπὶ τὰ ἄνω.

187. *Ne*] *Nec*, alii, vitiose; et imperite *timeo* pro *in eo* legit Nardius.

188. *Augmina*] Alii, *Agmina*.

Ibid. *Sursus enim vorsus, &c.*] Est tacita ἀνθυποφορά· sursum enim, inquies, fertur ignis, ad quam versu sequenti respondet, sed fruges et arbores in altum feruntur propter vim subigentem, quæ e terris prorumpens, in altum crescere cogit, cum tamen omnia pondera naturaliter (quantum in se est) ferantur deorsum. *Faber*.

193. *Sine vi subigente*] Ita Lambinus uno MS. adjutus. Alii omnes, *Subjecta*.

197. *Quam magi' mersimus*] *Quam magis urgimus*, B. et alii codd. *urgere* enim apud veteres ut *fervere*: alii, *ursimus*.

199. *Revomit*] Melius quam *Removet*.

Aëris expressæ sursum succedere ; quanquam
205 Pondera, quantum in se 'st, deorsum deducere pugnent :
Nocturnasque faces Cœli sublime volanteis
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quascunque dedit parteis Natura meatum ?
Non cadere in terram Stellas, et Sidera cernis ?
210 Sol etiam summo de vertice dissupat omneis
Ardorem in parteis, et lumine conserit arva :
In terras igitur quoque Solis vergitur ardor.
Transversosque volare per imbres Fulmina cernis :
Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus Ignes
215 Concursant, cadit in terras vis Flammea volgo.
Illud in his quoque Te rebus cognoscere avemus :

aërem expressas posse ascendere, licet propria gravitas deorsum deducere contendat : nonne etiam cernere licet ignita noctu meteora per aërem volitantia ducere longos flammarum tractus in quascunque partes vagari permittit natura ? Nonne vides etiam stellas et sidera in terram cadere ? Sol de alto cœli culmine calorem flammasque suas in omnes undique aëris regiones emittit, et agros radiis conserit ; ignis igitur ipsius solis versum terras, et deorsum tendit : cernis quoque fulmina per imbres transversos ferri ; flammæ e nubibus prorumpentes nunc hinc nunc illinc concurrunt, et Ignis passim in terras decidit. Te etiam, O Memmi, *cognoscere magnopere volo,*

NOTÆ.

206. *Sublime*] Virgilius,

Jamque humiles, jamque elati sublime *feruntur.*

209. *Non cadere in terram Stellas, &c.*] Fallitur, inquies, Epicurus, et cum illo una Lucretius ; neque enim stellæ cadunt ; ita est : sed muta nomen, pro stellis pinguem, sulphuream, et oleaginosam exhalationem ponito, quod dicit verum erit tamen ; Faber. Lambinus et Pareus e Virgilio explicant Lucretium,

—*Suadentque* cadentia *sidera somnum :* locum inspice, eosque viros nihil agere deprehendes.

212. *Vergitur*] Servius, ad 12. Æneid.

Quo vergat *Pondere lethum ;*

Bene *vergat*, nam morientes inferos petunt. Et hæc melius Lucretium explicant quam illa quæ alii interpretes ex Servio ad 6. Æneid. proferunt :

—*Frontique* invergit *vina Sacerdos :*

Vergere est conversa in sinistram partem manu ita fundere, ut patina convertatur, quod in infernis sacris fit : alii legunt, *spargitur.*

214. *Abrupti*] Virgilius ;

— Erupti *nubibus ignes,*

— Proruptus *corpore sudor.*——

et Æneid. 3. v. 199. melius ex Codd. vet. legatur,

Abrupti *nubibus Ignes,*

quam Abruptis.

216. *Illud in his quoque—rebus*] De Seminum motu naturali deorsum, et violento sursum fuse poeta disputavit : unde autem motus ille violentus nisi ex ictu ? at gravia æquali velocitate ad lineam per Inane descendentia nunquam concurrerent, alia nunquam assequerentur alia, proinde nulla foret omnino generatio, nihilque existeret

Desertum præter spatium et primordia cæca.

Hoc vitio laborabat Democriti sententia, qui unicum tantum motum κατὰ πληγὴν (ita enim legendum, non κατὰ πλάγιον, ut ex Cicerone manifestum est, qui libro de Fato, *Quandam vim motus,* inquit, *habebunt, impulsionis, quam plagam ille appellat, a te, Epicure, gravitatis et ponderis :*) agnovit : Plutarch. de Plac. Phil. l. 1. c. 23. Epicurus igitur duas species motus naturalis constituit, aliam ad perpendiculum, aliam ad declinationem, Ἐπίκουρος δύο εἴδη τῆς κινήσεως, τὸ κατὰ στάθμην, καὶ τὸ κατὰ παρέγκλισιν. Plutarchus de Plac. Phil. l. 1. c. 23. Motus hic declinationis idcirco necessarius est visus, quoniam alioquin nullus inter atomos ictus futurus fuisset, nullaque proinde extitisset unquam ullius rei generatio. Cicero in 1. lib. de Fin. Censet Epicurus eadem illa individua et solida Corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam, hunc naturalem esse omnium Corporum motum : deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, nunquam

Corpora cum deorsum rectum per Inane feruntur,
Suoderibus propriis incerto tempore ferme,
Incertisque locis spatio decedere paullum:
Tantum quod Momen mutatum dicere possis.
Quod nisi Declinare solerent, omnia deorsum,
Imbris uti guttæ, caderent per Inane profundum;
Nec foret Offensus natus, nec Plaga creata
Principiis: ita nil unquam Natura creasset.
Quod si forte aliquis credit Graviora potesse
Corpora, quo citius rectum per Inane feruntur,

corpora cum per Vacuum innata sua gravitate deorsum ad lineam tendant, aliquo saltem tempore, sed non uno definito, aliqua etiam parte spatii, sed non una definita, a linea vi sua propria declinare, ita tamen ut motus ad lineam dicatur vel minimum mutatus. Nisi enim declinarent, Omnia deorsum per Infinitum Inane, uti imbris guttæ, ferrentur; nullus foret inter semina ictus, nulla plaga, et sic natura nullum unquam compositum procreâsset. Si autem aliquis fortasse existimet graviora corpora, utpote celerius per inane descendentia, posse

NOTÆ.

fore ut atomus altera alteram possit attingere, itaque attulit rem commentitiam; declinare dixit atomum perpaullum quo nihil possit fieri minus, ita effici complexiones, et copulationes, et adhæsiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi quæ in eo sunt. Hanc sententiam, v. 35. explicat Lucretius.

217. *Rectum per Inane*] Id est motu perpendiculari, ita autem dicitur *rectum per inane*, ut *recta regione viai*; neque enim necesse est legere *vastum per Inane*, quod cuipiam videatur. Faber. Alii illam, quam apposui, interpretationem sequuntur.

219. *Decedere*] *Secedere*, Lambinus. Antiqui omnes codd. *Se pellere*: sic Cicero in lib. 1. de Nat. Deorum; *Omnis autem ista rerum effigies quomodo ex individuis corporibus oritur? quæ etiamsi essent, quæ nulla sunt*, pellere se ipsa tamen, *et agitari inter se concursu fortasse possent, formare, figurare, &c. non possent.*

Ibid. *Incertisque locis*] *Incerto tempore*, non uno definito, sed modo hoc, modo illo tempore; *incertis locis*, aliis atque aliis: ita moventur semina tanquam animalia quæ v. 259, 260.

—*Declinant motus nec tempore* certo
Nec regione loci certa, *sed ubi ipsa tulit mens*:

ita Lucretius malignus providentiæ hostis stupida sua et bruta semina tantum non animo, et voluntate donat.

220. *Tantum quod Momen, &c.*] Ita vet. lib. Turnebus legit *Momen mutatûs*, i. e. mutationis (ut ipse Lucret. *In* commutatum *veniunt*): ut sit hæc sententia, vix dicere possis levem mutationem esse factam. Alii, *Tantum quoad Momen*: alii, quod *Minimum mutatum*. Cicero, lib. de Fato, *Cur declinet atomus* uno minimo, *non declinet duobus aut tribus?* et Lucret. infra, v. 243, 244.

—*Paullum clinare necesse est*
Corpora, nec plus quam minimum.—

Gassendus, *Minimum momentum*.

221. *Quod nisi declinare, &c.*] Breviter, v. 4. hunc motum declinationis admittendum docet; alioquin disjuncta semper et discreta ferrentur semina, tanquam imbris guttæ, nullæ forent adhæsiones, et complexiones atomorum, et proinde nulla composita.

225. *Quod si forte aliquis, &c.*] Motum hunc ad declinationem, κινήσιν κατὰ παρέγκλισιν ita deperit Lucretius, ut illum nullo modo sibi extorqueri patietur; idcirco, v. 18. acriter insurgit in eos, qui existimant graviora semina per Inane descendentia posse assequi leviora, et illa percutere; ita ut non opus sit ista, quam fingit seminum declinatione: asserit omnia semina æquivelocia esse, et pari pernicitate per Inane ferri, ideoque illa quæ pone subeunt nunquam posse assequi præcedentia: medium quidem facere aliquid ad motus accelerationem et retardationem, et corpora ejusdem materiæ pondere inæqualia, cum per aquam aut aërem superne deorsum cadant, non æquivelocia esse, quod falsum est, concedit; vult autem motum eo velociorem semper fieri, quo spatium liberius seu inanius est, ut ubi spatium denique liberrimum inanissimumque est, motus sit velocissimus, et qui plures in eo sunt, motus ii sint æque veloces.

Incidere e supero Levioribus, atque ita Plagas
Gignere, quæ possint genitaleis reddere motus;
Avius a vera longe ratione recedit.
230 Nam per Aquas quæcunque cadunt, atque Aëra deorsum,
Hæc pro ponderibus casus celerare necesse 'st,
Propterea, quia corpus Aquæ, naturaque tenuis
Aëris haud possunt æque rem quamque morari:
Sed citius cedunt Gravioribus exsuperata.
235 At contra nulli de nulla parte, neque ullo
Tempore Inane potest Vacuum subsistere reii,
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat:
Omnia quapropter debent per Inane quietum
Æque ponderibus non æquis concita ferri.
240 Haud igitur poterunt Levioribus incidere unquam
Ex supero Graviora, neque Ictus gignere per se,
Qui varient motus, per quos Natura genat res.
Quare etiam atque etiam paullum clinare necesse 'st

levioribus desuper incidere, et inde plagas ictusque fieri, unde motus rerum genitales orirentur, ille profecto plurimum et egregie fallitur. Quæcunque per aquas aut aërem descendunt pro diversa ratione ponderum celerius aut tardius feruntur, quia aër et aqua omnibus corporibus non æqualiter resistunt, et eorum motus impediunt, sed facilius a gravioribus corporibus dividuntur, et removentur. At e contra Inane *non potest ex ulla parte ulli rei resistere, eamque impedire, et sistere; sed liberum quo feratur spatium pro natura sua semper dabit: igitur per* Inane *non resistens inæqualia pondera debent æquali velocitate ferri, ideoque graviora non possunt levioribus desuper incidere, neque per se ictus istos facere qui varient motus, per quos res cunctas natura producit. Fatendum igitur est semina declinare perpaulum,*

NOTÆ.

227. *Plagas,*] Ita Lamb. e. v. 241. ubi *gignere ictus*, licet omnes libri *plagis* exhibeant.

230. *Deorsum*] Alii, *rarum;* quæ vox respondet v. 232.

Naturaque tenuis
Aeris——.

233. *Haud possunt æque*] *Haud æque*, id est non æqualiter, non similiter; nam aqua magis subsistit corporibus, quam aër: Hæc Lambinus, sed longe alia est, eaque ipsa, quam apposui, Lucretii sententia.

238. *Inane quietum*] Quod nulli rei resistit, nam quo liberius est spatium, eo velocior secundum Epicureos motus: ἢ μὲν ἢ ἰσοταχῶς ἀναγκαῖον τὰς Ἀτόμους εἶναι ὅταν διὰ τοῦ κενοῦ εἰσφέρωνται, μηδενὸς ἀντικόπτοντος, οὔτε γὰρ αἱ βαρεῖαι θᾶττον εἰσθήσονται τῶν κούφων, ὅταν γε δὴ μηδὲν ἀφαιρῇ αὐταῖς, ὅτι αἱ μακραὶ τῶν μεγάλων, ὡς πάντα πόρον σύμμετρον ἔχουσαι, ὅταν μηδὲν μήδε ἐκείναις ἀντιπόστῃ· ὑφ' ἡ ἄνω, ὑφ' ἡ εἰς τὸ πλάγιον διὰ τῶν πρόσω φορὰ, ὑφ' ἡ κάτω διὰ τῶν ἰδίων βαρῶν τῇ ταχύτητι διαφέρει. Epicurus ad Herodotum.

239. *Æque ponderibus*] *Atque ponderibus*, e suis forsan, quos alibi jactat, MSS. codd. edidit Fayus; tales codd. tam eleganti viro non invideo.

241. *Per se*] Id est solo motu ad lineam, sine ulla declinatione.

242. *Genat*] Gifanius et Pareus huic voci, quam deperit Lambinus, nimium quantum infensi, legunt *gerat*, quasi *genat* non melius respondeat v. 228.

Quæ possint genitaleis *reddere motus.*

243. *Quare etiam atque etiam*] Refutata, quam modo exposuerat, opinione, concludit, v. 8. semina declinare perpaullum, et quo nihil potest minus esse, ita etiam ut non *oblique* moveri dicantur: sensus enim ipsi docent gravia deorsum tendentia non obliquo motu ferri, at iidem sensus non negant gravia minimum declinare, declinatio enim minor est quam ut percipi possit; ideoque cum non refragentur sensus, et postulat rerum generatio, quæ sine isto motu nunquam prorsus foret, admittenda est seminum declinatio.

Ibid. *Clinare*] Alii, *inclinare;* sed quis *clinare* rejiceret, qui *clinamen*, v. 292. admittit?

Corpora, nec plus quam minimum, ne fingere motus
245 Obliquos videamur, et id res vera refutet.
Namque hoc in promptu, manifestumque esse videmus,
Pondera, quantum in se 'st, non posse Obliqua meare,
Ex supero cum præcipitant, quod cernere possis;
Sed nihil omnino recta regione viaï
250 Declinare, quis est, qui possit cernere, sese?
Denique si semper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur semper novus ordine certo,
Nec Declinando faciunt Primordia motus
Principium quoddam, quod Fati fœdera rumpat,
255 Ex infinito ne causam causa sequatur;

at quo nihil possit fieri minus, ne fingere videamur semina obliquo motu ferri, et istud figmentum experientia refutet. Omnibus enim manifestum est gravia corpora cum descendant sua gravitate non posse oblique ferri, et hoc ipsi oculi demonstrant; at a recta linea perpaulum non declinare quis oculus tam acutus qui sentiat? Denique si omnis motus semper connectatur, certoque ordine et serie novus motus e vetere semper oriatur, nec semina declinando *faciunt motus quoddam principium quod fati catenas rumpat, et efficiat ut causa ab æterno non sequatur causam,*

NOTÆ.

245. *Obliquos, &c.*] Modeste, at motus vel maxime obliquos æquius postulasset; si sensuum judicium timeat, abeant isti molesti sensus, et hoc uno se falli patiantur; non iniquior est postulatio: nam et ipsa declinatio (Cicero, primo libro de Finibus) ad libidinem fingitur, ait enim Epicurus atomos declinare sine causa, quo nihil turpius est physico, et illum motum naturalem omnium ponderum e regione inferiorem locum petentium sine causa eripuit Atomis; nec tamen id, cujus causa hæc finxerat, assequutus est. Nam sive omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent, sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur, primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur; deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit.

250. *Declinare,—sese*] Virgil. Æneid. 4.
—Dulci declinant lumina somno.
et Cicero de Fato, *Quæ ergo nova causa est in natura quæ declinet atomum?*

251. *Denique si motus, &c.*] Pro declinatione seminum iterum pugnat Lucretius, v. 43. Quosdam motus esse voluntarios omnes sentiunt, libertatem in seipso quilibet percipit, et similem esse in aliis animalibus non inepte conjicit; illa enim videt motus suos non certo tempore, certoque ordine peragere, sed pro libitu variare, et nutu suo vivere. Imo cum carceres subito patefiant, tantum non videmus ipsam voluntatem equi prorumpentem et longe præcurrentem antequam moventur artus; primo plausu erigitur, internus animi motus præceps fertur, dum spiritus, qui per nervos in singula membra dirigendi sunt, tardius conveniant, animique motui morosius obsequantur. Deinde cum externa vi impellimur, aliquid intus latet quod vi isti obsistat et repugnet; et aliud plane nos agere sentimus, cum nostro nutu, quam cum aliorum impulsu moveamur. Unde vero hæc libertas? Excute semina ipsa, nihil tale in iis latet, ex motu directo et ad lineam fati et necessitatis catena nectitur, ex ictu (si potest esse ictus sine declinatione) eadem sequitur necessitas. Relinquitur igitur sola declinatio cui se debeat libertas. Motum hunc declinationis Plutarchus de An. solerte docet ab Epicuro induci, ὅπως ἀς τὴν ζωὴν ἡ τύχη παραιτλθῃ, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν μὴ ἀπολῆται. *Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem quod veritus est ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali et necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur.* Et alibi, Epicurus ab atomis petit præsidium, easque de via deducit, et uno tempore suscipit res duas inenodabiles: unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo existet ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet; alteram, ut cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. *Cicero de Fato.*

255. *Ex infinito ne causam, &c.*] Fatum

Libera per terras unde hæc animantibus extat,
Unde est hæc (inquam) fatis avolsa Voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas;
Declinamus item motus, nec tempore certo,
260 Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit Mens?
Nam dubio procul his rebus sua cuique Voluntas
Principium dat; et hinc motus per membra rigantur.
Nonne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere Equorum
265 Vim cupidam tam desubito, quam Mens avet ipsa?
Omnis enim totum per Corpus materiaï
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis, ut studium Mentis connexa sequatur:
Ut videas initum motus a Corde creari,
270 Ex Animique voluntate id procedere primum:
Inde dari porro per totum Corpus, et artus.
Nec simile 'st, ut cum impulsi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnoque coactu;
Nam tum materiam totius Corporis omnem

unde oritur, unde, inquam, illa animantium voluntas libera, et fati vinculis exempta; cujus nutu huc et illuc pro libitu movemur, motusque nostros variamus non certo semper (definito) tempore, nec certo semper (definito) loco, sed ubi, et quando ipsi animo placuit? Dubitari enim non potest, quin hi motus initium a voluntate sumunt, et postea per artus deferuntur: nonne etiam videi cum subito patefiant carceres, equos ad cursum pronos non posse prorumpere tam cito quam animus ipse vult? Namque particulæ materiæ (spiritus) quæ motui inserviunt, ex toto corpore collectæ debent convenire, ut conjunctæ, (vel uno impetu emissæ) imperium voluntatis faciant: unde manifestum est motus initium a corde fieri, et primum procedere ex voluntate animi (qui in corde situs est), et inde per totum corpus, et omnia membra dispergi. Neque hic motus similis est illi quo movemur, cum vi externa et alterius impulsu agimur, tum enim quilibet experitur totam corporis sui impulsi molem

NOTÆ.

enim nihil aliud est quam εἱμὸς seu συμπλοκὴ αἰτιῶν τεταγμένη: et qui introducunt causarum seriem ordinatam ac sempiternam, ii mentem hominis *libertate* spoliatam fati necessitate devinciunt. Cicero de Fato.

259. *Declinamus*] Inclinamus, variamus, dirigimus, et absurde Fayus, vitamus.

262. *Riguntur*] Gassendus, *vagantur*: alii, *reguntur*: De anima mundi Manilius,

——*cum spiritus unus*
Per cunctas habitet partes, atque irriget *orbem*
Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

264, 265. *Equorum vim cupidam*—] Ut apud Virgilium,

——*Odora canum vis.*

265. *Desubito*] Ennius, Nævius, Cæcilius, omnes veteres utuntur: Ennius.

Cum desubito *me orat mulier lachrymansque ad genua accidit.*

266. *Omnis enim totum, &c.*] V. 6. Motus voluntarios animalium obiter, nec inepte explicat: vult ipse animus, deinde colligit spiritus qui sibi obsequantur, per nervos in membra dirigit, languidos fovet, novos et vigentes subministrat, ita movetur animal, et continuatur illius motus.

268. *Connexa*] Cum aliis *connixa* libentius legerem.

272. *Nec simile 'st, &c.*] Explicatum modo voluntarium motum, v. 12. illustrat, comparatione facta inter eum et motum violentum; nam motu violento acti vim externam sentimus, cum nutu nostro procedamus, nihil tale. Deinde vi externæ repugnat voluntas nostra, aliquando etiam vincit; unde patet esse aliquod principium internum motus, liberum plane, nec ulla necessitate vinctum.

275 Perspicuu 'st, nobis invitis, ire, rapique,
Donicum eam refrænavit per membra Voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit, et invitos cogit procedere sæpe,
Præcipiteisque rapit, tamen esse in pectore nostro
280 Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit,
Cujus ad arbitrium quoque copia materiaï
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et projecta refrænatur, retroque residit?
Quare in Seminibus quoque idem fateare necesse 'st,
285 Esse aliam præter Plagas, et Pondera causam
Motibus, unde hæc est nobis innata potestas:
De Nihilo quoniam fieri Nil posse videmus.
Pondus enim prohibet, ne Plagis omnia fiant,
Externa quasi vi; sed ne mens ipsa necessum

se reluctante ferri, donec voluntas motum istum inhibeat, et singula membra sistet. Nonne ergo jam intelligis, quanquam vis externa multos agat, et invitos movere cogat, rapiatque præcipites, aliquid tamen esse in corde nostro quod isti impulsui resistere queat, et reluctari, ad cujus nutum spiritus (copia materiæ) aliquando per nervos in membra emittuntur, emissi aliquando inhibentur, et retro fluere coguntur? Et si hoc agnoscas, necesse est ut fateare esse in ipsis seminibus aliam motuum causam præter plagas et pondus, ex qua causa hæc libera facultas innata oritur: Nihil enim fit e Nihilo. *Pondus enim ipsum, quod seminibus naturale est, efficit ut omnia non ictibus, et quasi externa vi agantur; sed ut mens ipsa interna necessitate*

NOTÆ.

277. *Extera*] Melius quam *extima* Lambini.

283. *Projecta*] Quasi procul rejecta, Fayus: Ama interpretem.

284. *Quare in seminibus, &c.*] E libertate Voluntatis motum Declinationis, v. 10. demum adstruit; ex ictu nunquam nascetur ista libertas, ictus quippe est vis externa, quæ Libertati maxime adversatur, Pondus, licet sit principium motus internum, dum tamen deorsum eodem semper tenore tendat, non minus adversatur Libertati, quam ipse Ictus: sola igitur restat Declinatio, quæ nec certo tempore, nec certo loco facta necessitatem istam, quam et Ictus et Pondus inducunt, evitat, et rumpit fati fœdera.

286. *Nobis*] E vett. codd. Lambinus; dum alii legunt, *ollis*. Cicero, lib. 1. de Nat. Deorum; Epicurus cum videret si atomi in inferiorem locum ferrentur suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod illarum motus esset certus et necessarius, invenit *Declinationem*, ut hanc necessitatem effugeret.

287. *De Nihilo quoniam, &c.*] Id est, res non fiunt ex Nihilo, quia pondus et ictus atomorum id impediunt, at pondus et ictus atomorum non faciunt, ut nobis innata sit libertas agendi; hæc Fayus: quibus nihil absurdius vel ipse Fayus.

289, 290. *Ne mens ipsa necessum Intestinum, &c.*] Codices omnes, *ne res ipsa;* istis omnibus codicibus præferenda est Lambini conjectura, sententia ipsa postulat *mens:* hunc locum, de quo nihil interpretes, difficilem existimo, et ita explicandum; De nihilo nihil fit, ergo Libertas voluntatis ex aliquo oritur, quodnam vero istud sit jam inquirendum est: Motus seminum est duplex, alter naturalis deorsum, qui a *Pondere* procedit, alter violentus sursum, qui ab *Ictu;* jam ab *Ictu* omnia non fieri manifestum est, quoniam aliquis motus a Pondere procedit, iste autem motus qui a *Pondere* procedit, dum sit naturalis, et eodem semper tenore labatur, *Libertati* non magis favet, quam ipse *Ictus:* ne igitur animus, qui ex seminibus constat, necessitate aliqua interna, i. e motu qui a *Pondere* procedit determinetur, sola potest seminum *Declinatio* efficere, quæ in incerto loco, incerto etiam tempore facta, illius *Libertatis* causa esse potest.

289. *Necessum*] *Necesse* est nomen, nam *necessus, necessis, necessitas,* et *necessum* lectum est: Donatus ad Sc. 5. Act. 5. Eunuchi Terent.

290 Intestinum habeat cunctis in rebus agendis,
Et devicta quasi cogatur ferre, patique;
Id facit exiguum CLINAMEN Principiorum
Nec regione loci certa, nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit unquam Materiaï
295 Copia, nec porro majoribus intervallis;
Nam neque adaugescit quicquam, neque deperit inde.
Quapropter quo nunc in motu Principiorum
Corpora sunt, in eodem anteacta ætate fuere,
Et posthac semper simili ratione ferentur;
300 Et quæ consuerunt gigni, gignentur eadem
Conditione; et erunt, et crescent, inque valebunt,
Quantum cuique datum 'st per fœdera Naturaï,
Nec rerum Summam commutare ulla potest vis.
Nam neque quo possit genus ullum Materiaï
305 Effugere ex Omni, quicquam 'st, neque rursus in Omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere, et Omnem
Naturam rerum mutare, et vertere motus.
Illud in his rebus non est mirabile, quare
Omnia cum rerum Primordia sint in motu,
310 SUMMA tamen summa videatur stare quiete,
Præterquam si quid proprio dat corpore motus.

non determinetur in omnibus suis actionibus, et quasi devicta cogatur pati (nihil pro libitu agat) minimæ isti declinationi *seminum, quæ neque in certo loco, neque in certo tempore fit, debetur. Tota seminum multitudo nunquam magis stipata fuit, nec porro majoribus intervallis distabat (nec rarior, nec densior), numerus enim seminum nec augeri potest, nec diminui. Quapropter in eo motu, quo nunc sunt semina, olim etiam in omni præterito tempore fuerunt, et eodem posthac in æternum ferentur; et quæ aliquando genita fuerunt, similiter in posterum gignentur, et existent, et augebuntur, et valebunt, prout leges naturæ permittunt, et uniuscujusque rei natura postulat. Nec ulla potest vis mutare rerum summam (Universum), nam nullus est locus in quem recedere possit aliqua materiæ particula ex Omni (Universo) effugiens, neque ullus omnino locus e quo nova vis potest in Universum irrumpere, naturam rerum, et motus seminum mutare. Ne vero mireris quod cum omnia semina perpetuo motu agitentur, Universum tamen alta quiete torpescere videatur, nec motus aliquos, nisi forsan particulares quorundam corporum sentiamus.*

NOTÆ.

294. *Nec stipata magis, &c.*] Semina mutari non posse olim docuit Lucretius, jam, v. 14. asserit. Universam materiam nec minoribus unquam, nec unquam majoribus intervallis distinctam, quippe nullum semen perit, ita ut hiatus relinquatur; nullum novum semen introducitur, unde spissius fieret Universum: deinde motus seminum esse immutabiles, eosdem olim fuisse, qui nunc sunt, et eosdem in æternum futuros; ideoque quales res olim productæ erant, tales iterum produci posse: quippe ubi eadem semina, idem semper Pondus, et ubi nulla vis externa introduci possit, ibi idem motus, qui ex illo Pondere profluit, sit necesse est.

299. *Et posthac*] *Post hoc*, Gifanius; et in sequenti versu, *Quæ consuerunt.*

308. *Illud in his rebus, &c.*] Contra Lucretium forsan aliquis objiciat, ipsos sensus hanc de perpetuo seminum motu opinionem evertere, nam si Universa materia agitaretur, unde rerum summa (τὸ πᾶν) tam alta quiete torpescere videatur? Respondet poeta, v. 25. inepte id objici, necesse enim est ut motus seminum sit imperceptibilis, cum ipsa semina aciem oculorum fugiant: deinde subjungit, rerum etiam sensibilium motus oculos nostros e longinquo spectantes non raro latere, quod exemplis ovium per agros reptantium, et militum per campos discurrentium illustrat.

Omnis enim longe nostris ab sensibus infra
PRIMORUM natura jacet; quapropter ubi illa
Cernere jam nequeas, motus quoque surpere debent:
315 Præsertim cum, quæ possimus cernere, celent
Sæpe tamen motus spatio diducta locorum.
Nam sæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant Pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbæ gemmantes rore recenti;
320 Et satiati Agni ludunt, blandeque coniscant:
Omnia quæ nobis longe confusa videntur,
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Præterea magnæ Legiones cum loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes;
325 Et circumvolitant Equites, mediosque repente
Tramittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad Cœlum se tollit, totaque circum
Ære renidescit Tellus, subterque virûm vi
Excitur pedibus sonitus, clamoreque Montes
330 Icti rejectant voces ad Sidera mundi;
Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, et in campis consistere Fulgur.

Semina enim ipsa longe minora sunt quam ut sub sensibus cadant; cum igitur semina ipsa videre non potes, certe motus ipsorum debent esse inconspicui. Nec de hac re dubitabis, si consideres illarum rerum, quas oculis usurpare possumus, motus sæpe cerni non posse, si modo ipsæ res sint longe remotæ: nam sæpe oves in monte læta gramina tondentes modo huc, modo illuc tendunt, quocunque herbæ recenti rore gemmantes invitant singulas; agni etiam bene saturati ludunt, et lasciviunt; quæ tamen omnia e longinquo visa nobis apparent indistincta, et speciem ferunt unius continui candoris in viridi monte consistentis. Præterea cum numerosi exercitus potentium camporum omnes partes cursu complent imaginem pugnæ exhibentes, cum equites circumvolitant, mediosque campos vehementi impetu quatientes transcurrunt, cum fulgur ad cœlum usque ascendit, toti undique campi armorum nitore perfunduntur, discurrentium hominum pedibus excitatur sonitus, et montes clamore icti ad stellas usque reflectunt voces; si tamen hæc omnia ex aliqua parte alti montis spectes, totum istud fulgur videretur continuum, sine motu stare in campis, et ex omni parte quiescere.

NOTÆ.

312. *Infra*] *Ipsa*, alii exhibent, sed Lambinus nihil mutare ausus est.

314. *Surpere*] Surripere, subducere: Horatius, Od. 13. lib. 4.

Quo motus, quid habes illius, illius,
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat *mihi?*

320. *Coniscant*] Lambinus, *coruscant*, vel *corussant* a κορύσσω, cornibus peto: Theocritus, Idyll. 3.

Τὸν Λιβυκὸν Κνάκωνα φυλάσσετο μὴ τὸ κορύψῃ·

Schol. μὴ τὸ κορύψῃ· μὴ σε κερατίσῃ, τὸ γὰρ κερατίζειν κορύσσειν οἱ Ἀττικοὶ λέγουσιν, ὡς συστοιχούντων ἀλλήλοις τῶν κερῶν, καὶ τὰς κορυφὰς πληττόντων, ᾗ μηνυμένων. At *coniscans* utitur Cicero in Pisonem, *caput opponis cum eo coniscans*. Quinctiliani Inst. l. 8. cap. 3. Quidni igitur *coniscant* retineamus, cum sit apposita vox, et significet *arietare*, vel *cornibus petere?* Hic vero mira commentus est Fayus; docet enim Quinctilianum lib. 6. Ciceronem voce *coniscans* utentem, et hunc ipsum Lucretii versum laudare: ita isti semper errant, qui alienis, non suis oculis utuntur.

326. *Impete*] Sic lib. 5.

Aut hominem tanto membrorum esse impete natum.

et alibi.

329. *Clamoreque montes icti rejectant.*] Alii codd. *Clamor quoque montes icit, et ejectat.*

Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum,
Qualia sint, et quam longe distantia formis,
335 Percipe, multigenis quam sint variata FIGURIS:
Non quod multa parum simili sint prædita forma,
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant.
Nec mirum; nam cum sit eorum Copia tanta,
Ut neque finis (uti docui) neque Summa sit ulla;
340 Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo, similique affecta Figura.
Præterea genus Humanum, mutæque natantes
Squammigerûm Pecudes, et læta Arbusta, Feræque,
Et variæ Volucres, lætantia quæ loca aquarum
345 Concelebrant circum ripas, fonteisque, lacusque,
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes;

Nunc age jam deinceps accipe qualia sint semina, quantum a se invicem formis distent, et quam variis et diversis figuris donantur; non quod pauca sint prædita forma simili (infinita enim sunt figuræ uniusmodi), sed quod omnia non sint similis, et ejusdem prorsus figuræ: nec mirum, cum enim tanta sit seminum multitudo, ut neque finis sit illorum, uti demonstravi, neque summa ulla (ut sit prorsus infinita), omnia profecto non debent esse ejusdem formæ, nec prædita figura prorsus simili. Præterea, contemplare homines, pisces mutos, arbores, feras, diversa avium genera, quæ flumina, fontes, lacus frequentant, et quæ sylvas et nemora avia pervolitant,

NOTÆ.

333. *Nunc age, &c.*] De soliditate seminum, et de affectionibus, pondere viz. et motu, quæ ex illa profluunt, copiose disputavit. Jam de alia seminum affectione, Figura viz. quæ magnitudinem consequitur (Figura enim terminus et modus magnitudinis) dicturus, monet, v. 5. atomos esse diversimode figuratas. Non profecto quod ipsarum Figuræ discerni visu magis valeant, quam de magnitudine est dictum, sed quod ea figuratio rationibus variis comprobari possit. Epicurus apud Plutarchum docet, atomos ἴδια ἔχειν σχήματα λόγῳ θεωρητά. Epicurus, Epist. ad Herodotum, τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μικρὰ, ἐξ ὧν καὶ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, ἀστείληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων οὐ γὰρ δύνατον γινέσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς ἐκ τῶν αὐτῶν (forsan ἀτόμων) σχημάτων περιειλημμένων.

336. *Non quod multa parum, &c.*] Intelligit multa esse simili Figura, non autem infinita. Faber. Contra, Lucret. ver. 522—524.

—Primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figura,
Infinita cluere.

vid. v. 691. e quo quid hæc sibi velint disces.

338. *Nec mirum cum, &c.*] Primo, v. 4. docet semina diversimode esse figurata, quod verisimile non sit corpuscula illa, cum sint infinita, esse figuræ uniusmodi. Res quaslibet contemplemur, quo major earum numerus, eo major plerumque figurarum varietas, et idem, quod de rebus aliis, est de seminibus sentiendum.

341. *Esse pari filo*] A. Gellius, lib. 14. c. 4. Chrysippus facit imaginem justitiæ, fierique solitum esse dicit a pictoribus, rhetoribusque antiquioribus ad hunc ferme modum; forma atque *filo* virginali, &c. Et Plautus dixit satis scitum *filum* mulieris, pro forma et figura mulieris; et ipse Lucretius alibi.

342. *Præterea genus humanum, &c.*] Secundo, v. 7. variæ principiorum figuræ arguuntur ex eo, quod omnia naturalia ex iis contexta, homines, feræ, aves, pisces, &c. diversimode figurentur.

344. *Lætantia*] Quid sibi velit hæc vox *lætantia* nescit Lambinus, nisi forsan ab effectu loca aquarum dicantur *lætantia*, quia volucres lætificent; conjicit autem legendum *fluitantia*, vel *lactantia*, i. e. invitantia. Faber legit *liquentia*, suamque conjecturam tuetur autoritate Virgilii, qui dixit, *campos liquentes*. Vossius ad Catullum, p. 234. *lætantia* defendit, et confirmat ex v. 882, 883. lib. 5.

—puer haud quaquam, quin sæpe etiam tunc
Ubera Mammarum in somnis lætantia *quærit.*

Horum unum quodvis generatim sumere perge,
Invenies tamen inter se distare Figuris.
Nec ratione alia Proles cognoscere Matrem,
350 Nec Mater posset Prolem; quod posse videmus,
Nec minus atque homines inter se nota cluere.
Nam sæpe ante Deûm vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen;
355 At Mater virideis saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia convisens oculis loca, si queat usquam
Conspicere amissum Fœtum; completque querelis
Frundiferum nemus adsistens, et crebra revisit
360 Ad stabulum, desiderio perfixa Juvenci:
Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis,
Oblectare animum, subitamque avertere curam;
Nec Vitulorum aliæ species per pabula læta
365 Derivare queunt alio, curaque levare:

contemplare inquam singula horum genera, et unumquodque inter se figuris distare invenies: neque profecto nisi esset figurarum varietas, proles suam matrem, nec mater prolem suam cognoscere valeret; at manifestum est quod hæc animalia, non minus quam ipsi homines se invicem cognoscunt: nam sæpe vitulus ante pulchra deorum simulachra mactatus concidit juxta thuricremas aras, calidum cruoris flumen e pectore emittens; at mater privata prole sylvas virides percurrens linquit humi vestigia pressa bisulcis pedibus (sylvas pede bifido pererrat), oculis suis loca omnia perlustrans, si forsan amissam prolem usquam videre possit, querelis (querulo mugitu) nemus adjacens implet, sæpe ad stabulum revertitur, prolis amissæ desiderio perfixa; neque salices teneræ, neque gramina rore vigentia, nec ulla flumina summis ripis labentia recreare illius animum, subitamque illius curam possunt avertere, neque species aliorum vitulorum, qui per fertiles agros lasciviunt, alio convertunt illius animum, illamque solicitudine liberant,

NOTÆ.

348. *Distare Figuris*] Alii, *Differre Figuris.*

349. *Nec ratione alia, &c.*] Quarto, v. 22. ostendit hanc diversimodam figurationem, non tantum in rerum generibus, sed in individuis ejusdem generis manifestam esse et conspicuam; ex sola enim diversa figuratione agnitio matris a prole, prolis a matre in brutis: hoc argumentum illustrat præclara descriptione vaccæ mactatum vitulum requirentis, et demum quædam de agnitione matrum ab hœdis et agnis subjungit.

351. *Nota cluere*] Animalia viz. inter se, vel sibi invicem nota sunt.

353. *Turicremas*] Virgilius,

Vidit turicremis *cum dona imponeret aris.*

356. *Linquit*] Nescio quis, *Non quit; quit* a *quio*, quiesco: *non quit*, id est non *facit quiescere* vestigia, ut apud Plautum; *quiesce istam rem; quiesce istum tumultum.* Si esset vox *quio*, quam nondum inveni, lectionem veram esse judicarem.

359. *Adsistens*] Nescio quis *adsittens*, ex voce *σίττα*· Hesychius: Σίττα· ἰκτιφόρημα αἰξίν. Scholiastes ad quartum Idyllium Theocriti, Σίττα· ἰκτίφθιγμα βυκολικὸν, ὅτις λίγουσιν οἱ βυκόλοι, ὁμοίως καὶ τὸ ψίττα. Idem ad quintum Idyllium: Σίττα, ψίττα· ποιμενικὰ, αἰκολικὰ, βυκολικὰ ἰκτιφθίγματα. Ita hæc conjectura vaccam Lucretii in pastorem, caprarium, vel armentarium convertit. *Adsectans*, alii; *adsistens*, i. e. proximum, Lambinus; *adsistens*, luctu et dolore orbitatis perfixa ibi stans, stupefacta, ἱστιτίσασα ἑαυτήν. Faber.

Ibid. *Crebra*] Virgilius,

—*Pede terram*
Crebra *ferit.*

359, 360. *Revisit ad stabulum*] Sic Terentius, *ad eum visam*; et Plautus, *nunc ad eum inviso.*

365. *Derivare queunt alio*] Alii, pro *alio*, *animum* legunt, ut v. 363.

Oblectare animum:

Usque adeo quiddam proprium, notumque requirit.
Præterea teneri tremulis cum vocibus Hœdi
Cornigeras norunt Matres, Agnique petulci
Balantum pecudes: ita, quod natura reposcit,
370 Ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.
Postremo quodvis frumentum, non tamen omne
Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formis;
Concharumque genus parili ratione videmus
375 Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit Æquor arenam.
Quare etiam atque etiam simili ratione necesse 'st,
Natura quoniam constant, neque facta manu sunt
Unius ad certam formam Primordia rerum,
380 Dissimili inter se quædam volitare figura.
Perfacile 'st jam animi ratione exsolvere nobis,
Quare Fulmineus multo penetralior ignis,
Quam noster fluat e Tedis terrestribus ortus.

tem pertinaciter quiddam quod suum est, et sibi cognitum requirit. Præterea teneri cum tremente voce hœdi cornigeras matres suas, petulci etiam agni matres suas balantes pariter cognoscunt, ita ut quisque (prout natura ipsa postulat) ad suæ tantum matris ubera decurrat. Denique quodvis frumenti genus contemplare, omnia tamen illius grana non inter se tam prorsus similia invenies, quin aliqua sit inter illa figurarum varietas: sic et conchas dissimiles videmus terram pingere (variis figuris ornare), qua æquor mollibus undis bibulam arenam littoris incurvi ferit. Quapropter, pariter etiam semina, cum sint a natura, non facta manu alicujus artificis ad unam certam formam, debent ferri (esse) dissimilibus figuris prædita. Hinc facile explicare possumus cur Ignis fulminis facilius et fortius res penetrat, quam ille noster (communis) qui facibus terrestribus exortus fluit.

NOTÆ.

et Virg.

—Non mollia possunt
Prata movere animum—

Alii,

Deriuare queunt, animum curaque levare.

Pro *alio* reliqui pugnant, et laudant Ciceronem alicubi dicentem, *alio* responsionem suam derivavit.

368. *Agnique petulci*] Petulci appellantur, qui protervo impetu et crebro petunt lædendi alterius gratia, Festus: ex hoc loco Festi edit. corrige.

369. *Balantum pecudes*] Ita vett. codd. dum alii scribunt, *Balantes pecudes*.

371. *Postremo quodvis, &c.*] Eandem specialem, seu (ut loquuntur) individualem differentiam agnosci docet, v. 6. siquis attendat, non modo in herba sed etiam in granis frumenti, in conchis, et similibus; et demum, v. 4. concludit semina ipsa, cum a nullo artifice ad unam formam facta sint, debere non minus quam res cæteras variis et diversis figuris ornari.

Ibid. *Quodvis frumentum*] E versu 347. repete, *sumere perge*.

376. *Pavit*] Ita Lambinus e MS. *Pavire* autem veteres pro *ferire*. Cicero, lib. 2. de Divinatione: Sed quia cum pascuntur necesse est aliquid ex ore cadere, et terram *pavire*, terripavium primo, post terripudium dictum est. Alii scribunt *lavit*, autore Nonio, qui in voce *lavit* hunc versum laudat.

381. *Perfacile est jam animi ratione, &c.*] Hanc pro varietate figurarum contentionem non inanem et inutilem esse, sed variis naturæ phænomenis explicandis necessariam demonstrat; et ex iis ipsis naturæ phænomenis varietatem figurarum egregie et copiose probat. Primo, v. 9. docet cur ignis fulminis facilius et fortius res penetrat quam ignis e teda vel e lignis ortus, nempe ignis fulminis e parvis et subtilibus seminibus constat, dum crassiora sunt et hebetiora semina istius ignis, qui e teda aut lignis oritur; ita alia semina aliis minora.

382. *Penetralior*] Quidam codd. *penetralius*; ut et v. 384. *cælestis* pro *cælestem*.

Dicere enim possis cœlestem FULMINIS ignem
385 Subtilem magis e parvis constare figuris;
Atque ideo transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic e Lignis ortus, Tedaque creatus.
Præterea Lumen per cornu transit; at Imber
Respuitur: Quare? nisi Luminis illa minora
390 Corpora sunt, quam de quibus est liquor Almus Aquarum.
Et quamvis subito per colum Vina videmus
Perfluere, at contra tardum cunctatur Olivum
Aut quia nimirum majoribus est Elementis,
Aut magis hamatis inter se, perque plicatis.
395 Atque ideo fit uti non tam deducta repente
Inter se possint Primordia singula quæque
Singula per cujusque foramina permanare.
Huc accedit, uti Mellis Lactisque liquores

Dicere enim licet ignem fulminis cælestem subtilem magis esse, quippe e seminibus minoribus formis præditis constantem; atque ideo porulos istos pertransire posse, quos noster ignis tedis ligniisque exortus permeare nequeat. Præterea lux transit per cornu, sed aqua non transit; quam ob causam? scilicet quia lucis particulæ minores sunt, quam illæ e quibus aqua componatur. Videmus vinum per colum cito fluere, at e contra oleum tarde transit, quoniam viz. illius semina majora sunt, quam vini semina, aut saltem magis hamata, et perplexa; et inde fit quod singula semina non tam cito diduci a se invicem, et distrahi possunt, et coli porulos perfluere. Adde insuper, quod lac et mel grati sint saporis,

NOTÆ.

385. *Subtilem magis e parvis*] *Et parvis*, mavult Faber, et sapit.

388. *Præterea Lumen per cornu, &c.*] Per *cornum*, alii e veteribus. V. 3. docet eandem diversitatem figurarum causam esse cur lux per cornu transit dum aqua in superficie sistitur.

389. *Minora*] Bono animo sit Fayus, non secum pugnat Lucretius; alia semina aliis minora esse libenter agnoscit, nec tamen sibi ipsi repugnat, licet semina *minima* esse olim dixerit. Per minima enim nihil aliud volunt Epicurei quam simplicia, solida corpora, ideoque individua.

391. *Quamvis subito*] *Quantumvis subito*, mallem cum Lambino, quam *licet subito* cum bono Fayo. Alia semina non tantum aliis majora, sed alia hamata et ramosa esse dum alia rotunda sint, v. 7. demonstrat. Vinum enim ideo cito per colum transit, dum oleum tardius fluit, quoniam olei semina hamata sunt, et inde perplexior principiorum nexus, ita ut non facile adeo exolvantur, et coli foramina penetrent.

395. *Deducta*] Tenuia, subtilia; metaphora a lana, ut opinor; exempla passim. Alii, *diducta*, quod in MSS. legitur, quod esset *divisa*, *distracta*, *separata*, *&c.* sed pessime, ut opinor, nam in concretis atomi non mutant naturam. Ridiculus itaque Gifanius qui scribit; *atomi hamatæ sunt initio, nec statim omnes diductæ:* Faber. Ipse ridendus: hamata semina perplexe connecti quis nescit? *Semina in concretis naturam mutare*, nec ipse credidit Gifanius, hamatas vero atomos subito diduci non posse existimavit, et recte: *diducta* igitur libenter legerem, cum semina hamata, et inter se perplicata, nisi diducantur, per coli foramina permanare non possunt.

398. *Huc accedit, uti Mellis, &c.*] V. 10. idem urget argumento e diverso rerum sapore ducto; lac enim et mel dulcia sunt, quia constant e corpusculis ea ratione configuratis, ut in organum gustatus effusa, porulosque ejus subeuntia apposite ipsis eisdem particulis accommodentur, sicque ipsum deliniant, demulceant, leniter placideque afficiant: absynthium vero et centaurium amara et acerba, quod corpuscula ex quibus constant ea ratione configurentur, ut in porulos organi subeuntia haud debitam habeant cum ipsis commensurationem, unde et particulas ejusdem compungant, concidant, convellant, organumque adeo dilanient, discerpant, asperiter moveant. Et hinc licet conjectare, dulcia e lævibus et rotundis corpusculis componi, amara ex asperis et hamatis.

Jucundo sensu linguæ tractentur in ore;
400 At contra tetra Absinthî natura, ferique
Centaurî fœdo pertorquent ora sapore:
Ut facile agnoscas e lævibus, atque rotundis
Esse ea, quæ sensus jucunde tangere possunt:
At contra quæ amara, atque aspera cunque videntur,
405 Hæc magis hamatis inter se nexa teneri;
Proptereaque solere vias rescindere nostris
Sensibus, introituque suo perrumpere corpus.
Omnia postremo Bona sensibus, et Mala tactu,
Dissimili inter se pugnant perfecta figura:
410 Ne tu forte putes Serræ stridentis acerbum
Horrorem constare elementis lævibus æque
Ac Musæa mele, per chordas Organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant.
Neu simili penetrare putes Primordia forma
415 In nareis hominum, cum tetra Cadavera torrent,
Et cum Scena croco Cilici perfusa recens est,
Araque Panchæos exhalat propter odores.
Neve bonos rerum simili constare Colores
Semine constituas, oculos qui pascere possunt,

et dum in ore versentur jucundum sensum excitant; at e contra amarum absynthium, et tetra centaurea ingrato sapore suo distorquent ora: et hinc facile colligas illa quæ sensus grato sapore et jucunde afficiunt (dulcia) e lævibus et rotundis seminibus constare, at contra quæcunque amara et ingrati saporis sentimus, ex hamatis particulis, et magis inter se perplexis constare, unde fit ut lædant scindantque organa, et ingressu suo lacerent corpus: denique quæ grata sunt et jucunda sensui, quæ ingrata et injucunda, quippe sibi invicem contraria, seminibus disparis figuræ constant; ne forte existimes acerbum serræ stridentis horrorem constare seminibus æque lævigatis, ac sonos musicos, quos veluti dormientes organici mobilibus digitis chordas percurrentes excitant, et efformant. Ne etiam credas semina esse ejusdem figuræ quæ afficiunt nares hominum cum fœda cremant cadavera, et cum scena croco cilici recenter conspersa est, et ara juxta posita suaves Arabici thuris odores exhalat. Neque credas gratos rerum colores qui oculos delectare possunt

NOTÆ.

400, 401. *Ferique centaurî*] Ut absynthium *tetrum*, et lib. 4. *tristia* centaurea. Valeant grammatici cum bellis istis de immanitate *Chironis* conjecturis, et miser Fayus cum suo *agrestis*.

406. *Rescindere*] Rumpere, aperire. Alii legunt *restringere*, quod forsan idem valet.

408. *Omnia postremo Bona, &c.*] Hactenus de dulci et amaro sapore, jam v. 18. docet res aliis etiam sensibus jucundas, aut injucundas fieri propter eandem causam, quoniam viz. semina e quibus constant sint lævia et rotunda, vel aspera et hamata. Sic in gratis sonis, odoribus, et coloribus, rotunda et lævia semina; in ingratis autem hamata et aspera agnosces.

412. *Musæa mele*] Cantica elaborata, et ex arte composita. *Mele* ut *Pelage*. V. 504. *cycnea mele*. l. 1. v. 933. *musæo lepore*. V. 946. *musæo melle*, lib. 5. v. 335. *melicos sonores*.

416. *Croco Cilici*] Croci enim qui e Cilicia advehebantur floribus scena spargebatur; Faber. Horatius, Epist. ad Augustum,

Recte necne crocum *floresque perambulet Attæ*
Fabula si dubitem, &c.

417. *Araque—exhalat propter*] Ita malem quam *propter odores exhalat*.

419. *Oculos pascere*] Sic lib. 1. v. 37.
Pascit *amore avidos inhians in te, Dea, visus*.

Terentius.
Restabat nihil aliud nisi pascere *oculos*.

420 Et qui compungunt aciem, lacrymareque cogunt:
Aut fœda specie tetri, turpesque videntur.
Omnis enim sensus quæ mulcet causa, juvatque,
Haud sine Principiali aliquo lævore creata 'st:
At contra, quæcunque molesta, atque aspera constat,
425 Non aliquo sine Materiæ squalore reperta 'st.
Sunt etiam quæ jam nec Lævia jure putantur
Esse, neque omnino flexis mucronibus Unca:
Sed magis Angululis paullum prostantibus, et quæ
Titillare magis sensus, quam Lædere possunt;
430 Fæcula jam quo de genere 'st, Inulæque sapores.
Denique jam calidos Igneis, gelidamque Pruinam,
Dissimili dentata modo compungere sensus
Corporis, indicio nobis est Tactus uterque.
TACTUS enim, Tactus (pro Divûm numina sancta)

componi e seminibus ejusdem formæ cum illis qui pungunt oculos, et lachrymas exprimunt, aut fœdam speciem præ se ferunt, et turpes videntur. Quodcunque enim delectat, et gratum est sensibus, id constat e lævibus principiis: quodcunque vero lædit et ingratum est, id e squalidis hamatisque seminibus componitur. Sunt etiam quædam semina, quæ nec lævigata jure dicas, neque aduncis apicibus prorsus hamata, sed potius angularia (quæ angulos habent prominentes), et quæ titillare potius quàm lædere sensus possunt; et semina istiusmodi figuræ fæculam, inulam, et similia componunt. Denique calidum ignem, et gelidam pruinam dissimili figura sensus nostros afficere colligimus ex utriusque tactu. Tactus enim, (proh Dii sancti) Tactus

NOTÆ.

425. *Squalore*] Squalor proprie asperitas est, itaque vestis auro et signis aspera *squalens auro* dicitur, Virgil. Faber. Haud operæ pretium monere in quibusdam codd. huic versui subjungi,

At quæ lenis et est jucundo prædita sensu,
Hæc aliquo sine seminio graviore creata est.

426. *Sunt etiam quæ jam, &c.*] Quoniam sunt quædam objecta, quæ sensus organa nec prorsus lacerant, ut amara, nec ita delectant ut dulcia, sed titillant potius et grato dolore excitant, ideo putandum est nec prorsus lævia et rotunda eorum semina esse, nec hamata et aspera, sed angulis quibusdam extantibus figurata, ita ut aliquatenus pungere valeant, lacerare non possint, v. 5.

430. *Inulæque*] Ita Lambinus e codd. cum vulgati habent *vinique*. Horatius dixit *amaras inulas*,

Erucas virides inulis *ego primus* amaris
Monstravi incoquere, &c.

431. *Denique jam calidos Igneis, &c.*] Ad tactum tandem venit, et illius objecta diversimode figurata esse docet, v. 13. quia calor et frigus organa diversimode afficiunt. Deinde tactum (quem Epicurei unice admirabantur et amabant) et diversas illius species non sine effusione quadam animi, et exultatione explicat.

432. *Dentata*] Figurata, ne putes Lucretium velle ignis atomos angulosæ esse, non orbicularis figuræ; et *sensus uterque* (ita legit) dicitur, metonymicῶς pro *utriusque*: Gassendus. Sed plus *dentata* significat; semina enim ignis *compungunt* sensum, idcoque necesse est angulos quosdam habeant extantes. Frigus ad figuram trigonicam seu pyramidalem, quæ nimirum constat ex quatuor faciebus triangularibus, Epicurus refert. Etenim in Epist. ad Pythoclem glaciei causam declarans, fieri eam dicit, κατ' ἔκθλιψιν μὲν τῶν περιφερῶς σχηματισμῶν ἐκ τοῦ ὕδατος, σύνωσιν δὲ τῶν σκαληνῶν, ἢ ὀξυγωνίων τῶν ἐν τῷ ὕδατι ὑπαρχόντων, ἢ κατὰ δὶ τὴν ἔξωθεν τῶν τοιούτων περόσκρισιν, &c. *Dum exploduntur ex aqua orbicularia* (effectricia Caloris) *corpuscula, coarctantur vero quæ in eadem aqua reperiuntur scalena, et acutangula, aut dum ea corpuscula adsciscuntur extrinsecus, &c.* Eadem Plutarchus in libro de primo frigido.

434. *Pro Divûm numina sancta*] Poetice, non philosophice, certe non κατ' Ἐπίκουρον loquitur (*proh Dii immortales,*) quos frustra invoces, si illos securum agere ævum credideris. Faber. Inconsiderate, ut et omnia de tactu. Epicurus ipse, ὅρκῳ δὲ

435 Corporis est sensus, vel cum res Extera sese
Insinuat, vel cum lædit, quæ in corpore nata 'st,
Aut juvat egrediens genitaleis per Veneris res;
Aut ex Offensu cum turbant Corpore in ipso
Semina, confunduntque inter se concita sensum:
440 Ut si forte manu quamvis jam Corporis ipse
Tute tibi partem ferias, æque experiare.
Quapropter longe formas distare necesse 'st,
Principiis, varios quæ possint edere sensus.
Denique, quæ nobis Durata ac Spissa videntur,
445 Hæc magis hamatis inter sese esse necesse 'st,
Et quasi ramosis alte compacta teneri:
In quo jam genere in primis Adamantina saxa,
Prima acie constant, ictus contemnere sueta,
Et validi Silices, ac duri robora Ferri,
450 Æraque, quæ claustris restantia vociferantur.
Illa autem debent ex Lævibus atque Rotundis
Esse magis, fluido quæ corpore Liquida constant:

est sensus corporis, vel cum res externa intrat in corpus, vel cum res, quæ nata est in corpore, egreditur, et in egressu vel lædit, vel delectat ut in coitu; aut cum semina agitata sibi invicem occurrentia, in ipso corpore tumultuantur, et inter se concita confundunt sensum; quod genus Tactus ipse, si aliquam partem corporis manu percutias, experiri potes. Concludo igitur figuras istorum seminum quæ diversos sensus excitant, varias debere esse, et dissimiles. Denique res, quæ spissæ et duræ nobis videntur, necesse est ex seminibus magis hamatis, et quasi ramosis alte (firmiter) compactas jungi. Inter quas res præcipue numeres (in primo agmine stant) saxa adamantina, ictus violentissimos solita contemnere, saxa etiam solida, et durum ferrum, atque æra (cardines ex ære factos) quæ sub pondere januarum strident. Res autem fluidæ, et quæ liquido sunt corpore e seminibus lævigatis et rotundis componuntur,

NOTÆ.

ἁρπαμὺς μορίοις τοῖς ἑαυτῶ βιβλίοις ἐγγεάφει, ἁμοῦ τε συμπχῶς καὶ Μὰ Δία, καὶ Νὴ Δία, ἐξερῶν τὰς ἐντυγχάνοντας, ᾗ πρὸς ὃς διαλίγοιτο, περὶ τῶν θεῶν. Vid. Eusebium, Præp. Evang. l. 14. c. 27. Lucretius imitatur Epicurum, inde hæc exclamatio, et illa infra,

Nam proh sancta Deum tranquilla pectora pace, &c.

435. *Corporis*] Vir summi judicii Fayus existimat corpus hoc in loco idem significare ac in lib. 1. v. 305.

Tangere enim et tangi, nisi corpus, *nulla potest res.*

439. *Confunduntque*] De voce ista nihil interpretes; semina inter se concita confundunt sensum, quia tumultuantur; nisi quis mavult *compungunt*, ut in v. 420.

443. *Edere*] Alii legunt *reddere*, nihil muto, at *lædere*, quod amat Gifanius, nullo modo ferri potest.

444. *Denique, quæ nobis, &c.*] Hactenus diversitatem figurarum probavit ex diversis motibus quos in organis sensuum objecta excitant: jam alia argumenta congerit, v. 34. e Firmitate et Fluiditate rerum ducta. Quædam enim semina habent hamulos, uncinulosve, quibus possint sese invicem irretire, continere, et spatiolis inanibus, quantum fieri potest, seclusis, impedire mutuam sese evolvendi dissociandique libertatem; ista firma duraque corpora constituunt, Æs, Ferrum, Saxa, et similia: aliæ particulæ læves sunt et ad orbicularem figuram accedentes, et ex iis Fluida corpora componas; nam particulæ lævore et orbiculari figura præditæ dissociabiles sunt, emobiles, impulsui facile cedunt, et in proclive provolvi possunt.

446. *Ramosis*] *Per ramos*, alii.

450. *Æraque quæ claustris restantia*] De cardinis stridore intelligendum, Lambinus, qui aliter sentiebat, alibi errat, aut certe ibi indiligenter fuit. *Restantia* quasi sustinentia; Faber.

452. *Fluido quæ, &c.*] Quidam codd. *Liquido quæ corpore fluvida* constant.

Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque,
Et procursus item in proclive volubilis extat.
455 Omnia postremo quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut Fumum, Nebulas, Flammasque necesse
Si minus omnibu' sunt e Lævibus atque Rotundis,
At non esse tamen Perplexis indupedita,
Pungere uti possint corpus, penetrareque saxa;
460 Nec tamen hærere inter se, quod quisque videmus
Sentibus esse datum: facile ut cognoscere possis
Non e Perplexis, sed Acutis esse Elementis.
Sed quod Amara vides eadem, quæ fluvida constant
Sudor uti Maris est, minime id mirabile habendum.
465 Nam quod fluvidum est, e Lævibus atque Rotundis

corpuscula enim globosa nec inter se implicantur, et cohærent, et facilius per proclive Denique omnes res quas dissipari subito et dispergi cernimus, v. g. Flamma, Fumus, non constant e seminibus lævigatis, et rotundis, tamen non componuntur e principiis inter se perplexis, ut corpus pungere, et lapides penetrare valeant: nec tamen illorum ita sibi invicem adhærent ut sentium particulæ; ita ut inde recte conjicias illas subito dissipabiles non ex hamatis et inter se perplexis principiis, sed ex acutis comp vero quædam sunt et Fluida et Amara, ut aqua marina, non est quod alicui mirabile quod Fluidum enim est e lævigatis et rotundis seminibus constat,

NOTÆ.

453. *Glomeramina*] Faber vix ignoscit Gifanio scribenti Lucretium vocare atomos orbiculares *Glomeramina;* nunquam enim Lucretius atomos vocavit *glomeramina*, neque adeo potuit: sed Fabri clementiam non implorat Gifanius, et poeta potuit vocare atomos *glomeramina*, vocavit enim. Nisi quis censeat Lucretium de figuris seminum disputantem aliud quam semina significare velle.

455. *Omnia postremo, &c.*] Quædam sunt corpora quæ inter Fluida numeremus, v. 9. Fumus, Nebula, Flamma, &c. quæ vel levissimo impetu dissolvi possunt et dissipari, ideoque ex hamatis et inter se perplexis seminibus non constant. Eadem tamen corpora sensus pungunt, ut Nebula et Fumus, oculos; res etiam duras penetrant, ut Flamma lapides et saxa: ideoque e lævibus et prorsus rotundis principiis non componuntur. Hæc autem v. 8. ex acutis seminibus partim componi asserit: ista est hujus loci, qui toties exercuit interpretes, sententia.

457. *Si minus omnibus sunt*] Ita legit Muretus, elegantius quam vulgati codd. qui *si minus omnia*, exhibent.

460. *Nec tamen hærere inter se*] Hos tres versus agnoscunt codd. rejicit Lambinus, asseritque supervacaneos esse; quasi non debuit Lucretius affirmare fluida ista pungentia et penetrantia acuta semina non minus quam lævia et rotunda atomi enim vel læves vel rotundi gunt corpus, neque penetrant; igitur retinerem si esset quod pr reponi possit.

463. *Sed quod Amara vides ea* alia sunt Fluida, quæ simul et acerba, v. g. Aqua Marina; h componi asserit, v. 14. partim et rotundis, unde istorum Flui tim e squalidis et asperis, unde a amaritudo; denique demonstrat corpora ex particulis diversimod compingi, quoniam separari poss coletur enim per arenam aqu asperas particulas deponit, et cu suis tantum et rotundis semini fluit.

464. *Sudor uti Maris est*] F *sudor amarus ut est*, et asserit his 7. v. de sudore tantum dispu conjectura illi mirifice placet, e non invideo. *Sudor maris* seu lege, non quia, ut interpretes, E olim vocavit mare *sudorem terr* τῆς γῆς, Aristoteles 2. Meteor quia *sudor*, seu ut alii *udor*, id *humor:* vid. Varronem de lingu 4. voce Udus. De *sudore* autem aqua marina hic loci agere p soli dicunt qui indiligenter legun

Est, at Lævibus, atque Rotundis mista doloris
Corpora; nec tamen hæc retineri Hamata necesse 'st:
Scilicet esse globosa, tamen cum Squalida constent,
Provolvi simul ut possint, et lædere sensus.
470 Et quo mista putes magis Aspera Lævibus esse
Principiis, unde 'st Neptuni corpus acerbum;
Est ratio secernundi, seorsumque videndi.
Humor dulcit ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat:
475 Linquit enim supra tetri Primordia viri
Aspera, quo magis in terris hærescere possunt.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit: Primordia rerum
Finita variare FIGURARUM ratione.
480 Quod si non ita sit, rursum jam Semina quædam
Esse infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eadem una cujuscujus brevitate
Corporis, inter se multum variare Figuræ

at cum istis lævigatis et rotundis quædam semina aspera (quæ dolorem excitare possunt) miscentur; non tamen necesse est hæc semina aspera hamata esse, et inter se perplexa cohærere, sufficit si sint globosa simul et aspera, tum enim simul facile provolvi possunt, (in proclive labi) et unum lædere. Et ut magis credas aspera semina lævigatis immista esse, e quibus ita mistis mare fit salsum, est aliqua ratio separandi istas particulas, et seorsum videndi. Aqua enim marina dulcescit cum per terras frequenter percolatur ut in fossam defluat, et ibi fiat mitior: supra enim relinquit semina tetri salis, quæ, quia aspera sunt, ideo facilius hærent, et remanent in terra, quam alia lævigata ejusdem aquæ semina. Cum vero de figurarum diversitate satis disputavi, aliam opinionem exponam, quæ ex priori pendet, et ab illa confirmabitur: viz. Varietatem figurarum Seminum esse finitam. *Si vero hoc non ita esset, quædam semina infinitæ forent et immensæ magnitudinis:*

NOTÆ.

466, 467. *Doloris Corpora*] Squalida seu aspera, unde dolor, et insuavis motus.

468. *Scilicet esse globosa*] Scilicet, *scire licet*, ut sæpe Lucretius; quodcunque enim est fluidum ex orbicularibus et globosis principiis constat.

477. *Quod quoniam docui, &c.*] Hoc est quod probandum suscipit: Variant Figuræ atomorum et est illarum varia magnitudo, ut jam ostensum est, sed tamen illa varietas infinita non est, etsi sit indefinita, seu incomprehensibilis. Id primo probat, v. 22. ex ipsa seminum, quam olim demonstraverat, parvitate: ut enim Figurarum varietas foret infinita, necesse est ut immensa sit seminum quorundam moles, cum sola immensa magnitudo sit infinitæ varietatis Figurarum capax. Si corporis Figuram mutare velis, transpone partes, quot sunt diversæ positiones, tot erunt diversæ figuræ: idem in semine aggredere; omnibus modis partes, quæ in illo concipi possunt, versa et transpone, et finitam tantum figurarum varietatem in tantillo corpore agnosces. Epicurus docuit, εἶναι τὰ σχήματα τῶν Ἀτόμων ἀπειρίληπτα, οὐκ ἄπειρα. Plutarchus de Placit. Phil. l. 1. c. 3. Ἀτόμοις ταῖς διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν, ἀλλὰ μόνον ἀπειρίληπτοι, εἰ μὴ μέλλοι τις καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν, ἅτι ἐν τῷ ὡρισμένῳ μεγέθει ἀπείρους ἐνοῦν διαφορὰς ἀδύνατον. Epicurus ad Herod. Ita recte legit Gassendus: Meibomius autem suis emendationibus omnia turbavit.

478. *Apta*] Ἐξαφθῶσα, Ἐχομένη, annexa, connexa, pendens. *Fidem* autem probationem, ut et Græcis πίστις in eadem notione. Faber. *Adepta*, Barthius, ut in v. 636. Claudiani de Bello Getico.

O meritum nomen fœlicibus apta *triumphis.*

479. *Finita variare—ratione*] Quidam codd. *variata*. Alii, *finitas rationes*.

482. *Cujuscujus*] *Cujusvis*, e Codd. Gifanius et numeros esse Ennianos contendit.

Non possunt: Fac enim minimis e partibus esse
485 Corpora prima tribus, vel paullo pluribus auge;
Nempe ubi eas parteis unius Corporis omneis,
Summa atque ima locans, transmutans dextera lævis,
Omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
Formaï speciem totius Corporis ejus:
490 Quod superest, si forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit; inde sequetur,
Adsimili ratione, alias ut postulet ordo,
Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formaï novitatem corporis augmen
495 Subsequitur: quare non est ut credere possis,
Esse infinitis distantia semina formis,
Ne quædam cogas immani maximitate
Esse, supra quod jam docui non posse probari.
Jam tibi Barbaricæ vestes, Melibœaque fulgens

non enim potest esse magna varietas figurarum, cum omnia corpora sint parva, supponas enim semina constare e minimis aliquibus partibus, e tribus v. g. aut paulo pluribus; cum partes has cunctas unius seminis diverso ordine disposuisti (alias modo imas, modo dextras, modo sinistras locasti), tum omnino expertus fueris quam figuram unaquæque partium positura toti illius seminis corpori det: deinde, si forsan plures figuras velis inducere, tum addas necesse est alias partes, et similiter si plures figuras velis, alias partes iterum addas necesse est. Ergo ut varietas novarum figurarum major fit, ita et corpus fit majus, ideoque non potes concipere infinitam varietatem figurarum in seminibus nisi etiam velis quædam semina infinitæ magnitudinis; quod olim demonstravi non posse esse. Deinde barbaricæ vestes, splendens Melibœa

NOTÆ.

485. *Tribus vel pluribus auge*] Non, tres aut plures partes addas, ut alii interpretes; sed supponas, e tribus aut pluribus, i. e. definito partium numero constare. Quælibet figuratio positionem partium peculiarem exigit, porro autem partes magnitudinis finitæ tot modis transponi, et componi possunt, ut nullus tandem positionis modus superstes fiat: alioquin enim novæ et novæ in infinitum partes essent, ex quibus magnitudo tandem infinita conciperetur, cujusmodi sane in atomo non est, quæ infra visum longe consistit. *Gassendus.*

497. *Maximitate*] Sic *proximitas* apud Ovidium, *optumitas*, et *opulentitas* apud Plautum.

499. *Jam tibi Barbaricæ vestes, &c.*] V. 15. aliam accipe rationem: Si aliæ et aliæ figuræ in Infinitum concederentur, nullæ essent extremæ qualitates rerum naturalium certæ et determinatæ; quando figuratione nova ita variarentur, ut et quacunque optima melior, et quacunque pessima deterior exoriri possit. Vestes pretiosissimi coloris, odores, soni, et sapores optimi ab aliis superarentur, nec amplius in honore essent; dum quæ jam ingratissima videntur, et quæ maxime aversamur, præ aliis deterioribus quotidie exortis eligeremus.

Ibid. *Barbaricæ vestes*] Phrygiæ, Persicæ, Babylonicæ.

Ibid. *Melibœaque*] A Peneo ad Sepiada, Gyrtona, *Melibœa*, Castanæa; pares ad famam, nisi quod Philoctetes Alumnus Melibœam illuminat. Pomponius Mela, l. 2. c. 3. Ad quem locum Vossius; non ob Philoctetem tantum urbs hæc illustrior erat aliis istis duabus, sed et ob purpuræ tincturam, Lucretius, l. 2.

—*Melibœaque fulgens*
Purpura Thessalico concharum tincta colore.

Sed et Virgilii locum, cum inquit,

—*Quam plurima circum*
Purpura Mæandro duplici Melibœa *cucurrit;*

de hac ipsa urbe interpretantur: alii tamen quod sciam Thessalicæ, vel Melibœensis purpuræ non meminerunt: præterea, Festus Pompeius dicit insulam fuisse, *Melibœa purpura a nomine insulæ, in qua tingitur, vocatur.* Atqui hæc *Melibœa* in

500 Purpura Thessalico concharum tincta colore, et
Aurea Pavonum ridenti imbuta lepore
Sæcla novo rerum superata colore jacerent:
Et contemptus odor Myrrhæ, Mellisque sapores,
Et Cycnea mele, Phœbæaque dædala chordis
505 Carmina consimili ratione oppressa silerent.
Namque aliis aliud præstantius exoreretur.
Cedere item retro possent in deteriores
Omnia sic parteis, ut diximus in meliores:
Namque aliis aliud retro quoque tetrius esset
510 Naribus, Auribus, atque Oculis, Orisque sapori.
Quæ quoniam non sunt in rebus reddita, certa et
Finis utrinque tenet Summam: fateare necesse 'st
Materiam quoque finitis differre Figuris.
Denique, ab Ignibus ad gelidas hiemisque Pruinas
515 Finitu 'st, retroque pari ratione remensu 'st.
Finit enim Calor, ac Frigus, mediique Tepores
Inter utrumque jacent, explentes ordine Summam:
Ergo finita distant ratione creata,
Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur,

purpura concharum Thessalicarum colore tincta, aurata etiam pavonum genera splendidis venustisque coloribus decorata, novo et fulgentiori rerum colore superata sordescerent, et despicerentur; myrrhæ etiam odor contemneretur, et sapor mellis, cycnorum cantus, Phœbæa carmina, quæ vario fidium sono canuntur, similiter victa et oppressa silerent; aliud enim aliis excellentius semper produci possit. Et ut dixi, res omnes in partes meliores progredi posse (meliora posse esse quam quæ nunc optima sunt), sic posse retro cedere in deteriores partes (deteriora posse esse quam quæ nunc pessima sunt); aliud enim aliis ingratius foret olfactui, auditui, visui, et gustui. Cum vero res istiusmodi nunquam sint, et ex utraque parte tam malis quam bonis, terminus statuatur (quædam sunt pessima, quædam optima): necesse est ut concedas varietatem figurarum seminum finitam esse. Denique, ab ignibus calidis, ad gelidas hyemis pruinas finitum est, et similiter e contra a gelidis hyemis pruinis ad calidos ignes finitum est: calor enim in igne, et frigus in pruina extrema sunt, et inter hæc medii tepores jacent explentes ordine summam (qui intendi usque ad calorem in igne, et remitti usque ad frigus in pruina possunt): Hi igitur tepores finita tantum ratione a se invicem distant, ex utraque enim parte habent terminos,

NOTÆ.

recessu sinus, quem Ossæ et Pelii promontoria efficiunt, erat sita, nihilque minus erat quam insula. Locum itaque Lucretii et Virgilii de Phœnicea purpura accipiendum esse existimo: In ditione enim Apamiæ, quæ Pella dicta erat a Macedonibus, capatque fuit aliquandiu omnium Syriæ civitatum insulam Melibœam eleganter describit Oppianus, sitam in Oronte flumine, qui antequam mari mergitur, late circa illam stagnat. *Thessalicas* vero illas conchas, dixit Lucretius, quia a Thessalis vel condita est, vel nominata est ista Phœniciæ Melibœa. Thessali enim et Macedones innumeris Syriæ locis patria indidere cognomina. Hinc illa in Syria vocabula, Berrhæa, Edessa, Larissa, Heraclea, Ægæ, Chalcis, Europos, Dium, Maronea, Pieria, Cyrestica, aliaque infinita.

503. *Myrrhæ*] Vet. codd. *Smyrnæ*: idem sonat; *μύῤῥα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσιν, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ Σμύρνης ἐκομίζετο.* Athenæus, p. 688. Vid. etiam Theophrastum de Odoribus.

514. *Denique, ab Ignibus, &c.*] Confirmat, v. 7. quia vulgo res determinantur contrariis qualitatibus, quæ ita extremæ sunt, ut plures quidem gradus medios, at nullum prorsus extra se habeant.

Ibid. *Ab Ignibus*] Hunc locum de zonis accipiendum (de iis enim Lambinus interpretatur) non puto, sed de vi intensissima ignis, de frigore, de tepore, &c. *Faber.*

519. *Ancipiti—mucrone*] Duplici termi-

520 Hinc Flammis, illinc rigidis insessa Pruinis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit: Primordia rerum,
Inter se Simili quæ sunt perfecta figura,
Infinita cluere: etenim distantia cum sit
525 Formarum finita, necesse 'st, quæ Similes sint,
Esse Infinitas; aut summam Materiaï
Finitam constare: id quod non esse probavi.
Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis
Versibus ostendam, corpuscula Materiaï
530 Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo Plagarum continuato.
Nam quod rara vides magis esse animalia quædam,

hinc calidis ignibus, illinc gelidis pruinis inclusi. Quoniam vero de hac re satis disputavi, aliam exponam opinionem, quæ ex hac pendet, et ab illa confirmabitur; viz. Semina quæ sunt unius et ejusdem figuræ Infinita esse: *nam cum varietas figurarum sit tantum finita, semina quæ sunt ejusdem et similis figuræ debent esse numero infinita, alioquin tota seminum multitudo esset numero finita, quod falsum olim demonstravi. Quod cum asseruerim, jam age, brevi suavique carmine docebo, semina ab æterno rerum summam tenere* (*omnia rerum genera conservare*) *per plagas ex omni parte continuatas. Quamvis enim quædam animalia vides numero pauca,*

NOTÆ.

no, nempe hinc calore, illinc frigore medii pores includuntur.

Ibid. *Notantur*] Metaphora a terminis depactis. *Faber.*

520. *Insessa*] Obsessa, circumfusa: alii, *Infesta:* Turnebus, *Infessa pruinis*, i. e. *Fessa in pruinis*, seu desinentia in Pruinas, seu Pruinis finita; ita ingenio et acumine suo abutitur vir ille magnus, ut imperiti librarii errores explicet, et defendat.

521. *Quod quoniam docui*] Probavit dissimiles figuras finitas esse, jam v. 7. subjungit aliam Epicuri sententiam, *semina viz. quæ sunt similis figuræ numero Infinita esse;* Infinita orbicularia, Infinita ovata, Infinita pyramidalia, atque ita de cæteris; addit deinde rationem ex Infinitate seminum superius probata; quippe, cum species figurarum finitæ sint, perspicuum est, si, quæ sub ipsis continentur Atomi, finito forent numero, nullam fore in Universo atomorum Infinitatem. Καθ' ἑκάστην δὲ σχημάτισιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν Ἀτόμοι, οὐ γὰρ τὸ πᾶν ἔθη τῷ πλήθει τῶν Ἀτόμων ἄπειρον, εἰ μὴ ἁπλῶς ἄπειροι ἂν εἰσιν αἱ καθ' ἑκάστην τι σχημάτισιν ὁμοῖαι. Epicurus ad Herodotum.

524. *Etenim*] Pro *Enim* contendunt Gifanius et Pareus, quibus nihil magis displicet quam versus integer.

528. *Quod quoniam docui*] Quatuor sequentes versus tanquam inidoneos argumento explicando prætermisit Gassendus; et abesse possunt, si consideremus Lucretium de figuris seminum disputare, si vero particulare, quod sequitur, argumentum spectemus, necessarii videntur. Atomorum sub unaquaque figura infinitatem modo probaverat; objectionem vero imminentem prævidet, quæ ut melius una cum responsione intelligatur, quatuor his versibus lectorem monet, quid expectare debuit.

531. *Protelo*] *Protelum* proprie est *tenor ille ducti aratri per sulcos.* Itaque *Protelum* erit, continuata actio et ἄπαυστος. *Faber. Protelare*, Fugare, Terent. Phor. Act. 1. Sc. 4.

Ne suis Te iratus sævidicis dictis protelet.

Vid. denique Vossium ad Catullum, p. 123.

532. *Nam quod rara vides, &c.*] Objicit sibi, posse videri finitas esse atomos sub aliquibus figuris, cum rariora quædam, et minus frequentia animalia esse videamus; et respondet, v. 37. primum, illa, quæ hic sunt rara, abundare alibi; elephantes v. g. quos Roma vix unquam vidit, in India esse plurimos. Deinde quamvis unica unius generis res esse in orbe concederetur, nisi tamen infinitæ ejusdem formæ essent atomi, futurum non fuisse, ut ea res nasceretur, et procresceret, idque allata comparatione egregie illustrat.

Fœcundamque minus Naturam cernis in illis;
At regione, locoque alio, terrisque remotis,
535 Multa licet genere esse in eo, numerumque repleri.
Sicuti Quadrupedum cum primis esse videmus
In genere anguimanos Elephantos, India quorum
Millibus e multis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari; tanta ferarum
540 Vis est, quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen id quoque uti concedam, quam libet, esto
Unica res quædam nativo corpore Sola,
Cui similis toto terrarum non sit in orbe:
Infinita tamen nisi erit vis Materiaï,
545 Unde ea progigni possit concepta, creari
Non poterit; neque, quod superest, procrescere, alique.
Quippe etenim sumant oculi, finita per Omne
Corpora jactari unius genitalia reii;
Unde, ubi, qua vi, et quo pacto congressa coibunt
550 Materiæ tanto in pelago, turbaque aliena?
Non (ut opinor) habent rationem conciliandi:
Sed quasi naufragiis magnis multisque coortis,
Disjectare solet magnum mare transtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonsasque natanteis,

et naturam in illis producendis minus fœcundam esse, nihilominus in alia regione, in alio loco, et terris remotis, possunt esse plura ejusdem generis; exempli gratia, in genere quadrupedum Elephantos anguimanos contemplemur, India enim tot millia Elephantorum nutrit, ut vallo eburno impenetrabili muniri videatur: tanta est Elephantorum multitudo in India, licet nos Romæ raro videamus. Ut tamen non morosus sim, sit res aliqua, quamcunque vis, unica et sola, et cui in toto terrarum orbe nulla sit similis; nisi vero illa semina e quibus componi possit, essent numero infinita, ista res nunquam fuisset producta, nec deinde aucta et nutrita. Supponamus enim Finita *semina alicujus rei per Infinitum Inane jactari; unde, ubi, qua vi, et quo modo convenient ista semina in tanto dissimilium seminum turbine jactata et dispersa? Nullo modo, uti opinor, convenire possunt; sed veluti cum multæ rates naufragium patiantur, mare agitatum solet disjectare transtra, gubernacula, antennas, proram, malos, remos natantes,*

NOTÆ.

533. *Fœcundamque minus*] Alii, *magis*, quos sequi nolo; *fœcundam minus naturam in illis*, Infœcundiora animalia, Gassendus: quod displicet.

535. *Numerumque repleri*] Qui respondeat aliorum frequentiæ. *Faber*.

537. *Anguimanos*] *Manus*, Elephanti proboscis, tortilis, flexilis, serpentis in modum.

538. *Vallo munitur eburno*] In extremis Africæ postium vicem in domiciliis præbere sedesque in iis, et pecorum stabulis palos elephantorum dentibus fieri Polybius tradit, autore Golussa Regulo: Plin. l. 8. c. 10. Idem Lucretium voluisse Lambinus docet, et ex illo Fayus: frigide. Respicit tabulam aliquam in qua India vallo eburno cincta esset; Faber, qui Lucretium ubique *Tabulas* spectantem inducit. Maximam Indiæ vim in elephantis sitam esse quis nescit? Illorum ope se, suamque patriam Indi defendebant. Hæc cogita, et mentem Lucretii attinges.

550. *Materiæ—pelago*] Non potuit elegantius, cum perpetuo agitantur semina, et sint omni æquore magis irrequieta.

Ibid. *Turbaque aliena*] *Inhabili ad cœtum*, Fayus, ut solet: Lucretius autem intelligit *Atomos* quæ ad constitutionem aliorum generum necessariæ sunt.

551. *Conciliandi*] Quidam codd. *Conciliari*.

552. *Multisque*] Ita leg. et *ventisque* rejice.

554. *Tonsasque*] Remos; Virgilius, —*Lento luctantur marmore* Tonsæ.

555 Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra;
Ut videantur, et indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias, vireisque, dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti:
560 Sic tibi si finita semel Primordia quædam
Constitues, ævum debebunt sparsa per omne
Disjectare æstus diversi Materiaï;
Nunquam in concilium ut possint compulsa coire,
Nec remorari in concilio, nec crescere adaucta.
565 Quorum utrumque palam fieri manifesta docet res,
Et res progigni, et genitas procrescere posse:
Esse igitur genere in quovis Primordia rerum
Infinita palam 'st, unde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus utique Exitiales
570 Perpetuo, neque in æternum sepelire salutem;
Nec porro rerum Genitales Auctificique
Motus perpetuo possunt servare creata.
Sic æquo geritur certamine Principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum:
575 Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum,
Et superantur item; miscetur Funere Vagor,
Quem pueri tollunt visentes luminis oras:

et aplustra fluitantia per omnia littora, ut videantur, et admoneant homines insidias, vires, et dolum infidi maris vitare, nec unquam credere, cum tranquilla facie æquor subdole adblandi-tur, et subridet; sic si semina alicujus rei Finita *constitues, diversi materiæ æstus illa ita dispergerent, et perpetuo disjectarent, ut nunquam coire, nunquam, si forte convenirent, in cætu remanere, aut aliis accedentibus augeri valerent. At vero nihil evidentius, quam quod res gignuntur, et genitæ augentur; ideoque haud obscurum est, semina uniuscujusque rerum generis Infinita numero esse, e quibus res creantur et augentur. Neque profecto motus quibus res destruuntur perpetuo superare, rebusque vitam auferre possunt; nec motus quibus res gignuntur et augentur res creatas perpetuo conservare; contentio inter semina (exitialia et genitalia) ab æterno existens tam pari virtute, parique successu protrahitur: nunc hic nunc illic genitalia rerum semina prævalent; nunc vincuntur; vagitus infantum miscetur cum gemitu morientium,*

NOTÆ.

555. *Fluitantia aplustra*] Aplustra, Navium ornamenta in prora. Cicero, in Arato,

Navibus absumptis Fluitantia *quærere* aplustra.

559. *Pellacia*] Unde hæc vox ipse Lucretius docet, lib. 5. v. 1002.

Nec poterat quenquam placidi Pellacia *ponti*

Subdola Pellicere *in fraudem ridentibus undis.*

Virgilius 2. Æneid. 90.

—*Invidia postquam* Pellacis Ulixi.

561. *Omne*] *Omnem*, Gifanius, et fruatur; *ævus* enim veteres.

562. *Æstus—Materiaï*] Modo dixit *Materiæ Pelagus*, et jam *Æstus Materiæ*.

569. *Nec superare queunt*, &c.] Aliud, v. 12. continetur argumentum, quod superius consequitur: si finita uniusmodi figuræ semina supponamus, tum res ex iis finitis seminibus constitutæ, cum semel solutæ fuerint, nunquam instaurarentur: Si finita fuerint semina, frustra generationem et augmentationem rerum expectaremus. At quid certius quam res alias nasci et augeri, alias diminui et interire? Unde semina similis figuræ numero infinita esse concludendum.

576. *Vagor*] Festus: *Vagorem* posuit Ennius pro *vagitu*, lib. 16. et hunc versum Lucretii ibidem laudat; ut et Nonius,

Nec nox ulla diem, neque noctem aurora secuta 'st,
Quæ non audierit mistos Vagitibus ægris
580 Ploratus, mortis comites, et funeris atri.
Illud in his obsignatum quoque rebus habere
Convenit, et memori mandatum mente tenere:
Nil esse in promptu, quorum natura tenetur,
Quod genere ex uno consistat Principiorum;
585 Nec quicquam, quod non permisto semine constet.
Et quam quicque magis multas vis possidet in se,
Atque potestates, ita pluria Principiorum
In sese genera, ac varias docet esse figuras.
Principio, Tellus habet in se Corpora prima,
590 Unde Mare immensum volventes flumina fontes
Assidue renovent: habet, Ignes unde oriantur.
Nam multis succensa locis ardent sola terræ;
Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porro nitidas Fruges, Arbustaque læta.
595 Gentibus humanis habet unde extollere possit.
Unde etiam fluidas Frondeis, et Pabula læta
Montivago generi possit præbere ferarum.

neque ulla nox diem, neque ulla dies noctem sequitur, quæ non audivit ploratus mortem et triste funus comitantes infirmis vagitibus nascentium immistos. Hoc insuper obsignatum habeas, et tenaci memoriæ retinendum credas, nihil inter omnes istas res, quas comprehendimus, constare ex uno genere seminum, nec quicquam esse quod non componitur ex pluribus seminum generibus; et unamquamque rem, quo plures diversas facultates viresque habeat, eo plura seminum variis figuris præditorum genera continere. Principio, terra in se continet semina, e quibus fontes volventes flumina quotidie renovent immensum mare, continet etiam semina e quibus ignes nascantur, Terra enim multis in locis accensa ardet, præcipue violentis ignibus furit Ætna. Deinde continet semina e quibus segetes opimas, fœcundas arbores utiles hominibus produceret; e quibus etiam mobiles frondes, et læta gramina genti ferarum per montes erranti subministrare valeat.

NOTÆ.

581. *Illud in his, &c.*] Hactenus de infinitate atomorum sub unoquoque genere figurarum: jam, v. 8. docet Memmium res compositas ex seminibus unius et ejusdem figuræ componi non posse, et varias rerum facultates oriri ex varietate seminum, quam varietas etiam contexturæ sequatur necesse est; quod fuse satis probat.

Ibid. *Obsignatum*] Dicimus, *reconde hoc imis sensibus*, Virgilius,

Sensibus hoc imis, res est non parva, reconde.

sed quæ talia sunt ut condantur fere plerumque obsignantur, iis, ἐπιζολὴ σημοῖν apponitur, &c. Itaque metaphoricῶς; hæc in Animo habe, serva.

586. *Multas vis*] Sic Lucretius, lib. 3. *Multæ vis*, et Salustius; *Male jam assuetum ad omnis* vis *controversiarum*.

589. *Principio, Tellus, &c.*] Primum argumentum, v. 9. ducit e Terra, quam e diversis seminum generibus constare nemo negabit, qui fontes ebullientes, flammas erumpentes ex illius visceribus viderit, aut qui illam arbores producere, et hominibus ferisque alimenta subministrare consideraverit. Ista enim omnia ex seminibus ejusdem magnitudinis, ponderis, et figuræ oriri nequeant. Deinde, v. 61. multa subjungit de terra, prout Mater Deorum et Cybele dicta a veteribus Poetis fuit, ornamenta illius Deæ describit, mysteria totius fabulæ explicat, deridet superstitionem, et tandem *Providentiam* ipsam convellit.

590. *Volventes flumina*] *Frigora*, codex Vossi, quod Salmasio unice placet.

592. *Sola Terræ*] *Loca*, Gassendus.

593. *Eximiis*] Magnis; Plautus in Trinummo dixit, *Eximios sumptus*.

596. *Fluidas*] Molles, teneras, seu vento facile mobiles: codex Vossii, *Fluvios*; quæ vox v. 874. aliquo modo confirmatur, sed *Fluidas* malo.

Quare magna Deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genetrix Hæc dicta 'st Corporis una.
600 Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones:
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem; neque posse in Terra sistere Terram.
Adjunxere Feras, quia quamvis effera proles
605 Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere Corona;
Eximiis munita locis quod sustinet Urbeis:
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ Matris imago.
610 Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
Per terrarum orbem Fruges cœpisse creari.
Gallos attribuûnt, quia numen qui violarint
615 Matris, et ingrati Genitoribus inventi sint,

Quam ob causam hæc una terra, Magna Deûm mater, mater ferarum, *et nostri corporis (Hominum) genetrix vocatur. Docti veteres Græci Poetæ cecinerunt hanc (Magnam Deûm matrem) sublimem in curru agitare leones binos ad jugum junctos: innuentes viz. ingentem terram in medio aëre suspensam pendere, neque terram super aliam terram, tanquam fundamentum, collocari. Feras (Leones) addiderunt, ut docerent prolem quantumvis efferam parentum officiis devictam mitescere debere: caput illius murali corona cinxerunt, quoniam egregiis locis munita urbes sustinet, et jam corona ista turrita decorata, imago divinæ Matris summo cum horrore vulgi per urbes et regiones portatur. Hanc diversæ gentes, ex antiquo sacrorum ritu, vocant* Matrem Idæam, *illamque turba* Phrygum *circumcingunt, quia docent segetes in Phrygia primum ortas inde in totum terrarum orbem derivari. Gallos (viros exsectos) attribuunt, ut significent eos qui matrem (quam in loco numinis habere debent) violaverint, aut patribus ingrati inventi sunt,*

NOTÆ.

598. *Quare magna Deûm, &c.*] Incipit Fabula, favete; Terra, quæ parit omnia, Mater Deorum, hominum et ferarum dicta est; sacra instituuntur, quæ partim ad Physicam, partim ad Ethicam trahit Lucretius: illa quæ Jovem spectant proponit deridenda; sed ipsa prodit Dea.

601. *Sublimem in curru, &c.*] *Sedibus*, codd. Gifanius: *seditus, seduli*, vel *sedulem*, Palmerius: sed istorum omnium libris vel conjecturis præferendus est antiquissimus Lambini codex.

607. *Eximiis*] Alii, *Extremis;* nihil interest: alii, *Ex imis:* Gifanius *Eximis*, quod nec magis necesse est.

609. *Horrifice*] Sic v. 623.

—*Impia pectora vulgi*
Conterrere metu *quæ possint numine Divæ.*

Non potest satis laudari istud *Horrifice:* quis enim (de vulgo loquor) non imis medullis cohorrescat, cum pulsatis æramentis nugæ prodeunt hujusmodi?

611. *Idæam vocitant matrem, &c.*] Veram etymologiam esse arbitror, (quod dico aliis indictum est) non quam Lucretius, et omnes alii attulere, sed hanc: ἴδαι sunt montes, et loca saltuosa (Hesychius, Eustathius, Herodotus, unde et ἴδη pro ligno, seu materia tectonica apud eundem); at primi homines glande vescebantur, et in quercu penuarium iis erat; hinc itaque mater Deûm *Idæa:* sed post inductum tritici usum φρυγία dicta fuit, nam triticum φρύγειν seu *torrere* solebant. Notandum imprimis quod ait Lucretius, eas appellationes ex antiquo ritu sacrorum profectas: addo amplius ex Virgil. et aliis, ritum illum seu τελετὴν ex Crete in oras Hellesponti deportatum; sed Cretes id omne a Syris habebant: Faber. His aliquid reponeretur si otium fuisset, at quid damni si veras omnium Deorum Gentium Etymologias nesciremus?

615. *Matris*] Si fabulas enarrare vellem de *Gallis*, de *Tympanis*, de *Cymbalis*, pro-

Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, et Cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur Cornua cantu,
620 Et Phrygio stimulat numero cava Tibia menteis;
Telaque præportant violenti signa furoris,
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint numine Divæ.
Ergo cum primum magnas invecta per urbeis
625 Munificat tacita Mortaleis muta salute:
Ære atque Argento sternunt iter omne viarum
Largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum
Floribus, umbrantes Matrem, comitumque catervas.
Hîc armata manus (Curetas nomine Graii
630 Quos memorant Phrygios) inter se forte catenas
Ludunt, in numerumque exsultant sanguine læti; et

indignos esse qui liberos gignerent. Tenta tympana palmis pulsata, et cymbala cava circum resonant, cornua rauco sono undique minantur, et cava tibia Phrygiis numeris animos furiat: præportant tela violenti furoris signa, quibus ingratos et impios vulgi animos terrere possint, magnumque potentiæ et majestatis hujus Divæ horrorem excitare. Igitur cum primum magnas per urbes portata muta beat homines tacita salute, totam, per quam portatur, viam ære et argento sternunt cultores, larga stipe ditantes Deam, et totam rosarum imbre matrem, et comitantes catervas conspergunt: tum caterva armata hominum (Græci vocant Curetas Phrygios) per manus reste data inter se ludunt, et in numerum saltant sanguine aspersi; et

NOTÆ.

ferrem multa; sed hæc nihil ad Lucretium: tantum monebo Fayum, Poetam de *Magna illa Deum matre*, in hoc versu nihil cogitasse; matres, quibus nos homines pusilli orti sumus, divinitate donat, et impios adversus illas liberis prorsus indignos esse asserit.

620. *Phrygio*] Phrygius numerus, enthusiasticus; et ad furorem excitandum maxime idoneus.

621. *Telaque præportant*] Telis istis non tantum terrebant vulgus, sed sibi lacertos quandoque conscribillabant; inde v. 631. —*In numerumque exultant* sanguine læti.

625. *Munificat*, &c.] Versus plane admirabilis, et scomma acutissimum. *Mater* enim illa *Magna* lapis rudis, nec dum arte elaboratus, non admodum loquax et garrula, beneficia multa haud dubio contulit, at quæ dedit tacebat ipsa. Interim miselli homines spargebant flores, et stipem erogabant, immemores Antisthenis, qui nummum pro Dea poscenti dixit, ὑ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἣν οἱ θεοὶ τρέφουσιν.

626. *Iter omne viarum*] Melius quam, *iter* omnia circum.

627. *Ninguntque*] Νιφάδες ῥοδῶν (utinam Latine dicere possim) ita apud Pindarum Danae dicitur ad sese recipere Jovem *auro ningentem*:

Χρυσῷ μισγούσαισιν
Νιφόντα δίξαμενα
Τὸν φίερατον θεῶν. Faber.

Quidam codd. *pinguntque*.

630, 631. *Forte catenas ludunt*] Olim reposuit Lambinus, *Terque quaterque*; deinde approbata Turnebi sententia *forte catenas* edidit, et *Ducunt* pro *Ludunt* scribendum putavit: addit Faber; Locum hunc sibi corruptum videri ait Gifanius, (qui amat Catervà, i. e. Catervatim,) ego autem nihil mutandum contendere possum, non propter locum illum notissimum ex Adelphis, *Tu inter eas restim ductans saltabis*, sed propter alium longe aptiorem ex 27. Livii petitum. Is ita se habet, *In Foro pompa constitit, et per manus reste data Virgines, sonum vocis pulsu pedum modulantes, incesserunt.* Alii scribunt, *canentes*. Quidam, *coruscans*: curetas enim clypeos et enses coruscâsse notum est, et mox ipse Lucretius confirmat.

631. *Sanguine læti*] Alii, *fleti*, i. e. aspersi. alii, *pleti*, i. e. repleti. Vide v. 621.

Terrificas capitum quatientes numine cristas,
Dictæos referunt Curetas; qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultâsse feruntur,
635 Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret Matri sub pectore volnus;
Propterea Magnam armati Matrem comitantur:
640 Aut quia significant Divam prædicere, ut armis,
Ac virtute velint Patriam defendere terram;
Præsidioque parent, decorique Parentibus esse.
Quæ bene, et eximie quamvis dispôsta ferantur,
Longe sunt tamen a vera ratione repulsa.
645 Omnis enim per se Divûm natura necesse 'st
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque longe:
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
650 Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.
Terra quidem vero caret omni tempore Sensu:
Sed quia multarum potitur Primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina solis.
Hîc si quis Mare Neptunum, Cereremque vocare
655 Constituet Fruges, et Bacchi nomine abuti

nutu capitum terrificas cristas quatientes, repræsentant Dictæos Curetas, *qui dicuntur olim in Creta occultavisse decantatum vagitum infantis Jovis, cum pueri armati circa puerum saltantes æra æribus (gladiis clypeos) pulsarent; ne Saturnus illum adeptus dentibus suis comedendum traderet, et mater immenso, æternoque dolore affligeretur: hanc ob causam* Matrem magnam *armati comitantur, vel ut significent Deam monere, ut omnes parati forent patriam terram armis defendere, et parentibus decori et adjumento esse. Quæ omnia licet probe et ingeniose inventa et instituta videantur, tamen ab ipsa rei veritate sunt longissime remota. Necesse enim est ut omnes Dii, eo quod Dii sunt, æternam agant vitam maximo in otio, ut nullam nostri curam habeant, ut sint expertes doloris, a periculis etiam tuti, propriis suis dotibus ad fœlicitatem satis instructi; ut hominum cultu non indigeant, nec delectentur pietate eorum, nec impiis irascantur. Terra quidem nullo prædita est sensu; at quia continet semina multarum rerum, ideo multis modis multas res producit. Ideoque siquis velit appellare mare* Neptunum, *segetes* Cererem, *et vinum vocare* Bacchum,

NOTÆ.

632. *Numine*] Horrore Deæ, Fayus: viz. Magna mater cristis Curetum insidet. *Numine*, nutu, sic Servius ad 4. Æneid.

637. *Mandaret*] Ταῖς γνάθοις ὑποβάλλει, intra maxillas conderet; *Faber*. *Manderet*, Gifanius, quem, qui velit, audiat.

640. *Prædicere*] Malim, *prodicere*, est enim significantius, et plenius; *Faber*.

643. *Quæ bene et eximie*] Ingenium Poetarum agnoscit, rem ipsam rejicit; quid enim beata otio æterno numina terras, colonos, arva et segetes curarent? Vocibus *Neptuno*, *Cerere*, *Baccho*, pro *Mari*, *Segete*, *Vino*, uti licet, at Deos ne fingas.

645. *Omnis enim per se, &c.*] Mollissima Epicurei Dei Imago, ut languidus otio, ut supinus jacet: τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει, ὥστε οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενείᾳ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον. Epicurus ad Menœceum. Quis talem principem, imo hominem non despuat?

654. *Hîc si quis*] *Hinc* et *hûc siquis*; alii.

Mavolt, quam Laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus ut hic terrarum dictitet Orbem
Esse Deûm Matrem, dum re non sit tamen apse.
Sæpe itaque ex uno tondentes gramina campo
660 Lanigeræ pecudes et Equorum duellica proles,
Buceriæque greges sub eodem tegmine cœli,
Ex unoque sitim sedantes flumine aquaï,
Dissimili vivunt specie, retinentque parentum
Naturam, et mores generatim quæque imitantur:
665 Tanta 'st in quovis genere Herbæ Materiaï
Dissimilis ratio: tanta 'st in Flumine quoque.
Jam vero quamvis animantem ex omnibus unam
Ossa, Cruor, Venæ, Calor, Humor, Viscera, Nervi
Constituunt, quæ sunt porro distantia longe
670 Dissimili perfecta figura Principiorum.
Tum porro quæcunque Igni flammata cremantur;
Si nil præterea, tamen ex se ea corpora tradunt,
Unde Ignem jacere, et Lumen summittere possint;
Scintillasque agere, ac late differre Favillam.
675 Cætera consimili mentis ratione peragrans,

potius quam proprio nomine illius liquoris uti; permittamus etiam ut idem appellet terrarum orbem Deûm matrem, *quamvis re ipsa non sit. Sæpe igitur oves, et bellicæ equorum proles, et cornigeri boves in eodem prato gramina tondentes, sub ejusdem cœli tegmine viventes, et ex eodem flumine bibentes dissimili specie vivunt, parentum naturam retinent, moresque singulis suis generibus convenientes; tanta est varietas seminum in quovis Herbarum genere, tanta in unoquoque flumine. Observandum etiam quod unumquodque animal, ossa, cruor, venæ, calor, humor, viscera, nervi, quæ omnia constant ex seminibus disparis figuræ, componunt. Deinde corpora, quæ accensa igne comburuntur, si nihil præterea præbent, tamen ex se tradunt corpora, e quibus flamma, lumenque fit, e quibus etiam scintillæ exiliant, et favilla late dispergatur. Si reliqua omnia pari modo contempleris,*

NOTÆ.

659. *Sæpe itaque, &c.*] Finita *Magnæ Matris* pompa, ad institutum redit, et secundo, v. 8. probat varia seminum genera in rebus singulis inveniri, v. g. in iisdem herbis, in eadem aqua, quæ cum alimento sint tam variis animantium generibus, equis, bobus, &c. necesse sit varia contineant principiorum genera, quæ singulis accommodentur.

660. *Duellica*] Bellica; ut *Duellum*, Bellum.

661. *Buceriæque*] *Buceræque* seu *Buceraæque*, alii; Βούκερως enim et Βουκέρως legitur, at Βουκέρως frustra quæres.

663. *Retinentque parentum*] Quidam codd. *retinente parente*, i. e. tellure retinente suam naturam: quo nihil ineptius.

667. *Jam vero, &c.*] Priori argumento aliud, v. 4. connectit: Quin etiam quæ accommodantur uni Animanti necesse est generum adhuc diversissimorum sint, cum varia variis ipsius partibus, Venis, Visceribus, Nervis, Ossibus, &c. coaptentur.

671. *Tum porro quæcunque, &c.*] Quarto, v. 7. arguit ex ligno, et aliis rebus igne resolutis; cum enim in ignem, in lucem, in fumum, et cineres resolvantur, existimandum esse videtur non fieri resolutionem in alia quam quæ reipsa continebantur; neque ex ligno perire aliud, quam connexionem et situm partium, sive specialem existendi modum, formam, qualitatem, speciem, accidens, eventum, cujus causa erat, et dicebatur lignum. Ideo in ligno aliisque rebus varia illa genera seminum, e quibus lux, fumus, cineres constant, latere concedendum est.

672. *Ex se ea corpora*] *Hæc in se corpora*, ut *in* pro *intus* sive ἐνδοθεν accipiatur; Gifanius. *Ex se ea corpora*, Lambinus restituit: alii legunt, *Ex so*, vel *Ex suo corpore*.

673. *Jacere*] *Lacere*, i. e. Elicere; Gifanius, qui ingenio nimis indulget.

Invenies intus multarum Semina rerum
Corpore celare, et varias cohibere Figuras.
Denique multa vides, quibus est Odor, et Sapor una,
Reddita sunt cum Odore; imprimis pleraque dona,
680 Relligione animum turpi cum tangere parto.
Hæc igitur variis debent constare Figuris:
Nidor enim penetrat, qua Succus non it in artus;
Succus item seorsum, et rerum Sapor insinuatur
Sensibus, ut noscas primis differre figuris.
685 Dissimiles igitur Formæ glomeramen in unum
Conveniunt: et res permisto Semine constant.
Quin etiam passim nostris in versibus ipsis
Multa Elementa vides multis communia verbis;
Cum tamen inter se Versus, ac Verba necesse 'st
690 Confiteare alia ex aliis constare Elementis:
Non quod multa parum communis Littera currat,

invenies illa multarum rerum semina variis figuris prædita continere. Deinde multa sunt, in quibus odorem simul et saporem senties, præcipue in illis sacrificiis quibus ad expiandum fraudem altaria superstitiose cumulas; hæc autem ex seminibus disparis figuræ constare debent, odor enim intrat in corpus per eos meatus per quos sapor non penetrat, sapor etiam per proprios meatus sensibus insinuatur, unde colligas illorum semina disparis esse formæ: concludendum semina diversis figuris induta corpus unum componere, et res constare semine permisto. Quin etiam in ipsis nostris versibus passim vides multas literas multis vocibus communes, interim tamen fateberis versus alios et verba alia ex aliis literis componi, non quod paucæ tantum literæ istis versibus et verbis communes sint,

NOTÆ.

678. *Denique multa vides, &c.*] Quintum, v. 9. subjicit argumentum; plures qualitates sentimus in eodem corpore contineri, odorem v. g. et saporem; odorem autem et saporem e seminibus disparis figuræ constare palam est, diversos enim sensus afficiunt, et dum alter per nares insinuatur, alter linguam et palatum afficit.

679. *Reddita sunt cum odore*] Alii, *cum adoles.* Hunc versum rejicit Lambinus, sequentem etiam delet Faber. Nam quæ latinitas? *Tangeris animum religione turpi parto:* dein, cur hoc exemplum potius quam aliud quodvis? an quia necesse sit immolare capellam, ovem, &c. ut noscamus multa esse, quibus et odor et sapor una sint? Hæc Faber; acute, ut solet; uterque enim, aut neuter rejiciendus: neutrum rejicio, latinitas enim haud absimilis isti, quam, v. 63. legimus; et quamvis non necesse sit immolare capellam, ovem, &c. ut noscamus multa esse quibus odor et sapor una sint; tamen haud indecorum Poetæ Epicureo duos versiculos subinde infarcire, quibus deos obiter sugillet, et rideat pietatem. Alii legunt, *contingere parato;* tibi nempe parato contingere sive inquinare animum turpi religione; et *contingere* faciunt Trisyllab. ut infra *degere duellum*: imperite ut patet ex v. 660. Lege autem,

—*Quibus et odor et sapor una*
Reddita sunt, cum adoles—.

683. *Et rerum*] *Seorsum*, codd. rectius; ut et *privis* pro *primis* in sequenti versu haud absurde legitur.

685. *Glomeramen in unum*] Gassendus; *Glomerantur in unum.*

687. *Quin etiam passim, &c.*] Sententiam suam illa, qua sæpe utitur, similitudine, v. 12. illustrat; objectionem subinde proponit, et solvit. Si enim, dicet aliquis, communia sint multis rebus semina, unde res ipsæ sunt diversæ? similia semina res similes efficerent. Hunc vero argutatorem Lucretius jubet intueri versus suos, in illis multas literas communes multis vocibus inveniet, at voces ipsas inter se diversas esse, ex iis etiam diversa carmina componi negari non potest; pari ratione, licet in multis rebus communia sint semina, res tamen ipsæ, quæ ex istis seminibus similibus componuntur, prorsus diversæ esse possunt.

691. *Non quod multa parum, &c.*] Debet ad id referri quod de similium figura-

Aut nulla inter se duo sint ex omnibus îsdem;
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant.
Sic aliis in rebus item communia multa,
695 Multarum rerum cum sint Primordia, longe
Dissimili tamen inter se consistere summa
Possunt: ut merito ex aliis constare ferantur
Humanum genus, ac Fruges, Arbustaque læta.
Nec tamen omnimodis connecti posse putandu 'st
700 Omnia: nam volgo fieri Portenta videres,
Semiferas Hominum species existere; et altos
Interdum Ramos egigni corpore vivo;
Multaque connecti Terrestria membra Marinis:
Tum flammam tetro spiranteis ore Chimæras
705 Pascere Naturam per terras omniparenteis.
Quorum nil fieri manifestu 'st: omnia quando

aut nulla duo verba ex literis iisdem constant, sed quia omnes versus et omnia verba non ex iisdem prorsus literis componuntur: sic aliæ res, licet contineant semina multis rebus communia, ipsæ tamen possunt esse inter se prorsus dissimiles, ita ut jure dicamus homines ex aliis seminibus, ex aliis fruges, ex aliis arbores constare. Nec tamen putandum est semina cujusvis figuræ, seminibus cujusvis figuræ conjungi posse; tum enim monstra vulgo nata cerneres: quædam animalia partim ferina, partim humana specie (centauri) existerent, aliquando etiam arbores ex animali corpore surgere, et terrena membra marinis connecti, et naturam per terras omnia producentes nutrire chimæras, tetro ore ignem spirantes videres. At nulla istiusmodi monstra esse manifestum est, siquidem constat

NOTÆ.

rum infinitate dixerat, v. 525. contra autem de numero finito dissimilium, v. 481. Cui et aliquid germanum post paucos versus occurret, viz. v. 721.

696. *Dissimili—summa*] i. e. Res dicantur ex dissimili seminum congerie, si totam compagem simul intueare, componi.

699. *Nec tamen omnimodis, &c.*] Quamvis multa semina sint multis rebus communia, unaquæque tamen res eam exigit dispositionem, ut atomi ipsam constituentes, eas, quæ sunt sibi congruæ, adsciscant, ac velut consocient, alias prætereant, et respuant: ex quo rursum fit, ut cum res dissolvitur, congruæ quæque se mutuo trahant, et ab incongruis expediant. Sed audire plenius ex Lucretio juvat, qui rem ipsam, v. 10. proponit, et causam reddit, quod alioquin monstra quotidie nascerentur; centauros, chimæras, et omnia poetarum figmenta videremus. Nulla autem istiusmodi apparent portenta, quia ex certis quibusdam, non ex omnigenis seminibus nascuntur res; certis insuper aluntur.

701, 702. *Et altos interdum Ramos egigni, &c.*] *Egigni corpore vivo*, ut apud Horat.

—*Tanto emetiris acervo.*

Ramos e corpore vivo; Ramos e vivo Corpore Hominis egigni prorsus mirabile sit, sed nec fortasse mirabile non sit quod de prunulo in regione thoracis, pastoris Tarraconensis, sive ad sternum frutescente narrat Gassendus, l. 5. de vita Peireskii. Pastor Tarraconensis in prunulum incidit, spinaque ad eam partem implantata, sic per biennium radices egit, ut post resectos surculos varios, aliqui tandem prodierint, in quibus flores et fructus visi. Non destitit instare Peireskius, donec Cardinalis Barberinus curavit fidem fieri per illius loci Archiepiscopum, et Eques Puteanus non literas modo attestantes, sed surculos etiam accepit, et cum illo communicavit: hæsit vero deinceps minus, cum accepit simile quidpiam contigisse in Thuscia, circa gallinæ cujusdam collum, et Frontiniani in Occitania, circa digitum piscatoris, in quem cum implantata fuisset spinula scorpionis marini, res eo evasit, ut chirurgus inde eduxerit tres pisciculos generis scorpionum; quanquam hæc omnia qui viderit, fidem habere tutiorem potest.

705. *Pascere Naturam*] Alere se, vel ut aliis placet, vastare, depascere, devorare totam Naturam; Fayus; sic omnia.

Seminibus certis certa genetrice creata
Conservare genus crescentia posse videmus.
Scilicet id certa fieri ratione necesse 'st:
710 Nam sua cuique Cibis ex omnibus intus in artus
Corpora discedunt; connexaque convenienteis
Efficiunt motus: at contra aliena videmus
Rejicere in terras Naturam; multaque cæcis
Corporibus fugiunt e corpore percita plagis,
715 Quæ neque connecti cuiquam potuere, neque intra
Vitaleis motus consentire, atque animari.
Sed ne forte putes animalia sola teneri
Legibus his: eadem ratio res terminat omneis.

res cunctas certa genetrice certisque seminibus ortas dum crescunt genus suum conservare posse. Nec aliter profecto potest fieri, hoc enim ab immutabili et certa causa procedit: ex omnibus alimentis propriæ unicuique animali particulæ in membra illius animalis discedunt, et conjunctæ conspirant in motus isti animali convenientes, et vitales; particulas autem quæ noxiæ et incongruæ sunt videmus naturam in terram ejicere: multæque particulæ sensui non subjectæ aliarum ictibus fugatæ e corpore clam recedunt; quæ particulæ non potuerunt aliis conjungi, nec in ipso animalis corpore in vitales et convenientes motus conspirare. Ne vero forsan existimes sola animalia his legibus teneri, (propter diversitatem figurarum seminum diversa esse) eadem diversitas cæteras res omnes differre facit:

NOTÆ.

709. *Scilicet id certa, &c.*] Octo qui sequuntur versus non tam constituunt diversum argumentum, quam præcedentis rationis posteriorem partem explicant: res enim e certis seminibus ortæ ideo dum crescunt, genus suum conservant, nec in aliud degenerant, quia Natura ex alimento istas tantum seligit particulas quæ sibi aptæ et convenientes sunt, incongruas vero secernit, et rejicit; hinc rami vivo corpore nunquam egignuntur, quoniam corpus humanum particulas materiæ arboribus alendis aptæ ejicit, nec in alimentum unquam convertit; et idem de reliquis monstris dicendum.

710. *Sua*] Convenientia, specifica; e. g. ex pane id educit Homo per coctionem quod speciei humanæ convenit, canis contra quod canino generi. Faber.

713. *Multaque cæcis, &c.*] Multa quæ non vides e cujusque animantis corpore vi quadam imperceptibili ejiciuntur, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι συνῆφθαι τοῖς ὑχ ὁμογενέσι. Quod statica experimenta egregie confirmant.

715. *Neque intra*] Quidam codd. *Inter:* alii, *Inte:* forsan *indu* legendum.

716. *Animari*] Hæc est conjectura Lambini contra omnes libros, qui *imitari* exhibent, suamque conjecturam, v. 146. l. 5. tuetur,

Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

Faber dicit quærendum esse aliquid quod ab illa scriptura *imitari* proprius abesset; nullum autem videt verbum quod sententiæ magis conveniat, et ad libros manu descriptos accedat magis, quam *adagitari;* si vero (quod infinita apud Lucretium exempla suadent) vocem istam diviseris interserendo *que*, non male huic loco consultum fuerit. Legit igitur, *adque igitari*, i. e. *et adagitari*, seu *agitari intra vitales motus.* Nulla certe vox magis propria occurrere possit, et quam sententia pronius admittat. Sed cum istud *igitari* non intelligerent exscriptores, suum istud *imitari* procuderunt, quod et sensus respuit, et Latinitas probare non potest. Faber. *Micare*, id est, *Moveri;* Turnebus.

717. *Sed ne forte putes*] Quod de animalibus dixerat, id porro existimandum de cæteris rebus, quæ pari modo ex certis, proprioque modo dispositis atomorum generibus constant: communia licet in omnibus semina reperiantur, alia tamen certa semina singulis propria accedunt; illa efficiunt ut diversa sint intervalla, diversi motus, situs, posituræ, &c. et inde oritur rerum varietas, et differentia.

718. *Eadem ratio res terminat omneis*] Ita Lambinus, cum codd. *Disterminat omnia*, quod probo.

Nam veluti tota natura dissimiles sunt
720 Inter se genitæ res quæque, ita quamque necesse 'st
Dissimili constare figura Principiorum;
Non quod multa parum simili sint prædita forma:
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
Semina cum porro distent, differre necesse 'st
725 Intervalla, Vias, Connexus, Pondera, Plagas,
Concursus, Motus: quæ non Animalia solum
Corpora sejungunt, sed Terras, ac Mare totum
Secernunt, Cœlumque a Terris omne retentant.
Nunc age, dicta meo dulci quæsita labore
730 Percipe; ne forte hæc Albis ex Alba rearis
Principiis esse, ante oculos quæ Candida cernis:
Aut ea, quæ Nigrant, Nigro de Semine nata:
Neve alium quemvis quæ sunt induta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quod Materiaï
735 Corpora consimili sint ejus tincta colore.
Nullus enim Color est omnino Materiaï
Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar.
In quæ corpora si nullus tibi forte videtur

ut enim res quæque genitæ inter se tota sua natura differunt, ita necesse est unamquamque rem componi ex principiis disparis figuræ; non quod pauca tantum semina sint ejusdem formæ, sed quod omnia non sint similis prorsus et uniusmodi figuræ. Cum autem semina diversas figuras habeant, necesse est ut intervalla, meatus, connexus, pondera, plagæ, concursus, motus, diversa sint; quæ non solum animalia, sed terras, atque mare, et cœlum a terris differre faciunt. Nunc age, dicta mea, quæ jucundo labore congessi, percipe; ne forte credas res illas, quas vides Albas, *ex* Albis *seminibus componi; aut* Nigras *e* Nigris, *aut res alio quovis colore imbutas, ideo istius coloris esse, quia semina ejus erant eodem colore tincta; in seminibus enim nullus est omnino color, neque similis, neque dissimilis illi, qui, in rebus quas componunt, apparet. Quæ Corpora (nullo viz. colore tincta) si concipi non*

NOTÆ.

728. *Cœlumque a terris omne retentant*] *Retentant*, ne cœlum cum terris misceatur, Lambinus: optime concludit. Semina quidem distant, sed nisi intervalla, viæ, motus, &c. itidem differrent, omnia prorsus, cœlum, mare, sidera, &c. confunderentur, Faber. Ita vox ista *retentant* est vis maximæ; nisi illa impediret, cœlum mari, mare terris misceretur; at nihil tale voluit Lucretius, apud illum *retentant* idem plane quod *distinguunt*, aut *faciunt differre*.

729. *Nunc age, dicta meo, &c.*] Καὶ μὴν καὶ τὰς Ἀτόμους τοιαύτας, μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προσφέρεσθαι πλὴν σχήματος, καὶ βάρους, καὶ μεγέθους, καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματος συμφυῆ ἐστι. Ποιότητες γὰρ ἄλλαι, οἷον χρῶμά τι, καὶ θερμότης, παρὰ τὴν θέσιν τῶν Ἀτόμων μεταβάλλουσιν, διὸ καὶ ταῖς Ἀτόμοις ἐν ἐνυπάρχουσι. Epicurus ad Herodotum. Eandem sententiam Lucretius exponit, et, v. 9. semina affirmat colorum expertia, neque opus esse alborum seminum, ut album foret compositum, neque nigrorum, ut nigrum.

733. *Quæ sunt induta*] Emendatio Lambini: in Codd. *Imbuta;* quod Latini sermonis ratio improbat. Deinde ex Epicuri sententia corpora non possunt dici imbuta colore. Faber. Cui crederem si probasset. *Quem*, Gassendus.

735. *Tincta colore*] *Tacta*, Lambinus.

738. *In quæ corpora si, &c.*] Sensit Lucretius se multis ægre persuasurum fuisse nullos esse in seminibus, et proinde neque in ipsis compositis, colores. Præjudiciis enim penitus obedientes, pauci credunt se aliquid corporeum posse concipere, quod non sit coloratum; ideoque semina, quæ mente percipi non possunt, utpote coloris expertia, sibi obtrudi non ferunt: hisce præjudiciis, v. 9. breviter occurrit. Cæci res percipiunt, quarum tamen colores nunquam viderint, nec omnis rerum

Posse animi injectus fieri, procul avius erras,
740 Nam cum Cæcigeni, Solis qui lumina nunquam
Aspexere, tamen cognoscant corpora Tactu,
Ex ineunte ævo nulla contincta colore:
Scire licet menti quoque nostræ Corpora posse
Verti in notitiam nullo circumlita fuco.
745 Denique nos ipsi cæcis quæcunque tenebris
Tangimus, haud ullo sentimus tincta Colore.
Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo,
Omnis enim Color omnino mutatur in omneis:
Quod facere haud ullo debent Primordia pacto,
750 Immutabile enim quiddam superare necesse 'st;
Ne res ad Nihilum redigantur funditus omnes.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Proinde Colore cave contingas Semina rerum:
755 Ne tibi res redeant ad Nilum funditus omnes.
Præterea, si nulla Coloris Principiis est

posse existimes, infinitum erras: nam cum cæci nati, qui nunquam solis lucem viderint, tactu cognoscunt corpora, quæ nullo unquam colore imbuta sentiebant; inde possumus colligere, res etiam nullo colore tinctas a nostra mente concipi posse. Deinde quæcunque nos ipsi in tenebris tangimus non sentimus ullo colore esse tincta. Cum vero hoc ita esse certum sit, conabor ulterius demonstrare: omnis enim color in omnes mutari potest; at rerum semina nullo modo mutari debent, necesse enim est ut aliquid sit immutabile, nisi concedere velis omnes res in Nihilum redigi. Cujus enim natura mutatur, id desinit esse quod ante fuit: ne igitur dicas semina rerum colore aliquo imbuta esse, nisi etiam velis res omnes in Nihilum posse redigi. Præterea, si semina non sint naturaliter colore

NOTÆ.

perceptio una cum Sole occidit; in densissimis tenebris non minus illa, quæ tangimus, percipimus, quam illa quæ medio die et luce clarissima versamus.

739. *Animi injectus*] Venuste admodum: res percipiendæ ab animo videntur remotæ, in eas sese injicit mens, et arreptas percipit: alii pro *fieri*, *ferri*.

742. *Nullo colore*] Relative ad cæcigenos: neque enim unquam corporis ullam cognitionem sibi peperere ope coloris. *Faber*.

Ibid. *Contincta*] Lambinus, *contacta*: ut et *tacta*, v. 746.

747. *Quod quoniam vinco fieri*] Quoniam probavi semina coloris expertia percipi posse, *nunc esse docebo*, rerum principia nullis coloribus esse tincta: ita ut deesse videtur versus,

Corpora materiæ nullo contincta colore.

Vinco fieri, ut apud Horatium,

Vincit enim stultos ratio insanire poetas.

Integer vero sit locus, conjecturam meam non pertinaciter defendam. Lucretius, v. 9. primo probat rerum semina non esse colorata, quia omnis color mutari potest, at semina rerum sunt immutabilia, aliter omnia in Nihilum reciderent. Πρώτον μὲν Ἀτόμους ἀνυπάρχτους καὶ ἄθλα μὴ μεταβάλλει, ὡς ἂν αἱ Ἄτομοι μηδὲν μεταβάλλωσιν· ἀνυπόστατα δὲ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς ἀναλύσεσι τῶν συγκρίσεων τερεὸν καὶ ἀδιάλυτον, ἃ τὰς μεταβολὰς ἐκ οἷς τὸ μὴ ὂν ποιήσαιτο. Αἱ δὲ ποιότητες ἐκ ἀνυπάρχτοι, καὶ μὴ ἴδιαι, οἷον χρῶμά τι καὶ θερμότης, ἐν τῷ μεταβάλλουσι ἐκ ὅσοις ἐκεῖναι καταλείπονται, ἀλλ' ἐξ ὅλου τοῦ σώματος ἀπόλλυνται. Epicurus, Epist. ad Herodotum. Inde Lucretius: si color esset intrinsecus seminibus, semina forent mutabilia, omnis enim color mutabilis.

756. *Præterea, si nulla coloris*, &c.] Secundo, v. 19. docet semina nullis coloribus imbuta esse, quia frustra aliquis semina colore tingat. Varias figuras atomis attribue, et ex diverso earum ordine, dispositione, et positura varii colores orirentur: exempli gratia, mare est cæruleii coloris, at agitatum fluctibus albescit; se-

Reddita natura, at variis sunt prædita Formis,
E quibus omnigenos gignunt variantque Colores;
(Præterea magni quod refert Semina quæque
760 Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque)
Perfacile extemplo rationem reddere possis,
Cur ea, quæ Nigro fuerint paullo ante Colore,
Marmoreo fieri possint Candore repente:
765 Ut Mare, cum magni commôrunt Æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus;
Dicere enim possis Nigrum, quod sæpe videmus,
Materies ubi permista 'st illius, et ordo
Principiis mutatus, et addita, demptaque quædam,
770 Continuo id fieri ut Candens videatur, et Album:
Quod si Cæruleis constarent Æquora ponti
Seminibus, nullo possint Albescere pacto;
Nam quocunque modo perturbes, Cærula quæ sint
Nunquam in Marmoreum possunt migrare Colorem.
775 Sin alio, atque alio sunt Semina tincta colore,
Quæ Maris efficiunt unum purumque Nitorem;
Ut sæpe ex aliis Formis, variisque Figuris
Efficitur quiddam Quadratum, unæque figuræ:
Conveniebat, uti in Quadrato cerniimus esse
780 Dissimileis Formas, ita cernere in Æquore ponti

tincta, sed variis figuris prædita, ex qua varietate figurarum omnis varietas colorum oriri potest, (magni enim refert cum quibus singula semina et quali ordine conjunguntur, et quos motus impertiant, et quos accipiant vicissim) facile potes rationem reddere cur illa corpora, quæ paulo ante nigra erant, brevi candida evadant: v. g. mare, cum procella undas turbaverit, canis fluctibus albescit. Dicere enim potes, quando semina rei, quæ nigra plerumque apparet, loco priori moventur, et illorum ordo situsque mutatur, quando quædam de novo addita, quædam detracta sunt, tum rem istam candidam subito apparere; si vero e seminibus cæruleis coloris mare componeretur, nullo modo potuisset album fieri: quocunque enim situ et ordine colloces semina cærulei coloris, illa albedinem nunquam induere valerent. Si autem dicas semina ista e quibus mare, quod unius coloris videtur esse, constat, variis coloribus esse prædita, ut sæpe ex corporibus diversimode figuratis corpus, quod totum quadratum est, et simplicis figuræ, componitur; tum sequeretur, quod sicut in isto quadrato corpore diversas variasque figuras existere videamus, ita etiam in mari,

NOTÆ.

mina viz. quæ in uno ordine disposita cæruleum colorem exhibebant, jam in alio constituta album colorem induunt: at vero si color cæruleus esset seminibus nativus, nulla agitatione ista principia speciem albam ostentarent.

759. *Præterea*] *Propterea*, Gifanius: recte.

766. *Candenti marmore*] Corpus politum marmor dicitur, etiamsi solidum non sit: ita Græci, ita Latini, de mari, de papillis, &c. *Faber*.

775. *Sin alio, atque alio, &c.*] Dixerit fortasse quispiam aquam maris ex variis et diversicoloribus atomis concrevisse, unde ille et ille color, modo cæruleus, modo albus enascatur, uti quadratum ex duobus aut quatuor triangulis inclusis componitur, quæ ipsa triangula alias inter sese figuras habeant; sed non ita, inquit, v. 8. nam in quadrato dissimiles formas cernere potes, extra quas est quadratum (id est quas in sese habet, et continet quadratum); in aqua autem marina nihil tale videas. *Faber*.

778. *Unæque figuræ*] Sic *istæ*, *alteræ*, *solæ*, *ullæ*, *nullæ*; Plautus, Terentius, Cicero, Lucretius.

Aut alio in quovis uno puroque Nitore,
Dissimileis longe inter se, variosque colores.
Præterea, nihil officiunt, obstantque Figuræ
Dissimiles, quo Quadratum minus omne sit extra:
785 At varii rerum impediunt, prohibentque Colores,
Quo minus esse uno possit res tota Nitore.
Tum porro, quæ ducit et inlicit, ut tribuamus
Principiis rerum nonnunquam, causa, Colores,
Occidit, ex Albis quoniam non Alba creantur;
790 Nec quæ Nigra cluent, de Nigris; sed Variis de.
Quippe etenim multo proclivius exorientur
Candida de nullo, quam de Nigrante colore,
Aut alio quovis qui contra pugnet, et obstet.
Præterea, quoniam nequeunt sine Luce Colores

aut alio corpore unius et simplicis coloris diversos variosque colores cerneremus. Deinde diversæ et dissimiles figuræ non impediunt quo minus extima totius compositi corporis superficies quadrata esset; at dissimiles colores impedirent quo minus tota res uno simplici colore imbuta videretur. His adde, quod concessa illa, quam modo memoravi, conjectura, tota ista ratio, propter quam colores rerum seminibus tribuimus, perit; quoniam tum sequeretur res albas non ex albis seminibus fieri, aut nigras e nigris, sed ex seminibus diversorum colorum: insuper observandum est, quod res albæ facilius orirentur e seminibus nullo colore præditis, quam ex seminibus vel nigro, vel alio colore imbutis. Præterea, quia colores non possunt esse sine luce,

NOTÆ.

783. *Præterea, nihil officiunt, &c.*] V. 4. hoc effugium nullum esse demonstrat, corpora enim diversæ figuræ in alteram diversam figuram consentire possunt, ut triangula in quadratum, at non eadem est colorum ratio, nec diversi colores unquam unum simplicem componunt.

784. *Minus omne sit extra*] Ita Lambinus e codd. dum Marullus, et Nardius; *Minus esset in illis*.

787. *Tum porro, quæ ducit, &c.*] Iterum, v. 7. pugnat; qui dicunt unum simplicem colorem ex seminibus alio atque alio colore tinctis effici posse, priorem deserunt opinionem, unicamque suæ sententiæ rationem evertunt: hi enim postulabant colorata semina, ut alba corpora ex albis seminibus, et nigra ex nigris orirentur. Si tamen e principiis diversimode coloratis niger, aut albus color oriretur, tota illa, cui prius fidebant, ratio perit: deinde subjungit album colorem (et idem de aliis dicendum) citius nasci posse ex seminibus nullo, quam e principiis vel nigro, vel alio quovis colore tinctis. Ita hos versus expono, quos alii interpretes nondum intellexerint.

Ibid. *Ducit, et inlicit*] Id est, *Suadet*: ita felliciter restituit Lambinus locum maxime corruptum.

791. *Quippe etenim*] Insuper observandum; hanc interpretationem tota disputatio confirmat.

794. *Præterea, quoniam nequeunt, &c.*] Iterum, v. 15. concludit Lucretius semina esse colorum expertia, quia color nil aliud sit quam lux in corpore refracta, vel a superficie opaci corporis reflexa: de luce refracta nihil Poeta, at si prisma seu trigonum vitreum vulgare oculis apponas, sentiet radios lucis geminam refractionem passos varios colores exhibere: observat autem plumas circa columbæ collum, aut in pavonis cauda prout recto aut obliquo radio lucis illustratæ sunt, modo flavum, modo viridem, modo flammeum, &c. colorem diffundere; et inde arguit in densis tenebris in quas lux nulla penetrat, et ex quibus nulla reflectitur, nullos prorsus colores esse; ac proinde colores qui redeunte luce in rebus cernuntur, procreari ab ipsamet luce, pro dispositionibus quas res habent ad eam recipiendam, reflectendam, refringendam, et referendam ad oculos. Ideoque quoniam semina nunquam in lucem veniunt, aut radios reflectunt, quasi in densissimis tenebris obruta, sunt prorsus excolora. Epicurus in libro adversus Theophrastum secundo dicit, ὃτι οὔτε τὰ χρώματα συμφυῆ τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ γινώσθαι κατὰ πυκνός τινας τάξις, καὶ θέσεις πρὸς τὴν ὄψιν. Et rursum, ὃτι οὐδὲ ἴσως δεῖ τὰ ἐν σκότει ὄντα φῶναι χρώματα ἔχειν. Plutarchus adv. Colotem.

795 Esse, neque in Lucem existunt Primordia rerum:
Scire licet quam sint nullo velata Colore.
Qualis enim cæcis poterit Color esse tenebris,
Lumine qui mutatur in ipso, propterea quod
Recta aut obliqua percussus Luce refulget?
800 Pluma Columbarum quo pacto in Sole videtur;
Quæ sita cervices circum, collumque coronat:
Namque alias fit uti rubro sit clara Pyropo;
Interdum quodam sensu fit, uti videatur
Inter Cæruleum virideis miscere Smaragdos.
805 Caudaque Pavonis, larga cum Luce repleta 'st,
Consimili mutat ratione obversa colores;
Qui, quoniam quodam gignuntur Luminis ictu,
Scilicet id sine eo fieri non posse putandu 'st.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in se
810 Pupula, cum sentire Colorem dicitur Album,
Atque aliud porro, Nigrum cum, et cætera, sentit;
Nec refert ea, quæ tangis, quo forte Colore
Prædita sint, verum quali magis apta figura:
Scire licet, nil Principiis opus esse Colores;

rerum autem semina in lucem prodire non possunt, exinde sequitur rerum semina nullo colore esse tincta. Quomodo enim potest esse color in tenebris, cum omnis color in luce mutetur, et varius appareat prout recto vel obliquo lucis radio corpus illustratur? Quod in plumis circa collum columbæ sole illustratæ videre licet: aliquando enim rubri seu flammei coloris et instar pyropi fulgentis apparent; aliquando virides colores, tanquam smaragdos cum pyropis, cum isto rubro et flammeo permistos exhibent. Pavonis etiam cauda, cum larga luce impleatur, pro diversa ad lucem positura non minus quam plumæ columbarum varios colores induit. Cum autem hi colores lucis ictui originem suam debeant, credendum est, eos sine luce existere non posse. Et quoniam pupilla oculi alio ictûs genere percutitur, cum colorem album sentire dicatur, et alio plane diverso cum corpus nigri, aut alitûs coloris sentiat; et cum nihil omnino referat quo colore ea quæ tangis imbuta sunt, sed multum qua figura sunt prædita, certi esse possumus semina non necessario poscere colores,

NOTÆ.

799. *Recta aut obliqua, &c.*] Nam ex variantia anguli recti aut obliqui variatur color.

801. *Quæ sita*] Quæ circumposita, περιειμένη; *coronat:* cingit collum et cervicem columbæ; cervix τὸ παχὺ, et τὰ ὄπισθεν, collum τὸ περίμετρον, et τὰ ἔμπροσθεν significabit. *Faber.*

802. *Rubro sit clara Pyropo*] Ita cum Lambino contra omnes codd. *Rubrum Pyropum* dixit Lucretius ut v. 804. *Virides Smaragdos.*

808. *Scilicet id sine, &c.*] Gifanius et alii, *Scire licet sine eo fieri non posse putandum.*

809. *Et quoniam plagæ, &c.*] Aliud argumentum, v. 7. continetur: in omni coloris perceptione pupilla oculi percutitur, alium vero ictum sentit cum albus color repræsentetur, et alium cum niger, aut quivis alius. At quid semina postulent colores quibus diversimode percutere et ferire possint? principia ista sint tantum diversimode figurata, diversimode etiam disposita, inde variæ imagines orirentur, a quibus oculus diversimode percuteretur, et diversi motus in organis excitarentur. Visus enim, secundum Epicurum, διὰ τῆς τῶν εἰδώλων εἰς τὴν ὄψιν ἐμπτώσεως.

814. *Opus esse Colores*] Ita Nonius: Plautus,

Omnes maritimi milites jam opus sunt tibi.

Similiter Cicero, et Cæsar. Lucretius ipse, lib. 1. v. 1050.

—Infinita opus est vis—Material.

Et lib. 3. v. 980.

— Materies opus est.

815 Sed variis Formis variantes edere tactus.
Præterea, quoniam non certis certa figuris
Est natura Coloris, et omnia Principiorum
Formamenta queunt in quovis esse Nitore:
Cur ea, quæ constant ex illis, non pariter sunt
820 Omnigenis perfusa Coloribus in genere omni?
Conveniebat enim Corvos quoque sæpe volanteis
Ex albis album pennis jactare colorem,
Et nigros fieri nigro de semine Cycnos,
Aut alio quovis uno, varioque colore.
825 Quinetiam quanto in parteis res quæque minutas
Distrahitur magis, hoc magis est ut cernere possis
Evanescere paullatim, stinguique Colorem;
Ut fit ubi in parvas parteis discerpitur Aurum,
Purpura, Pœniceusque color clarissimu' multo,
830 Filatim cum distractus disperditur omnis:
Noscere ut hinc possis, prius omnem efflare Colorem
Particulas, quam discedant ad Semina rerum.
Postremo, quoniam non omnia Corpora Vocem

sed varias figuras, e quibus ista ictuum varietas procedat. Præterea quoniam certus color non attribuitur certis figuris, et omnia figurarum genera, quibus semina donantur, possunt cujusvis coloris esse, cur etiam illa corpora, cujuscunque generis sint, quæ constant ex iis seminibus, variis coloribus ornata et distincta non appareant? Oporteret enim corvos volantes album colorem ex albis pennis sæpe spargere; cygnos etiam nigros oriri ex nigro semine, aut aliûs cujusvis coloris esse, ex seminibus alio quovis colore perfusis. Insuper, quo magis dividis res aliquas in partes minutas, eo magis evanescere et extingui rerum istarum colorem sentis; ut cum aurum in minuta ramenta discerpitur; et si purpuram filatim distrahas, splendidissimus purpuræ istius color totus abit et evanescit: et inde potes colligere, particulas alicujus corporis omnem colorem amittere antequam ad semina perventum est. Denique cum admittas cuncta corpora non sonum

NOTÆ.

816. *Præterea, quoniam, &c.*] Aliud, v. 9. subjungit argumentum, partim ex confessione eorum contra quos disputat, partim ex constantia colorum, qui in diversis rerum generibus apparent, ductum. Qui colorata fingunt semina certos colores certis figuris non attribuunt, non affirmant quadrata omnia semina nigra esse, nec rotunda alba, triangularia cærulea, &c. Unde igitur ista in quibusdam rerum generibus constantia? Cur omnes corvi *nigri*, cygni interim *albi?* Profecto utrumque genus variis coloribus perfusum videremus, cum semina, e quibus componuntur, variis coloribus contingi possint.

Ibid. *Non certis*] E MSS. Lambinus. *Nisi certis*, Nardius; imperite.

822. *Ex albis album pennis*] Melius forsan *pennis* quam *pariter* Gassendi.

825. *Quinetiam, quanto, &c.*] Iterum, 8. v. disputat. Quodlibet corpus coloratum divide, quo minutiores fiunt particulæ, eo dilutior fit color, et tandem, imo dum particulæ manent sensibiles, evanescit; imprudenter igitur expectamus colores in seminibus rerum, quos in exilioribus corporum partibus frustra quærimus.

827. *Stinguique colorem*] Sic lib. 1. v. 667.

Igneis in cœtu stingui.

Lib. 4. v. 1092.

— *Ardorem in membris qui* stinguere *possit.*

Item Cicero in Arato:

Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas
Interimet, stinguens *præclara insignia cœli.*

Gassendus tamen, *strictim*. Faber arbitratur *stinguique colorem* esse imitationem Platonis, qui colorem flammam e corporibus manantem esse dixit; frigide. Certe Lucretius, vel nunquam inspecto Platone, dixisse potuit purpureum et puniceum colorem, qui pene igniti videntur, extingui.

833. *Postremo, quoniam*] Demum, v. 8. premit adversarios. Omnes concedunt ea

Mittere concedis, neque Odorem; propterea fit,
835 Ut non omnibus attribuas Sonitus, et Odores:
Sic, Oculis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quædam tam constare orba Colore,
Quam sine Odore ullo quædam, Sonituque remota:
Nec minus hæc animum cognoscere posse sagacem
840 Quam quæ sunt aliis rebus privata, notisque.
Sed ne forte putes solo spoliata Colore
Corpora prima manere: etiam secreta Teporis
Sunt, ac Frigoris omnino, calidique Vaporis,
Et sonitu sterila, et succo jejuna feruntur;
845 Nec jaciunt ullum proprio de corpore Odorem.
Sicut Amaracini blandum, Stactæque liquorem
Et Nardi florum, nectar qui naribus halant,
Cum facere instituas: cumprimis quærere par est,
Quoad licet, ac potis es reperire, inolentis Olivi
850 Naturam, nullam quæ mittat Naribus auram:

reddere, aut odorem emittere, ideoque sonum et odores cunctis corporibus non attribuis; pariter, quoniam oculis nostris omnia videre non possumus, scire licet tam esse quædam corpora omni colore destituta, quam alia quædam privata sonitu omni, et odore; animumque sagacem hæc corpora (nullo colore induta) æque posse cognoscere, ac illa alia, sonitu, odore, cæterisque notis destituta. Ne vero credas rerum semina solo colore privata, scias illa caloris, frigoris, expertia esse; nullum insuper sonum edere, humiditate omnino carere, nec ullum prorsus odorem e suo corpore emittere. Ut cum facere decreveris suave unguentum amaracini, et stactæ, et florum nardi qui suavissimos odores in nares emittunt, quærendum est oleum, quantum inveniri potest, plane inodorum, et quod nullum omnino odorem ad nares emittat,

NOTÆ.

corpora quæ nares sentire nequeant inodora esse; illa insuper quæ aures non audiunt sonum non habere. Quidni igitur fatendum illa etiam corpora quæ oculi percipere non valent esse colorum expertia? De qualitatibus enim soli sensus judicant, nec credendum est ullam qualitatem alicui corpori competere, quam illi sensus non attribuunt.

841. *Sed ne forte putes, &c.*] Satis de coloribus: cæteris etiam omnibus qualitatibus, odore, frigore, calore, sono, humiditate, sapore, mollitie, lentitudine, raritate, &c. v. 23. sua semina carere demonstrat. Tribus utitur argumentis; 1. Si odorem seminibus concedas, turbabis omnia, gratissimi odores seminum grave olentium interventu sordescerent, ut in componendis unguentis nisi artifex inolens oleum misceat, suavissimi odores ab oleo corrumperentur. Idem etiam de sapore, sono, calore, et frigore dicendum. 2. Semina dividi non possunt, ideoque nec *odorem*, neque *sonum*, neque *saporem*, neque *calorem*, neque *frigus*, quæ constant e particulis e corpore emissis, emittere valent. 3. Si mollitiem, lentitudinem, raritatem, fragilitatem, &c. seminibus apponas, mutabilia insuper efficies, et interitui obnoxia, ideoque res in nihilum reciderent.

844. *Et sonitu sterila*] Vulg. *sterilia*; sed recte *sterila*, ut *deforma* apud Tertullianum; et lib. 1. v. 341. *sublima*.

846. *Amaracini*] Qui plura de unguentis velit, Plinium, Dioscoridem, Theophrastum, Athenæum legat. Qualia qualia sunt unguenta, eadem est argumenti Lucretiani vis et virtus.

847. *Nardi florum*] Lambinus, *florem*: Unguentum viz. ex nardi flore confectum. Solenne optimis authoribus id quod eximium cujusque rei florem appellare: sic *flos vini* apud Plautum, *flos flammæ* apud Lucretium: *flos populi* apud Ennium;

Flos illibatus populi, suadæque medulla.

Festus in voce *Nectar* legit,

Et Nardi florem Nectar qui floribus halet.

849. *Potis es reperire*] Carrio e MSS. *Potis est reperiri*.

850. *Quæ mittat*] *Quod mittat*, alii.

Quam minime ut possit mistos in corpore Odores,
Concoctosque, suo contactos perdere viro.
Propterea demum debent Primordia rerum
Non adhibere suum gignundis rebus Odorem,
855 Nec sonitum, quoniam nihil ab se mittere possunt;
Nec simili ratione Saporem denique quemquam
Nec Frigus, neque item calidum, tepidumque Vaporem, et
Cætera, quæ cum ita sunt tandem, ut mortalia constent,
Molli Lenta, Fragosa Putri, Cava corpore raro,
860 Omnia sunt a Principiis sejuncta necesse 'st,
Immortalia si volumus subjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur summa salutis:
Ne tibi res redeant ad Nilum funditus omnes.
Nunc ea, quæ Sentire videmus cunque necesse 'st
865 Ex Insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare: neque id manifesta refutant,
Nec contra pugnant, in promptu cognita quæ sunt;
Sed magis ipsa manu ducunt, et credere cogunt,
Ex Insensilibus, quod dico, Animalia gigni.
870 Quippe videre licet, vivos existere Vermeïs
Stercore de tetro, putrorem cum sibi nacta 'st
Intempestivis ex imbribus humida tellus:

ut gravi suo et tetro odore stacten, amaracinum, et nardi flores, quæ cum suis particulis miscentur et concoquuntur, quam minime inficere valeat, et corrumpere. Denique semina rerum suum Odorem *rebus procreandis adhibere non debent (prorsus inodora sunt), neque sonum (nullum habent sonum), quia nullas e suis corporibus particulas emittere valeant, ut neque propter eandem rationem saporem (sunt insipida), Frigus (non sunt frigida), neque calidum teporem (non sunt calida), quia nullas ex suis corporibus particulas valeant emittere; cæteras insuper qualitates, mollitiem, fragilitatem, lentitudinem, raritatem, &c. quæ sunt mutabiles, ortui et interitui obnoxiæ, rerum seminibus sejungamus necesse est, si velimus esse quædam certa et æterna semina, quibus rerum salus conservetur, et quæ efficere possint ut res omnes in Nihilum non reciderent. Deinde fatendum est omnes res quæ sensum habent componi ex seminibus quæ sensu prorsus carent: neque res ullæ, quæ nostræ cognitioni subjacent, hanc opinionem convellunt aut refutant, imo manu quasi ducunt nos ad hanc opinionem, coguntque credere animalia (res sensu præditas) componi e principiis sensu destitutis. Videre enim licet vermes viventes oriri e fœtenti stercore, cum tellus intempestivis imbribus madefacta putruerit.*

NOTÆ.

859. *Molli Lenta, Fragosa Putri, &c.*] Ita legit Turnebus. Sensus est, ubi calor, frigus, tepor reperiuntur, necesse est corpora esse lenta, id est, cedentia, flexibilia propter mollitiem, fragilia propter putredinem et coctionem, cava propter raritatem, quæ in principiis si statuas, tum omnia ruant necesse est. Hæc Faber. Probatur lectio, sed interpretatio displicet; nam mollities, raritas, et similes qualitates æque ac sapor, odor, sonus, frigus et calor, videntur his versibus a seminibus separata.

864. Hactenus semina rerum calore, frigore, odore, sapore, colore, cæterisque qualitatibus destituta esse demonstravit Lucretius, ex iis tamen res calidas, frigidas, sapidas et olentes constituit: jam majus opus movet, et docet res sensiles e principiis nullo prorsus sensu præditis componi posse. 1. Fidem experientiæ implorat, v. 9. E stercore putrido vermes nascuntur, at in stercore isto frustra vitam, aut sensum aliquem requiras.

866. *Neque id manifesta refutant*] Solennis Epicuri ratio, ὁ μάχεται τοῖς φαινομένοις· et ὑδὲν τῶν φαινομένων τούτοις ἀντιμαρτυρεῖ. *Faber.*

Præterea cunctas itidem res vertere sese.
Vertunt se Fluvii, Frondes, et Pabula læta
875 In Pecudes: vertunt pecudes in Corpora nostra
Naturam, et nostro de Corpore sæpe Ferarum
Augescunt vires, et corpora Pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva
Vertit, et hinc Sensus animantum procreat omneis:
880 Non alia longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, et in igneis omnia versat.
Jamne vides igitur, magni Primordia rerum
Referre in quali sint ordine quæque locata,
Et commista quibus dent motus, accipiantque?
885 Tum porro quid id est, animum quod percutit ipsum?
Quod movet? et varios sensus expromere cogit,
Ex Insensilibus ne credas Sensile gigni?
Nimirum, Lapides, et Ligna, et Terra quod una
Mista, tamen nequeunt vitalem reddere Sensum.

Præterea, videre licet omnes pene cujuscunque generis res in se invicem mutari; fluvii, frondes, gramina sese vertunt in pecudes, pecudes vero sese vertunt in humana corpora, et feræ et aves, sæpe humano corpore vescuntur. Ergo omnia cujuscunque generis alimenta in viva, seu sensu prædita corpora natura vertit, et inde (ex alimentis sensu carentibus) sensilia animalia efformat: non alia ratione atque sicca ligna in ignes resolvit, et omnia in flammas vertit. Nonne igitur jam vides magni referre cum quibus, et quo ordine singula semina conjunguntur, et quos motus impertiant, et accipiant vicissim? Tum porro quid demum est quod mentem tuam impellit? quid movet? quid dubitare, aut diversam sententiam amplecti cogit, efficitque ut credas sensile (rem sensu præditam) ex insensilibus componi non posse? Scilicet, quia lapides, ligna, et terra simul commista vitalem sensum reddere non possunt (non efficiunt rem sensilem, et viventem).

NOTÆ.

873. *Præterea cunctas, &c.*] Neque exemplum tantum proponit in vermiculis et animalibus dum gignuntur, sed in animalibus etiam genitis, v. 12. cum cibus assumptus ex inanimi animatus evadit: alimentis insensilibus, gramine, frondibus, &c. pecudes, et aves, res totæ sensiles, nutriuntur, istis vescitur humanum genus, ideoque e particulis insensilibus graminis et frondium tandem constituitur. Hæc omnia apposita similitudine illustrat: lignum aridum in ignem et flammam resolvitur, at non magis distat insensile alimentum a carne viva et sentiente, quam lignum a flamma lucente et clara; et quemadmodum oportet ex ligno extricari particulas, quæ sese cientes, explicantes, novaque ratione disponentes, nova illa lucendi, calefaciendique vi polleant, ita ex cibo secerni oporteat spirituosas particulas, quæ certa ratione diductæ, novoque modo dispositæ energiam hanc sentiendi obtineant. Sensus enim sensilisve rei procreatio ex insensilibus principiis debetur certæ et speciali eorum magnitudini, figuræ, positioni, ordini, et motui.

885. *Tum porro quid id est, &c.*] Ne argumentis ab experientia ductis repugnare videatur ipsa experientia, cavet, v. 16. Negare non potuit ligna lapides terramque commista aliquando insensilia manere, aliter viventes domos, et turres sensiles efficeret. Fatetur igitur res insensiles nisi certa figura, et magnitudine donentur, debito motu agitentur, certoque ordine disponantur, nunquam efficere res sensiles; at debita omnia et requisita adhibeantur, animal nascitur e re maxime insensili. Putrescat enim lignum, aut glebæ imbribus resolvantur, et animalium huc et illuc reptantium agmina subito admirabere.

887. *Ex insensilibus*] Priscianus legit, *ex insensibili: credat* pro *credas;* Lambinus. Et *ni* pro *ne*; Gifanius.

889. *Vitalem reddere sensum*] Gassendus; *virtutem reddere sensus.*

890 Illud in his igitur fœdus meminisse decebit,
Non ex omnibus omnino, quæcunque creant res,
Sensilia extemplo, et Sensus me dicere gigni:
Sed magni referre, ea primum quantula constent,
Sensile quæ faciunt, et qua sint prædita Forma,
895 Motibus, Ordinibus, Posituris denique quæ sint;
Quarum nil rerum in lignis, Glebisque videmus.
Et tamen hæc cum sunt quasi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt, quia Corpora materiaï
Antiquis ex Ordinibus permota nova re,
900 Conciliantur ita, ut debent Animalia gigni.
Deinde ex Sensilibus cum Sensile posse creari
Constituunt, porro ex aliis sentire suetis;
Mollia tum faciunt: nam Sensus jungitur omnis
Visceribus, Nervis, Venis, quæcunque videmus
905 Mollia mortali consistere corpore creta.

Observandum igitur omnino est, me non affirmasse res sensiles ex omnibus prorsus principiis, quæcunque res aliquas gignunt, componi posse; sed magni referre primum, cujus sint molis ea semina quæ rem sensilem constituant, qua figura donantur, quos insuper motus habeant, quali denique ordine disponantur: quorum omnium nihil in lapidibus vel terra apparet. Et tamen hæc (lapides et terra) cum imbribus madefacta et resoluta putrescant, vermes producunt, quia semina imbre isto adveniente e pristinis suis sedibus et positura emota conveniunt in eum ordinem, qui animalibus producendis conveniens et aptus sit. Deinde cum affirment rem sensilem ex sensilibus principiis creari, ista principia mollia esse statuant necesse est; sensus enim omnis jungitur visceribus, nervis, venis, &c. quæ omnia mollia sentimus, resolutioni etiam, mutationi, et interitui obnoxia.

NOTÆ.

890. *Fœdus*] Ita Lambinus e quatuor MSS. Et *fœdus* interpretatur illam conventionem et pactionem, per quam a me dissentire desinas, mihique assentiare; sed non tanta est librorum autoritas: *illud fœdus* nunquam in Lucretio invenies, sed passim, *illud in his rebus*, quod alii rectius amplectuntur.

892. *Sensilia extemplo*] Alii, *sensile et extemplo*. Florentini autem codices exhibent,

Sensile progigni extemplo, et producere sensus;

plane vitiose.

895. *Posituris denique quæ sint*] Id est, *qualia sint posituris;* sed alii melius legunt,

—Posituris denique queis sint.

900. *Debent animalia*] *Debeant*, mavult Lambinus, ut hæc sit sententia; ita conciliantur, id est, tali ordine conjiciuntur et coëunt, ut ex iis ita conjectis et congressis animalia gigni debeant.

901. *Deinde ex sensilibus*, &c.] Aliud Lucretii argumentum, v. 5. continetur; quia si principia, ex quibus est sensus, sensilia sint, erunt igitur ipsa mollia, cum nulla res dura, solidave, sit capax sensus; quare et erunt corruptibilia, quippe cum, nisi solida sint, distrahi possint, atque idcirco suam Naturam amittere: atqui debent rerum principia, ut declaratum supérius est, incorrupta perseverare. Ita optime Philosophus Gassendus. Grammaticum vero Lambinum audiamus: deinde cum statuant sensile ex sensilibus creari posse, quæ quidem sensilia ex aliis sentire consueverunt, nempe ex venis, visceribus, nervis, et similibus; tum faciunt illa sensilia mollia, et ita mortalia: hæc Grammaticus, dum verba potius quam sensum spectat; quippe vitiosos codices sequutus desipit: quid enim sibi velint istæ voces, *ex sensilibus, porro ex aliis sentire suetis*, cum illi, Plato et Anaxagoras, contra quos disputat Lucretius ipsa rerum *principia* statuerunt sensilia? Nullis igitur libris adjutus, sed re ipsa admonitus audacter lego,

Denique principiis *qui sensile posse creari*, &c.

903. *Tum faciunt*] E codicibus nescio quibus *cum* exhibet Gifanius, et conjicit legendum, *confaciunt*.

Sed tamen esto jam posse hæc Æterna manere:
Nempe tamen debent aut Sensum partis habere,
Aut similia totis Animalibus esse putari:
At nequeant per se Partes sentire, nec esse.
910 Namque aliûm Sensus membrorum respuit omnium:
Nec manus a nobis potis est secreta, neque ulla
Corporis omnino sensum pars sola tenere.
Linquitur, ut totis Animalibus adsimulentur;
Vitali ut possint consentire undique Sensu.
915 Qui poterunt igitur rerum primordia dici,
Et lethi vitare vias, Animalia cum sint,
Atque Animalibu' sint mortalibus una, eademque?
Quod tamen ut possint; ab cœtu concilioque,
Nil facient, præter volgum, turbamque animantum:
920 Scilicet ut nequeant Homines, Armenta, Feræque,
Inter sese ullam rem gignere conveniendo
Per Veneris res, extra Homines, Armenta, Ferasque.

Concedamus vero hæc sensilia principia immutabilia et æterna esse posse; nempe debent habere aut sensus alicujus unius partis, aut putari similia totis animalibus (debent esse ipsa animalia perfecta): at partes animalis per se (separatim) neque existere, neque sentire possunt; omnis enim pars cæteris membris uniri debet, ut ipsa sentiat: neque manus, neque ulla alia pars a corpore separata potest sensum retinere. Restat igitur, ut hæc principia sensilia totis animalibus adsimilentur (sint perfecta animalia), ut ex omni parte vitali sensu consentire possint: quomodo igitur possunt dici rerum semina, immortalia, et æterna; cum sint animalia, imo una eademque cum animalibus interitui obnoxiis? Concedamus vero hæc sensilia semina animalia posse esse, et immutabilia; quid cum conveniant efficerent præter congeriem et acervum animalium? ut cum homines, bestiæ, et feræ coëant, nihil gignere valent præter homines, bestias, et feras.

NOTÆ.

906. *Sed tamen esto jam, &c.*] Aliud, v. 12. proponit argumentum: supponamus sensilia hæc rerum principia, quæ Plato et Anaxagoras statuerunt, ac proinde mollia, æterna esse posse nec interitui obnoxia, haberi tamen sensilia non possunt, neque ut partes, quia partes separatæ non sentiunt, neque ut tota, quia hoc modo essent quædam animalia, ac ideo mortalia, seu corruptibilia quod adversatur suppositioni.

910. *Namque aliûm sensus, &c.*] Interpretes disputant quo modo legendus sit hic versus, et quo ordine collocari debeat. Lambinus, Gassendus, Faber,

Namque aliûm sensus membrorum respuit omnes;

et v. 912. subjungunt: quasi dixisset Lucretius; pars a toto suo separata aliorum omnium membrorum sensus respuit, ergo pars sola, i. e. a toto sejuncta, totius corporis sensum tenere non potest. Displicet hæc interpretatio; sufficit enim, (respondeant illi qui statuunt semina sensilia) si pars sejuncta sensum sibi peculiarem, licet non totius corporis sensum retineat. Legendum autem existimo,

Namque aliûm sensus membrorum res petit omnis.

et v. 909. subjungendum; viz. quælibet pars postulat unionem cum aliis membris, ut sensus capax sit, nam sine vitali partium consensu, ut sæpe Lucretius, nullus est omnino sensus.

917. *Animalibu'—una, eademque*] Una eademque cum animalibus. *Idem facit occidenti:* Horatius. *Faber.*

918. *Quod tamen ut possint*] Ulterius progreditur, v. 5. Quia licet admittantur et quasi animalia, et immortalia simul, tum nullum animalium, qualia jam visuntur gigni poterit, sui scilicet generis, coalitumve in unam speciem; sed acervus solummodo et congeries variorum animalculorum. Hæc Gassendus: alia Faber, sed pejora: Ponamus sensibilia esse principia, neque tamen corruptibilia, quando ita vis, quid tandem ex illis fieri poterit? Nihil certe præter animalia, non arbor, non metallum, &c.

922. *Per Veneris res*] Pro hoc versu alii

Quod si forte suum dimittunt corpore sensum,
Atque alium capiunt: quid opus fuit attribui, quod
925 Detrahitur? Tum præterea, (quod fugimus ante,)
Quatinus in Pullos animaleis vertier Ova
Cernimus Alituum, Vermeisque effervere, terram
Intempestivos cum putror cepit ob imbreis:
Scire licet gigni posse ex non Sensibu' Sensus.
930 Quod si forte aliquis dicet, duntaxat oriri
Posse ex non-Sensu Sensus, sed mobilitate
Ante aliqua tanquam partum, quam proditur extra:
Huic satis illud erit planum facere, atque probare,
Non fieri partum, nisi concilio ante coacto;

Si vero aliquis dicat illa principia sensilia proprium suum sensum deponere, et alium assumere, quid illis seminibus istos sensus attribuamus, qui nulli usui inserviunt, et sunt iterum deponendi? Præterea (quod supra negavimus), cum ova avium in viventes pullos mutari cernimus, cum vermes e terra erumpere videmus postquam intempestivo imbre putruerit, inde possumus colligere res sensiles e principiis insensilibus componi posse. Si tamen aliquis subjiciat, posse quidem res sensiles ex principiis insensilibus oriri, mutatione aliqua interveniente antequam tota et perfecta res parta producatur; huic abunde satisfaciam, si probavero et manifestum fecero, nullam rem generari nisi prius coëant principia;

NOTÆ.

libri exhibent,

Sic itidem quæ sunt minimis sentire necesse est.

in aliis invenies,

Sic itidem quæ sentimus sentire necesse est.

e libro quodam cum MSS. comparato substituit Lambinus,

Per Veneris res, &c.

Rejicit Gifanius: nec valde necessarius videtur, quippe auferas illum, valet tamen Lucretii argumentum.

923. *Quod si forte suum*] Deinde, v. 7. ridet illos qui asserunt semina sensu quidem prædita esse, at non eo qui postea in animalibus apparet, et aliud subjicit argumentum illi, quod v. 870. continetur, affine: ex ovis nascuntur aves, vermes e putri terra exiliunt, at sensilia ova, aut glebas viventes quis dixerit?

925. *Quod fugimus ante*] *Fugimus*, negavimus, non concessimus; Lambinus, et idem reliqui interpretes: addit Faber; vox est ex usu forensi, ubi *defendere* pro affirmare, assumere; respicit autem locum illum,

Quarum nil rerum in lignis glebisque videmus:

v. 896. Sed qui locum inspicit, sat scio, huic observationi nequaquam consentiet. Legendum igitur arbitror *figimus*, id est, ponimus seu probamus; et vox ista non incommode respiciet v. 870. ubi pars hujus argumenti proponitur.

927, 928. *Vermeisque effervere, terram Intempestivos cum, &c.*] Alii legunt,

—Vermesque effervere, terram,
Intempestivos quam, &c.

930. *Quod si forte aliquis, &c.*] Duos sequentes versus ita legit Gifanius.

Posse ea non sensu, sensus mutabilitate,
Aut aliquo tanquam partu, quod proditur extra.

Nardius,

Posse ex non sensu; sed sensus mobilitate
Ante aliqua tangi partum, quam proditur extra.

Hunc locum difficilem et obscurum esse Gassendus, Lambinus, omnes fatentur: Gassendo judice sensus videtur esse; non bene dici rem sensilem ex principio insensili gigni, si intelligamus illud immutari, et variis immutationibus in sensum tandem perfici; simileque esse, ut dum fœtus initio minimus paulatim grandescit, ac paritur magnus. Siquidem, inquit, non unum principium, non singula seorsim sumpta, mutationis capacia sunt, sed natura solum concreta ex principiis pluribus, unde et ista varie dispersa possunt sensu destitui, et idonea tamen ratione coëuntia contexi in rem sensilem: nec valet fœtus similitudo, quando is quoque ab initio ex multis constat partibus, pro quarum ratione est magnus, cum singulare principium mutationi nulli subjaceat. Hæc Gassendus. Tres diversas lectiones et interpretationes in Lambino quæras, omnes enim displicent: legendum autem,

935 Nec commutari quicquam sine conciliatu
Primorum, ut nequeunt ullius corporis esse
Sensus ante ipsam genitam naturam Animantis.
Nimirum quia Materies disjecta tenetur
Aëre, Fluminibus, Terris, flammaque creatis:
940 Nec congressa modo vitaleis convenienti
Contulit inter se motus, quibus omnituentes
Accensi Sensus animantem quamque tuentur.
Præterea quamvis Animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repente adfligit, et omneis
945 Corporis, atque animi pergit confundere Sensus.
Dissolvuntur enim posituræ Principiorum,
Et penitus motus vitales impediuntur,
Donec Materies omnes concussa per artus
Vitaleis Animæ nodos e corpore solvit,
950 Dispersamque foras per caulas ejicit omneis.
Nam quid præterea facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere, ac dissolvere quæque?

nec aliquid mutari posse nisi semina congregentur, ita ut non potest creari sensus alicujus rei, priusquam ipsa res sentiens producatur. Scilicet quoniam semina animalium jacent dispersa in aëre, aquis, terra, et igne, nec modo convenienti unita consentiunt in illos motus vitales, e quibus orti sensus cujuslibet animalis saluti inserviunt. Præterea ictus gravior, quam animal commode pati potest, istud animal protinus adfligit, et omnes animi corporisque sensus (totum sensum animalis) pergit confundere; unio enim principiorum dissolvitur, turbatur eorum ordo, motusque vitales penitus interrumpuntur, donec per singula membra materies concussa resolvit omnia ea vincula quibus anima unita corpori continebatur, dispersamque animam per omnes meatus e corpore ejicit: quid enim aliud agere ictum credamus quam disjungere et discutere?

NOTÆ.

Quod si forte aliquis dicet, duntaxat oriri
Posse ex non sensu sensus mutabilitate
Ante aliqua, totum *partum quam proditur extra.*

Et pro obscura et difficili, plana subito erit et facilis sententia. Aliquis enim forsan dicat, principia rerum quidem esse insensilia, at vi et virtute rei generantis illa principia mutari in sensilia, et sensu gaudere antequam in animal coalescunt: huic, v. 13. Lucretius respondet, principia seorsim sumpta mutationis esse prorsus incapacia, nec sensum alicujus animalis produci posse antequam ipsum animal perficiatur; quia sensus postulat eum vitalium motuum consensum, quem in rerum principiis, quæ per aërem, aquam, terram, igneamque (istos philosophos tangit qui omnia e quatuor elementis componi docuerunt) dispersa volitant, frustra requiras.

935. *Commutari*] *Coagmentari*, vel *commentari*, Muretus; sed *commutari* placet, ut et *principium* pro *primorum* in sequenti versu, quanquam *prima* aliquot locis apud Lucretium pro *principiis* sumantur.

939. *Flammaque creatis*] Gifanius, *terraque creatis*: quasi terra creata diversum aliquod ab ipsa terra elementum constitueret.

941. *Quibus omnituentes*] Alii, *quibu' convenienter*.

942. *Accensi sensus*] Infra Lucretius,
—*pœne amissos* accendere *sensus*,
Et lib. 3.
—accensus *nobis per viscera sensus*.

943. *Præterea quamvis animantem, &c.*] Opus prosequitur, et rursus, v. 10. fidem experientiæ implorat, quippe vehemens ictus, qui nil aliud agit, quam ut solvat texturam et compages corpusculorum, e quibus constat animal, omnem sensum penitus destruit, torpet animal, dissipatur anima, et, particulis illius per poros et meatus e corpore ejectis, consequitur interitus.

949. *E corpore*] Alii legunt, *a corpore*: alii, *in corpore*.

950. *Caulas*] Vox Lucretiana, poros seu meatus corporis significans: sic lib. 3. v. 256. lib. 6. v. 491. et alibi.

Fit quoque, uti soleant minus oblato acriter ictu
Reliquiæ motus vitalis vincere sæpe,
955 Vincere, et ingenteis plagæ sedare tumultus,
Inque suos quicquid rursus revocare meatus,
Et quasi jam lethi dominantem in corpore motum
Discutere, ac pœne amissos accendere Sensus.
Nam, quare potius lethi jam limine ab ipso
960 Ad vitam possint conlecta mente reverti,
Quam quo decursum prope jam siet, ire, et abire?
Præterea, quoniam dolor est ubi Materiaï
Corpora vi quadam per viscera viva, per artus
Sollicitata suis trepidant in sedibus intus;
965 Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas:
Scire licet, nullo Primordia posse dolore
Tentari; nullamque Voluptatem capere ex se:
Quandoquidem non sunt ex ullis Principiorum
Corporibus, quorum Motus novitate laborent,

Quin sæpe accidit, quod impacto minus gravi ictu (qui omnes vitales motus non penitus interrumpit), motus vitales qui supersunt superare possent, et sedare graves istas materiæ concussiones ab ictu excitatas, singulas materiæ concussæ et dissipatæ partes in suas sedes proprioque meatus revocare, mortem jam toto corpore dominantem discutere, et sopitos pene sensus excitare. Nam quam ob causam (nisi ob eam modo datam) res ad ipsum limen mortis ab ictu impacto deductæ potius ad vitam redirent, quam ad mortem, ad quam pene jam deventum est, progrederentur, et perirent. Præterea, quoniam dolor tum oritur, cum materiæ corpora vi quadam turbata, per viva viscera et per artus inordinato motu moveantur; et tum voluptas oritur, cum in proprias suas sedes redeant: exinde apparet semina ipsa nullo dolore affici posse, neque per se (separatim), voluptatem percipere; quoniam non constant ex aliquibus principiis, quæ novis (inordinatis et insuitatis) motibus agitari possint,

NOTÆ.

953. *Fit quoque, uti soleant, &c.*] Declarat etiam consequenter, v. 9. si ictus fuerit paullo remissior, posse post aliquantulam corpusculorum exturbationem status restitutionem fieri, quasi dispositione ad motus vitales dominante adhuc, neque omnino resoluta; sic sopiti excitantur sensus, ab ipso mortis limine redit, et convalescit animal. Hæc omnia, fateor, voluit Lucretius, sed an hi versus hæc omnia satis exprimunt, merito dubium: tota autem integrior foret sententia, si reducatur versus 1009. *Neve putes æterna,* (lego *intèrna,*) una cum duobus sequentibus (quos in isto, in quo nunc leguntur, loco nihil agere demonstrabo) et versui 958. subjungatur: hic enim positus Lucretii mentem explicabit, et vim objectionis franget, contra quam non satis provisum videtur: quippe aliquis dicat, si ab ictu minus vehementi animæ particulæ disjungerentur, nunquam iterum recolligi possint, sed dispersæ avolarent, et animal interiret; ideoque ictus iste, qui sensum interrumpit, aliquid aliud omnino agit, quam ut particulas animæ discutiat, et disjungat. Resp. Lucretius, licet ea semina, quæ in rerum superficie sita sunt, quolibet ictu disjuncta avolent; illa tamen, quæ in intimis corporis venis continentur, non tam facile dissipari.

960. *Conlecta mente*] *Conjecta,* Gifanius et alii: imperite.

962. *Præterea, quoniam dolor, &c.*] Deinde, v. 10. probat semina voluptatis et doloris, atque ideo omnis sensus expertia; quippe dolor oritur ex principiorum exturbatione ab eo, quo sunt, statu, ita et voluptas a restitutione in eundem statum; at rerum principia sunt simplicia, nec eorum partes ab eo, in quo sunt, statu exturbari possunt, nec in eundem iterum restitui.

964. *Sollicitata, &c.*] Concussa. *Trepidant* autem *moventur,* Virgilius crebro; idque ubi nullus formidini locus, itaque sæpenumero et *festinare* significat.

968. *Ex ullis*] Gifanius, *ex illis.* Et docet *motus* in sequenti versu non voci Κίνησις, ut Lambinus voluit, sed voci Κινήσεων respondere.

970 Aut aliquem fructum capiant Dulcedinis almæ.
Haud igitur debent esse ullo prædita sensu.
Denique, uti possint sentire Animalia quæque,
Principiis si etiam 'st Sensus tribuendus eorum:
Quid? genus humanum propritim de quibu' factum 'st?
975 Scilicet et risu tremulo concussa cachinnant,
Et lacrymis spargunt rorantibus ora, genasque,
Multaque de rerum mistura dicere callent,
Et sibi proporro quæ sint primordia quærunt.
Quandoquidem totis mortalibus adsimulata
980 Ipsa quoque ex aliis debent constare elementis;
Inde alia ex aliis, nusquam consistere ut ausis.
Quippe sequar, quodcunque Loqui, Ridereque dices,
Et Sapere, ex aliis eadem hæc facientibus, ut sit.
Quod si delira hæc, furiosaque cernimus esse;
985 Et ridere potest ex non ridentibu' factus,
Et sapere, et doctis rationem reddere dictis,
Non ex Seminibus sapientibus, atque disertis:
Quî minus esse queant ea, quæ Sentire videmus,
Seminibus permista carentibus undique Sensu?
990 Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi:

aut aliquem fructum gratæ voluptatis perciperent. Ideoque concludimus semina omnis sensus esse penitus expertia. Denique si, ut animalia fiant sensilia, seminibus eorum animalium sensus attribuendus est, de quibus, scire velim, principiis est genus humanum compositum? Scilicet concussa risu tremulo cachinnant, lachrymisque rorantibus ora et genas spargunt (ridentia sunt, et flentia semina), et perite etiam disputare possunt de rerum compositione et mistura, et aliquando solicite quærere e quibus ipsa constant principiis. Quandoquidem ipsa semina totis hominibus similata debent ex aliis seminibus componi, et illa alia ex aliis, ita ut nunquam possis consistere, sed in infinitum progrediaris. Insequar enim, et quodcunque dices loqui, ridere, et sapere, postulabo ut componatur ex aliis (ridentibus, loquentibus, sapientibus) hæc eadem facientibus. Si vero hæc omnia ridicula et absurda videantur esse, et res facta ex seminibus non ridentibus ridere potest, et sapere, et de rerum causis docte et perite disputare, licet e principiis sapientibus et disertis non sit composita, quam ob causam non possunt illa quæ sensilia videmus e seminibus prorsus insensilibus componi? Denique omnes orti sumus semine cœlesti,

NOTÆ.

972. *Denique, uti possint, &c.*] Tandem ad absurda adigit adversarios, v. 18. quippe si debeant res, sensiles cum sint, gigni, ex sensilibus, hoc est similes ex similibus, necesse est ergo hominem, v. c. constare ex principiis quæ ipsa rideant, plorent, ratiocinentur, de mistura rerum, deque seipsis disserant, requirantque e quibus principiis constent: nam ridet, plorat, et ratiocinatur homo; si vero res ridens, plorans, et sapiens e principiis neque ridentibus, neque plorantibus, neque sapientibus componi possit, cur non res sensilis e principiis prorsus insensilibus? Aliud insuper premit absurdum, nam si res ridentes plorantes, &c. e seminibus ridentibus, plorantibus, &c. constituas, ista etiam semina ex aliis similibus componi debent, inde processus in infinitum, nec ullus foret terminus ubi consistere valeas.

973. *Si etiam 'st*] Alii, *si jam*. Pro *factum*, v. 974. et *factus*, v. 985. Gifanius legit, *auctum* et *auctus*: pro *mistura*, v. 977. Gassendus, *natura*.

974. *Propritim*] *Proprie*; Nonius.

979. *Totis mortalibus*] *Totis animalibus*; Gassendus.

990. *Denique cœlesti sumus*] Longam de ortu rei sensilis disputationem, v. 32. egregie concludit; colligit enim argumenta antehac deducta, fortius urget collecta, et deinde totam sententiam de ortu sensus explicat: cum terra imbres ex æthere descendentes receperit, fertilis fit, parit se-

Omnibus ille idem Pater est, unde alma liquenteis
Humorum guttas Mater cum Terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum, et parit omnia sæcla ferarum,
995 Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.
Quapropter merito Maternum nomen adepta 'st.
Cedit idem retro de Terra quod fuit ante,
In terras; et quod missum 'st ex Ætheris oris,
1000 Id rursum Cœli rellatum templa receptant;
Nec sic interimit mors res, ut Materiaï
Corpora conficiat, sed cœtum dissupat ollis:
Inde aliis aliud conjungit, et efficit, omnes
Res ut convertant formas, mutentque colores,
1005 Et capiant Sensus, et puncto tempore reddant:
Ut noscas referre, eadem Primordia rerum
Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque:
(Neve putes æterna penes residere potesse

unus idemque Pater est omnibus, e quo cum fertilis terra mater defluentes humoris guttas recepit, quasi grævida facta parit nitidas fruges, arbusta læta, genus humanum, et omnia genera ferarum, cum subministret alimenta quibus omnes corpora sua pascunt, suavem vitam sustentant et propagant prolem, quas ob causas jure matris nomen consecuta est. Item quod olim sumptum erat de terra, id in terras recidit; quod de cœlo demissum est, illud remissum cœli recipiunt; neque mors ita destruit res creatas, ut perimat ipsa rerum semina, sed tantum illorum unionem dissipet et dissolvat: inde aliis aliud conjungit, et facit ut res cunctæ formas suas mutent, et conditionem varient, ut accipiant sensus, (fiant sensiles) et momento temporis iterum sensu expertes fiant; ut inde dignoscas interesse, cum quibus, et quali ordine eadem rerum semina conjungantur, et quos inter se communicent motus, et vicissim accipiant. (Nec credas rerum semina ideo minus

NOTÆ.

getes, gramina, et fructus quibus homines et bestiæ, res sensiles, nutriuntur. At pater ille æther insensilis, imbres etiam descendentes, tellusque mater non magis sensilis; dissoluta denique animalia partim in æthera avolant, partim in terram, res prorsus insensiles, relabuntur: sic particulæ uno modo nullo sensu præditæ, alio modo, alioque ordine dispositæ, sensiles evadunt. Res etiam sensiles mutato ordine et dispositione seminum torpescunt, et omnem sentiendi vim amittunt.

990. *Semine*] Alii, *stirpe*.

1009. *Neve putes, &c.*] Lambinus in omnibus libris invenit scriptum, *Neve putes æterna penes, &c.* Atque hanc scripturam quidam interpretantur: *Neve putes corpora prima posse residere penes profundum immensum;* nulla, aut certe absurda sententia. Turnebus, *penes æterna residere*, sic explicat, *in æternis textis remanere*. Lambinus, *Neve putes corpora prima residere posse penes æternitatem omni motu privata.* Idem aliquando putavit legendum *minus* pro *penes;* et tandem conjectando fessus versum hunc cum duobus sequentibus rejicit. *Æterna penes*, in ipsis penetralibus, Palmerius. Nescio quis dicit hic nihil sollicitandum, *Penes*, id est, *penes nos*, et *minus* subintelligitur. In his versibus explicandis multus est Faber, aliorum sententias rejicit, suamque his verbis exhibet; locus omnino difficilis: Turnebus *penes æterna* sumit pro æternis textis, quod mihi nimis stoicum, nimis μετάφορον et metaphysicum videtur, quam ut ita sentire Lucretium existimem. Lambinus olim existimavit pro *penes* legendum *minus*, quod mihi in mentem etiam venerat, priusquam ejus commentarios legissem. Ita certe ratio postulat, sed quia duriusculum ei videtur, *corpora prima resident æterna*, ideo alio confugit, ut dicat hos tres versus, qui tamen

1010 Corpora prima, quod in summis fluitare videmus
Rebus, et interdum nasci, subitoque perire)
Quin etiam refert nostris in Versibus ipsis,
Cum quibus, et quali sint ordine quæque locata.
Namque eadem Cœlum, Mare, Terras, Flumina, Solem
1015 Significant: eadem Fruges, Arbusta, Animanteis:
Si non omnia sint, at multo maxima pars est
Consimilis: verum Positura discrepitant hæc.
Sic ipsis in rebus item jam Materiaï
Intervalla, Viæ, Connexus, Pondera, Plagæ,

æterna esse, quia illa videmus in summis rebus fluitare, modo nasci et modo interire) Quin in ipsis nostris versibus interest cum quibus, et quali ordine singulæ literæ conjunctæ sunt, eædem enim literæ componunt voces, quæ significant cœlum, mare, terras, flumina, solem, fruges, arbusta, animalia; si omnes non sunt eædem literæ, at multo maxima pars eadem est, verum diverso ordine junguntur, et inde oritur vocum diversitas. Similiter in ipsis rebus fit, cum uminum intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,

NOTÆ.

mihi magnopere Lucretiani videntur, tolli posse; vel ita explicandum τὸ *residere*, ut privationem ab omni motu significet, et *penes æterna* positum fuerit pro *penes æternitatem*. Sed eam quoque sententiam ipsemet Lambinus sibi non satis probari ibidem ostendit, et merito quidem. Gifanius ita scribit, ita omnes vett. libb. Marullus *parum*, et ita Vulg. et Lamb. male: *residere penes æterna* (quod profundum alibi vocat), et in rerum adspectu et facie extare, opposuisse videtur Poeta: ex quibus liquido cuivis constare potest vim sententiæ nulla omnino ratione assecutum eum esse. Sed ubi illud tandem apud Lucretium, ut *profundum* pro *æternis* sumatur? quærat modo. Nam nos τὸ *profundum* in hoc ipso libro pro *infinito* sumi scimus. Dein, quis dubitet omnia corpora, non modo simplicia, sed et concreta esse in *infinito?* ubi enim esse queant nisi in *infinito*, haud sane video. De Latinitate nihil dicam, quippe qui legi sciam apud Tertullianum *penes* pro *in*. *Infantes*, inquit, *penes Africam Saturno immolabantur*, in Apologetico. Sed missa hæc facio, neque enim id agitur utrum res sint in *profundo*, seu *penes æterna*, quod nihil est; sed hoc Lucretius ait, Corpora quæ in concretis perire videntur, non perire tamen, neque ideo *minus æterna esse;* quod videre debuerat Gifanius. Itaque ut id ingenue dicam quod sentio, pro *penes* necessario legendum arbitror *minus*, aut *parum*, ut in vulgat. Denique etsi nullum exemplum proferri possit, in quo *residere* positum fuerit pro *esse*, non continuo sequitur errare illum qui ita existimet. Certe Lucretius plurimis locis usurpavit *manere* pro *esse* simpliciter; at ni frequentia exemplorum probasset, ea de re dubitaremus. Sed ut res tota, qua de agitur, perspicue magis appareat, paucula quædam addi necesse est. Vult probare Lucretius mortem ipsam nil prorsum in corporibus primordialibus ad nihilum redigere, sed ab ea situm modo, figuram, et alia id genus mutari: *Nec sic interimit mors res, ut materiaï corpora conficiat*, inquit, id est destruat, consumat; sed tantum cœtum dissipat. *Inde* (id est ex iis corporibus) *aliud aliis conjungit, et efficit omnes res ut convertant formas suas, et capiant sensus* (animentur), *et puncto tempore reddant*, (id est moriantur, nam hæc ad animalia præsertim pertinent,) *ut noscas plurimi referre, &c. Et ne putes prima corpora ideo minus æterna esse, quod illa in concretis fluctuare videntur, modo nasci, modo interire;* qui enim nasci illa, et interire putant, falluntur; nam ex oculis nostris subducuntur per interitum συγκριμάτων, sed non pereunt, quippe ad cætera primordia reducuntur, seu *ad sua sæcla*, ut mox loquitur, *recedunt*, donec motu sibi ingenito in cœtus novos redeant, &c. *Quod dixi autem de positura et collatione, potest id a simili, ex literarum elementis probari, &c.* An itaque nunc, Lector, tres illos versus tollendos esse putabis? Hæc Faber versibus immeritis nimis favens. Lego autem,

Neve putes interna minus, &c.

et v. 958. subjungo: placet ista conjectura, et scio alios interpretes nihil melius protulisse.

1017. *Discrepitant hæc*] Literarum elementa. Alii, *res;* inepte: hanc emendationem Lambini judicio debemus.

1019. *Viæ*] Apposite Virgilius, ipse Epicureus, in lib. 1. Georg.

1020 Concursus, Motus, Ordo, Positura, Figuræ
Cum permutantur, mutari Res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem:
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere, et nova se species ostendere rerum.
1025 Sed neque tam facilis res ulla 'st, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet; itemque
Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paullatim; ut Cœli clarum purumque colorem,
1030 Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunæque, et solis præclara luce nitorem:
Omnia quæ si nunc primum mortalibus adsint,
Ex improviso ceu sint objecta repente;
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
1035 Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
Nil ut opinor, ita hæc species miranda fuisset;
Quom tibi jam nemo fessus satiate videndi
Suspicere in cœli dignatur lucida templa:

concursus, motus, ordo, positura, figuræ permutantur, res quoque ipsæ mutari debent. Jam vero mentem tuam verissimæ philosophiæ documentis attentam præbe; res enim novitate sua admirabilis ad tuas aures pervenire gestit, et nova rerum species sese tibi ostendere conatur. Quinimo vix ulla est res tam facilis et aperta, quæ, cum primum proponetur, non sit creditu difficilis; nihil interim tam magnum et admirabile principio est, quod omnes non paulatim minus et minus admirantur; ut splendidum et nitidum colorem cœli, eumque fulgorem, quem sidera passim errantia in se continent, et splendentem solis et lunæ nitorem: quæ tamen omnia si nunc primum apparere hominibus inciperent, vel si ex improviso eorum oculis fuissent objecta, quid illis dici poterit magis admirabile? vel quid homines antea minus ausi essent futurum sperare? Nihil, ut puto; tam admirabilis hæc rerum facies fuisset. Jam vero nemo dignatur in splendida cœli templa suspicere.

NOTÆ.

Verum ubi tempestas, et cœli mobilis humor
Mutavere vias.

1022. *Nunc animum nobis, &c.*] Seminibus jam rite præparatis, et motu instructis demandat opus, quo nihil certe majus, nihil prudentius, aut augustius: alios Terrarum orbes, alia Astra, alios Soles, innumeros denique Mundos in spatio infinito ædificat; novum hoc quidem et incredibile, at non ideo rejiciendum: modo Memmius attendat argumenta, et rem ipsam aliquamdiu contempletur, minus insolens et admirabilis quotidie apparebit; multa enim sunt prorsus stupenda, quibus assueti homines non amplius suspiciunt, v. 25. Ἀλλὰ μὴν καὶ Κόσμοι ἄπειροί εἰσιν, οἱ μὲν ὅμοιοι τούτῳ οἱ δ' ἀνόμοιοι. Epicurus ad Herodotum.

1028. *Quod non minuant mirarier omnes*] Alii codd. exhibent, *Quod non minus fiat mirabile cunctis*, et pro *mirabile quicquam* in priori versu, Lambinus legit, *mirabile quoiquam. Minuant mirarier;* Terentius, Andr. Act. 2. Sc. 3. *Nec tu ea causa minueris hæc quæ facis.*

1035. *Ante quod*] *Ante quid*, Lambinus, Et sequentem versum ita legit,

Nulli ut opinor ita hæc species miranda fuisset
Quam tibi.

Sed aliam lectionem sequor, utpote longe potiorem;

Nil ut opinor, ita hæc species miranda fuisset.

Sequentem autem versum ita emendat Faber,

Quom (id est *cum*) *tibi jam nemo fessus, &c.* quasi diceret, *et tamen* (*ita assueti sunt oculi huic spectaculo*) *nemo hodie dignatur suspicere in cœlum.* Illud autem *tibi* (Servii voce utor) *vacat:* ut *mihi* apud Virgil. Georg. 1. *Jam tum* mihi *taurus aratro.*

Desine quapropter novitate exterritus ipsa
1040 Exspuere ex animo rationem; sed magis acri
Judicio perpende, et, si tibi vera videtur,
Dede manus, aut, si falsa est, accingere contra.
Quærit enim ratione Animus, cum summa loci sit
Infinita foris hæc extra mœnia mundi;
1045 Quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens,
Atque animi jactus liber quo pervolet ipse.
Principio, nobis in cunctas undique parteis,
Et latere ex utroque, infra, superaque, per Omne
Nulla 'st finis, uti docui, res ipsaque per se
1050 Vociferatur, et elucet natura Profundi:
Nullo jam pacto verisimile esse putandum 'st,
Undique cum vorsus spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero, summaque profunda
Multimodis volitent æterno percita motu,
1055 Hunc unum Terrarum orbem, Cœlumque creatum;
Nil agere illa foris tot corpora Materiai:

Ne igitur ipsa novitate rerum quas propono territus ex animo rationem ejice; sed acri judicio magis perpende, et si vera hæc ratio tibi videatur, da manus, si falsa, e contra pugna. Inquiro enim, cum extra hujus mundi mœnia (cœlos hos aspectabiles) spatium pateat infinitum, quid situm sit in isto spatio, quo ipsa mens prospicere gestiat, animusque alacri et libero impetu erumpens pervolare possit. Principio, cum nullus est finis aut terminus universi ex aliqua omnino parte, vel infra, vel supra, vel ex utroque latere, ut olim demonstravi, et ipsa natura Infiniti *docet et evincit, minime credendum est verisimile esse (cum spatium undique pateat infinitum, et semina numero et multitudine infinita, æterno motu agitata, multis modis per istud spatium volitarent) unum hunc tantum terrarum orbem et cœlum esse factum; tot vero semina extra hujus mundi mœnia in infinito spatio agitata nil agere:*

NOTÆ.

1037. *Satiate videndi*] Hunc ipsum versum laudat Nonius in voce *satiaq*, docetque Accium, Varronem, Lucilium, Salustium, et Terentium eadem voce usos fuisse. In sequenti versu pro *in cœli* alii legunt, *hinc cœli*.

1040. *Exspuere*] Sic omnes fere codices; Lambinus tamen amat *respuere*.

1043. *Quærit enim ratione animus*] De quatuor hisce versibus litigant interpretes, dum alii fastidiunt, quos alii amplectuntur: ego quidem nec absurdos esse video, nec inutiles; explicant enim futuræ disputationis argumentum, idque non inepte, si modo ita ut edidi legantur. Fayus legit, *Quærit enim ratio ne animi*, id est, *an animus inquirit, aut dubitat?* et quarto versui notam interrogationis subjungit. Non opus est isto acumine.

1047. *Principio, nobis in cunctus, &c.*] Infinitum esse spatium, et in illo spatio infinita semina volitare, si Epicurum audias, certum est: at in hunc, quem nos incolimus, mundum omnia ista infinita semina non coaluerunt; quid ni igitur credamus semina in alia spatii infiniti parte compages huic nostro mundo vel prorsus similes vel dissimiles componere, præsertim cum eadem *natura* ubique regnat, et in omnibus spatii infiniti partibus eodem jure utitur. Hoc argumentum v. 19. continetur. Αἴ τι γὰρ Ἄτομοι ἄπειροι ὄσαι φέρονται καὶ τόῤῥω τούτου, καὶ ἄλλωθις ἄλλαι εἰς ἀπειρεσίαν Κόσμων ἀπείρων συνίρχονται· ὃ γὰρ καταπάλωνται αἱ τοιαῦται Ἄτομαι (ἐξ ὧν ἂν γένοιτο ὁ Κόσμος ὅτος, ἢ ἐξ ὧν ἂν ποιηθείη ἄλλος) οὔτ' εἰς ἕνα, (ita legit Meibomius,) οὔτ' εἰς πεπερασμένους, οὔθ' ὅσοι τοιοῦτοι, οὔθ' ὅσοι διάφορα τούτῳ, ὅτι ὀδὲν τὸ ἐμποδίζον ἐπὶ πρὸς τὴν ἀπειρίαν τῶν Κόσμων. Epicurus ad Herodot.

1050. *Profundi*] Infiniti. Vide v. 1094.

1052. *Undique cum vorsus*] Ita omnes libri: Lambinus tamen legit, *cum quoque vorsus*; istamque lectionem, ut et omnia inepta Fayus approbat.

1054. *Æterno—motu*] Est enim ingenitus atomo motus, Faber.

Cum præsertim hic sit natura factus, et ipsa
Sponte sua forte offensando semina rerum
Multimodis, temere, incassum, frustraque, coacta
1060 Tandem cooluerint ea, quæ conjecta repente
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terraï, Maris, et Cœli, generisque Animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse 'st
Esse alios alibi congressus materiaï,
1065 Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.
Præterea, cum Materies est multa parata;
Cum Locus est præsto; nec res, nec causa moratur
Ulla: geni debent nimirum, et confieri res.

præsertim cum hic mundus sit a natura (non aliquo consilio) creatus, ipsaque semina sponte sua (nulla vi dirigente) se invicem agitantia et percellentia variis modis, temere, incassum, frustra, tandem in eas congeries et moleculas convenerint, quæ magnarum rerum, puta terræ, maris, cœli, et animalium fierent exordia. Omnino igitur fatendum est alibi etiam (aliis in locis extra nostros cœlos) alias esse seminum concretiones tales, qualis hæc est, quam arcto amplexu æther noster ambit. Præterea, cum sit idonea seminum copia, locus insuper idoneus, nec res ulla, nec ulla causa impedit, res creari debent et componi.

NOTÆ.

1060. *Cooluerint*] Cum reperissem in libris scriptis partim *colarint*, partim *coierint*, partim *coierunt*, *cooluerint* reposui; quæ scriptura perspicue vera est. *Coolescere* autem valet *concrescere*, et *coagmentari*; *olescere* enim (ut docet Festus) valet *crescere*: quo verbo utitur idem Lucretius infra eodem libro.

Donec olescendi *summum tetigere cacumen.*

Ubi tamen quidam legunt *alescendi*, male. Lambinus.

1061. *Exordia semper*] Pessime: neque enim *semper* cum *repente* convenire potest. Errorem autem ut viderent interpretes, certe scripturæ varietas satis efficere debuerat. Hic enim versus in lib. 5. repetitus fuit, sed novo etiam mendo deformatus: sic enim ibi legitur,

Tandem convenient ea, quæ conjunota, repente
Magnarum rerum fiant exordia sæpe.

Sed et hic et illic scribendum est non *semper*, non *sæpe*, sed *nempe*;

Magnarum rerum fierent exordia, nempe
Terraï, maris, et cœli, &c.

Vitium autem ex compendiaria scribendi ratione natum est, nam pro *nempe* scribebant *nēpe*, unde procuderunt illud *sæpe*, quemadmodum *ex sæpe τὸ semper* procrearere: Faber. At vero ista tinnientia,

—*Conjecta repente*
—*Exordia nempe*,

quæ auris pati potest?

1065. *Avido*] Vasto, ingenti: sic lib. 5.

Inde Avidam *partem montes sylvæque feratum*
Possedere. Lambinus.

1066. *Præterea, cum materies est, &c.*] Iterum, v. 10. hoc modo arguit. Positis omnibus ad rem aliquam producendam requisitis, quidni res ista producatur? At est sufficiens materiæ copia, idoneus insuper locus, nec deficit ista vis naturæ, quæ hunc mundum ex seminibus fortuito occursantibus composuit; quidni, igitur, præparatam et sibi obedientem materiam, in aliis etiam spatii infiniti partibus conjungat, et cœlum, terras, mare, homines, atque animalia producat? Metrodorus dicit, ἄτοπον εἶναι ἐν μεγάλῳ οὐδίῳ ἵνα τύχον γενηθῆναι, ᾗ ἵνα Κόσμον ἐν τῷ ἀπείρῳ ἔστι δὲ ἄπειρα κατὰ τὸ πλῆθος, δῆλον ἐκ τοῦ ἄπειρα τὰ αἴτια εἶναι, εἰ γὰρ ὁ μὲν Κόσμος πεπερασμένος, τὰ δὲ αἴτια πάντα ἄπειρα ἐξ ὧν ἔδει ὁ Κόσμος γίγνεσθαι, ἀνάγκη ἀπείρους εἶναι· ἔστι γὰρ τὰ πάθη γίγνεσθαι αἴτια, ἐκεῖ καὶ τὰ ἀποτελέσματα. Plutarchus de Placit. Phil. lib. i. cap. 5. Ita hoc et superius argumentum complectitur Metrodorus familiaris Epicuri.

1068. *Geni*] *Geri*, Gifanius, qui de hac voce cum Lambino perpetuo litigat; suam sententiam e libris tuetur Gifanius: se defendit Lambinus v. 1077.

Unica quæ gignatur, &c.

1068. *Confieri*] Alibi Lucretius; et Virgilius, lib. 4. Æneid.

—*Nunc qua ratione quod instat*
Confieri possit, paucis adverte, docebo.

Nunc et Seminibus si tanta 'st copia, quantam
1070 Enumerare ætas animantum non queat omnis;
Visque eadem, et natura manet, quæ Semina rerum
Conjicere in loca quæque queat, simili ratione,
Atque huc sunt conjecta: necesse 'st confiteare
Esse alios aliis Terrarum in partibus orbeis,
1075 Et varias Hominum genteis, et sæcla Ferarum.
Huc accedit, ut in Summa res nulla sit una,
Unica quæ gignatur, et unica, solaque crescat,
Quin cujusque sient sæcli, permultaque eodem
Sint genere; in primis animalibus indice mente:
1080 Invenies sic montivagum genus esse Ferarum,
Sic Hominum genitam prolem, sic denique mutas
Squamigerum pecudes, et corpora cuncta Volantum.
Quapropter Cœlum simili ratione fatendum 'st,
Terramque, et Solem, Lunam, Mare, cætera, quæ sunt,
1085 Non esse unica, sed numero magis innumerali,
Quandoquidem vitæ depactus terminus alte
Tam manet his, et tam nativo hæc corpore constant,
Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.
Quæ bene cognita si teneas; Natura videtur

Jam vero si tanta sit seminum copia quantam ætas omnis hominum enumerare non valeat, eademque natura sit, quæ possit conjicere ista semina in alia quæque loca simili ratione atque in hunc locum (in quo noster mundus existit) conjecta sunt; necesse est ut concedas in aliis etiam spatii infiniti partibus alios esse terrarum orbes, alias hominum gentes, et alia genera animalium. Adde quod in universa natura rerum nulla sit una res, quæ unica gignatur, et sola et singularis crescat; sed in omni rerum genere plurima singularia et individua continentur, præcipue in generibus animalium, ut videre licet. Invenies enim genus montivagum ferarum, genus hominum, genus denique mutorum piscium, et genus avium sic esse (plurima singularia et individua complecti): pariter ergo fatendum est terram, solem, lunam, mare, cæteraque non esse unica et singularia, sed numero multa, et fere infinita; quandoquidem hæc omnia constant corpore æque mortali, et his omnibus certus vitæ terminus a natura æque statuitur, ac istis rerum generibus, quæ plurima singularia et individua complectuntur. Quæ omnia modo proposita si bene perspecta habeas, natura dominis

NOTÆ.

1076. *Huc accedit, ut in summa, &c.*] Tertium denique, v. 13. proponit argumentum; res omnes creatas circumspice, in unoquoque genere plurima, quæ vocant, individua invenies; in genere humano homines, in ferino feras, &c. Unicum igitur solem, unicamque terram dices? Inepte id quidem, cum sol, terra, cœlum, &c. sint tam interitura, (ideo autem genera animalium plurima complectuntur, quia singula intereunt, ut isti philosophi affirmant, contra quos disputat Lucretius) quam cætera concreta.

1078. *Quin cujusque, &c.*] Hic versus cum sequenti Lucretianus non est, quod et Lambinus vidit: Faber. Libros sequitur Gifanius, retinet, licet non approbet. Corrupti forsan, at mutilus sine illis locus, ideo omissis aliorum conjecturis, hoc modo corrigendos censeo;

Unica quæ gignatur, et unica, solaque crescat
Cujuscunque siet *sæcli; permultaque eodem*
Sunt genere: imprimis animalibus injice mentem;
Invenies sic montivagum, &c.

Injice mentem a Lipsio accepi; et ex his vocibus commoda et digna Lucretio sententia effingi potest.

1081. *Genitam prolem*] Nescio quis *geminam*, i. e. utrumque sexum.

1085. *Unica*] *Unum*, MS. Nonii, qui laudat hunc versum in voce *innumeralis*: at MS. isti ne credas.

1089. *Quæ bene cognita si teneas, &c.*]

1090 Libera continuo Dominis privata superbis,
Ipsa sua per se sponte omnia Diis agere expers.
Nam (proh sancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque serenam!)
Quis regere Immensi Summam, quis habere Profundi
1095 Indu manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter Cœlos omneis convertere? et omneis
Ignibus ætheriis terras suffire feraceis?
Omnibus inque locis esse omni tempore præsto?
Nubibus ut tenebras faciat, cœlique serena
1100 Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, et ædeis
Sæpe suas disturbet, et in deserta recedens

superbis repente liberata, videtur omnia sponte sua et per se agere, sine ope deorum, et providentia. Nam (proh dii sancti qui alto otio et pace tranquillum degunt ævum, vitamque agunt omni cura immunem) quis universum infinitum gubernare? Quæ potestas valeat frena totius universi manu sua moderari? Quis pariter omnes cœlos convertere? Omnes etiam terras fertiles cœlestibus (solis et astrorum) radiis calefacere? Et omni temporis momento omnibus in locis præsto esse? ut tenebrosas nubes terris inducat, et tonitru tranquillas sedes cœli concutiat; tum vibret fulmina, et sua templa sæpissime evertat, et in loca deserta secedens,

NOTÆ.

V. 15. e positis pro more Lucretius in Providentiam impetum facit: pace et otio Deos olim donavit, quia nihil beatum quod negotiosum; jam vero fœlix beatumque numen aliquibus curis distringi posse supponamus; quæ autem vis infinitos mundos regere, quæ solibus, terris, &c. innumeris præsidere valeat? Infiniti enim mundi major sunt provincia quam ut a Deo vel maxime negotioso commode administrari possit. Hæc impius de pusillo isto Deo quem homini similem effinxit. Scommate denique, quo Athei communiter utuntur, concludit omnia, et certe fœlicius scommate quam argumento, contra providentiam pugnatur. *Καὶ μὴν ἐν τοῖς μετεώροις φορὰν, καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλυψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντος τινὸς νομίζειν χρῆναι διοῖσθαι, μήτε διατάττοντος ἢ διατάξαντος, καὶ ἅμα τὴν πᾶσαν μακαριότητα ἔχοντος μετὰ ἀφθαρσίας· ὡ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι, καὶ φροντίδες, καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλὰ ἀσθενείᾳ, καὶ φόβῳ, καὶ προσδεήσει τῶν πλησίον.* Epicurus ad Pythoclem.

1095. *Indu*] Vel *endo*, i. e. *in*: sic lib. 4. v. 776. lib. 6. v. 890.

1096. *Cœlos*] Quia infinitos mundos statuebant Epicurei, hinc factum esse ut Lucretius Epicureus *τὸ cœlos* numero multitudinis, quæ vox ἰνικῶς semper dicitur, teste Frontone Cornelio apud Gellium, lib. xix. cap. 8. Tanaquillus Faber ad Lucretium observabat ingeniose: *τὸ cœli* tamen πληθυντικῶς occurrit in hoc versu vetustissimi poetæ;

Jupiter in cœlis, Cæsar regit omnia terris.

Menagius.

1097. *Suffire*] Calfacere, suffumigare, vaporare: sic lib. 4.

Et miseram tetris se suffit *odoribus ipsa.*

Et Virgilius, Georg. 4.

Et suffire *thymo, cerasque recidere inanes.*

1099. *Cœlique serena*] Hic multa Faber, quasi oblitus sui fuisset Lucretius, qui alibi negabit, et quidem accurate, fieri unquam posse ut cœlo *sereno* tonet; vel saltem ex vulgi sententia, non sua loqueretur. *Cœli serena* melius interpreteris *ampla et spatiosa cœli templa:* quid enim ex vulgi sententia loqueretur Poeta, cum ad argumentum suum nihil faceret? quid denique cœlum *serenum* cogitaret, cujus faciem tenebrosis nubibus in priori versus parte obscuraverat? Nihil hic de palponibus sacerdotibus Lucretius; nihil Virgilius, cum cecinit Georg. 1.

Non alia cœlo ceciderunt plura sereno
Fulmina.

Nec aulæ imponere voluit Horatius,

Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum.

Naso opus est, ut inquis, Faber, ut causas, rationesque, et consilia scriptorum sagaciter odorari possis, sed nasum nolo nimis nasutum.

1101. *Deserta*] *Diversa*, Gassendus; et in sequenti versu pro *quod*, quidam codd. exhibent *quo*.

Sæviat exercens telum, quod sæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos, inque merenteis?
Multaque post Mundi tempus genitale, diemque
1105 Primigenum Maris, et Terræ, Solisque coortum,
Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
Semina, quæ magnum jaculando contulit OMNE:
Unde Mare, et Terræ possent augescere; et unde
Adpareret spatium Cœli domus, altaque tecta
1110 Tolleret a terris procul; et consurgeret Aër.
Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur, et ad sua sæcla recedunt:
Humor ad Humorem, Terreno corpore Terra
Crescit; et Ignem Ignes procudunt, Ætheraque Æther:
1115 Donicum ad extremum crescendi perfica finem
Omnia perduxit rerum Natura creatrix;
Ut fit, ubi nihilo jam plus est, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit:
Omnibus his ætas debet consistere rebus;
1120 His Natura suis refrænat viribus auctum.

ibique fulminans, inaniter sæviat, exercens illud telum quod nocentes et impios sæpe præterit, immeritos vero et innocentes prosternit? Post ortum hujus mundi, diemque natalem maris et terræ, et exortum solis, multa sunt corpora extrinsecus addita, plurima ex omni parte semina, quæ Infinitum Universum conjecit et applicuit; e quibus seminibus mare et terræ augeri possunt, e quibus etiam cœlum amplius fieret, altaque fornices procul a terris tolleret, novus etiam aër oriretur. Ex omnibus enim universi partibus propria semina singulis rerum generibus distribuuntur et applicantur; aquæ semina aquæ; terra augetur e terrestribus particulis, ignis ex igneis, atque æther ex æthereis: usque dum natura rerum parens et perfectrix omnia perduxit ad ultimos augmentationis suæ terminos, quod evenit quando res non plura recipiunt semina intra vitales suas venas, quam ejiciunt et amittunt; tum enim omnes res summum ætatis suæ florem attingunt, nec natura patitur ut ampliores et auctiores fiant.

NOTÆ.

1103. *Indignos*] Ut ipse explicat, *immerentes*. Sic Horatius, Sat. 2. lib. 2.

Cur eget indignus *quisquam te divite?*

Et Cicero Tuscul. 4. Misericordiam datam esse dicunt ad opem ferendam, et calamitates hominum *indignorum* sublevandas.

1104. *Multaque post mundi, &c.*] Mundos infinitos extruxit, mortales asseruit, animalibus similes, atque ideo nutriri, crescere, aliquando etiam diminui, senescere, et ad interitum vergere affirmat, v. 17. Infinitum enim universum subministrat semina, quibus receptis et debite conjunctis crescit mundus, et fit vegetior: cum tot semina emittit quot recipit, tum consistit, id est neque crescit, neque diminuitur; cum vero plura e mundo emittuntur semina, quam recipiuntur et debite conjunguntur, tum debilior fit mundus, et senescit.

1107. *Semina, quæ magnum, &c.*] Sine dubio hic versus non est Lucretii, sed ab aliquo sibi nimium arrogante pro Lucretiano interpositus est, quasi aliquid deesset; itaque eum delendum censeo! Lambinus. Quam sententiam qui sequitur, errabit. Vid. lib. 1. ver. 995.

1109. *Adpareret*] Ita optime in secunda editione emendavit Lambinus (*aptaret* alii): *adparere* autem ab *adpario*, proprie est quod Græce προσκτᾶσθαι, *acquirere* aliquid, *adjungere*. Faber.

1112. *Ad sua sæcla*] *Ad sua semina cedunt;* alii: *ad sua fœdera*, alii; frustra: dum et codices, et ipse poeta alibi exhibet *sua sæcla*.

1115. *Perfica*] *Effectrix, perfectrix: perfice*, Gifanius, et Pareus, id est perfecte; ne credas lector. Alia vero præter naturam Dea olim dicebatur *perfica*. Arnobius, lib. 4. adversus Gentes, p. 131. *Etiamne* perfica *una est e populo numinum, quæ obscœnas illas et luteas voluptates ad exitum* perficit *dulcedine inoffensa procedere?* Et pag. 133. *Pertundæ* perficam conjungit.

1119. *His ætas*, et *his natura*] Alii, *hic ætas*, et *hic natura*, e codicibus.

Nam, quæcunque vides hilaro grandescere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ:
Plura sibi adsumunt, quam de se corpora mittunt,
Dum facile in venas cibus omnis diditur; et dum
1125 Non ita sunt late dispersa, ut multa remittant,
Et plus dispendî faciant, quam vescitur ætas:
Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum 'st; sed plura accedere debent,
Donicum olescendi summum tetigere cacumen:
1130 Inde minutatim vireis, et robur adultum
Frangit, et in partem pejorem liquitur ætas.
Quippe etenim quanto est res amplior, augmine demto,
Et quo latior est, in cunctas undique parteis
Pluria eo dispergit, et a se corpora mittit;
1135 Nec facile in venas cibus omnis diditur eii;
Nec satis est, pro quam largos exæstuat æstus,

Quæcunque enim vides læto augmine grandescere, et ad florem ætatis adultæ paulatim assurgere, plura sibi assumunt corpora, quam de se ejiciunt, dum scilicet alimentum in omnes venas facile distribuitur, nec tam dilatata sunt, ut multa corpora ex se ejiciant, et plura amittant quam recipiant; concedendum enim omnino est corpuscula multis modis effluere atque decedere a rebus, plura vero debent accedere donec res attigerint ultimum augmentationis suæ terminum: deinde paulatim vires et perfectus vigor decrescunt, et ætas debilitata tabescit; nam quo res est mole amplior et latior, si modo non augeatur, eo plura corpora ex se in omnes undique partes emittit, et dispergit: nec alimentum in omnes venas istius rei facile distribuitur; et quoniam largam effluviorum copiam res ista emittit, alimentum quod accipit non satis est, unde tantum, quantum opus est,

NOTÆ.

1121. *Nam, quæcunque vides, &c.*] Quoniam mundos suos aliquando crescere, aliquando diminui asseruit, totam rationem et incrementi et decrementi in animalibus (et eadem est rerum aliarum ratio), ver. 23. explicat. Crescunt autem animalia, quia in prima ætate plus alimenti convertitur in animalis substantiam, quam ex illa depereat: media tantundem convertitur, quantum deperit; ideo consistit animalis ætas, id est, neque crescit, nec decrescit animal: extrema autem ætate amplius deperit quam convertitur. Ita crescunt et decrescunt animalia, at unde evenit quod in prima ætate plus recipitur et adjungitur, in media tantundem, in extrema minus, nondum inquirit poeta, latet causa, et, id scio, atheos semper latebit.

1126. *Quam vescitur ætas*] Aliquis, *pascitur*. In illo versu,

Et plus dispendi faciant, quam vescitur ætas.

Plane aliquid est quod contra poetæ mentem faciat, constat quippe hæc verba *quam vescitur*, opposita illis esse, *plus dispendi faciant:* itaque *vè* vesci significaret *acquirere*, parare, &c. cui rei linguæ Latinæ usus reclamat. Quamobrem hunc locum ita semper legendum existimavi:

Et plus dispendi faciant quam nancitur *ætas.*

Nancitur autem fit a *nancior*, id a *nancio* est, quod olim usurpavit Gracchus ut ex *Prisciano* novimus: ex *nancio* autem nova proles orta est *nanciscor*, quam recentior usus retinuit; nancior autem significat *occupo, prehendo, capio;* In XII. Tab. *Siquid pigneris nancitor sibi habeto.* Inde *renancitur* apud Paulum Diaconum Festi Epitomisten, pro *reprehendit*, seu *iterum prehendit*. Faber. Festi tamen codd. exhibent, *renanciscitur*. Lucretii codd. *vescitur*, quæ vox forsan commode retineri potest.

1127. *Ac decedere*] *Atque recedere*, alii: et pro *multa, manus dandum est*, in sequenti versu, *multimodis, dandum est.*

1129. *Donicum olescendi*] Vid. ver. 1060.

1132. *Augmine demto*] Bene: nec *augmine adepto* recte scribitur.

1136. *Nec satis est, pro quam largos, &c.*] Lambinus legit,

Nec sitis est quæ per largos, &c.

totumque versum tanquam adulterinum rejicit. Faber ita legit,

Nec satis est, præquam *largos exæstuat* auctus.

Cujus hic erit sensus. *Ubi corpus ad cre-*

Unde queat tantum suboriri, ac suppeditare,
Quantum opus est, et quod satis est, Natura novare.
Jure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
1140 Sunt; et cum externis succumbunt omnia plagis:
Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit;
Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora conficere, et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
1145 Expugnata dabunt labem, putreisque ruinas:
Omnia debet enim cibus integrare novando;
Nequicquam, quoniam nec venæ perpetiuntur
Quod satis est, neque quantum opus est, natura ministrat.
Jamque adeo affecta 'st ætas, effœtaque tellus
1150 Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud (ut opinor) enim mortalia sæcla superne

suboriri et suppeditari possit, et quod naturæ defluentis reparationi sufficiat. Necesse est igitur ut pereat ista res, cum effluvia emittendo rarior fiat illius textura, et externorum corporum incursu valide percutiatur; quandoquidem rei grande ævum attingenti non subministratur sufficiens alimentum, nec corpora externa perpetuo incursantia et infesta unquam cessant ictibus suis rem frangere et conficere. Pari modo mœnia hujus magni mundi (cœli aspectabiles) labefactata corruent et dissolventur: alimentum enim renovare omnia et instaurare debet, cibus fulcire et sustentare; at id frustra tentatur quoniam neque venæ ipsæ (meatus per quos alimentum distribuitur) recipere sustinent id quod satis est, neque natura id quod sufficit hujus mundi reparationi subministrat: imo jam jam vires terræ diminuuntur, et tellus fit effœta, vix producit parva animalia, quæ cuncta rerum genera, et vasta ferarum corpora olim peperit et procreavit. Non enim, ut opinor, funis

NOTÆ.

scendi cacumen venit, tum defluere, et minui debet, quia nihil satis est, unde tantum suboriri possit, præquam exæstuat largos auctus, id est, *substantiam prius acquisitam amittit.* Auctum enim vocat eam substantiam, qua illud aut illud corpus auctum est, ut et alibi. Nulla est utriusque interpretis conjectura; iniquus ille, qui rejicit hunc versum, nec æquior ille qui emendat. Quis enim nescit corpora animalium tantam effluviorum copiam quotidie emittere, ut alimentum, nisi copiose subministratum, illis reparandis non sufficiat? Jure igitur legitur, *nec satis est:* quis etiam ignorat effluvia ista in modum aquæ e fistulis expressæ erumpere? Quænam igitur vox significantior ista voce *æstus?*

1144. *Sic igitur magni quoque*] Demum, ver. 29. concludit: Mundum eo modo quo animalia senescere, meatus, viz. quos in animalibus venas voces, assiduis corporum externorum ictibus labefactati, ægre recipiunt materiam mundo reparando idoneam ex *infinito* defluentem: et jam tam late expansa est hæc compages, ut plus materiæ e se dimittat, quam ex infinito accipit, atque ideo diminuatur necesse est, et devigescat. Quin ut Epicurus statuit, omnia genera animalium, fruges, arbores, &c. sponte sua tellus olim produxit, quam tamen hodie effœtam sentimus, ideoque ipsam senescere fatendum est.

1145. *Putreisque ruinas*] Gassendus, *tristesque.*

1146. *Omnia debet enim cibus, &c.*] Huic versui nonnulli subjungunt versum prorsus ineptum,

Et fulcire cibis, ac omnia sustentare.

Hic enim delendus est, imo, si libri permitterent, tres alios rejicerem.

1149. *Jamque adeo affecta 'st ætas, &c.*] Lambinus præfert,

Jamque adeo fracta est ætas, affectaque tellus.

nec rejicit,

Jamque adeo affecta est ætas, affectaque tellus.

1152. *Haud (ut opinor) enim, &c.*] E terra inquam hæc omnia orta, neque enim, ut isti providentiæ assertores, aiunt, animalia e cœlo per catenam illam, quam unus hominum Homerus vidit, demissa sunt; neque porro mari, et fluctibus littora pulsantibus edita: sed quæ tellus hodie omnia genera alit, illa ipsa est quæ cuncta protulit. Faber.

Aurea de Cœlo demisit funis in arva;
Nec mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt:
1155 Sed genuit Tellus eadem, quæ nunc alit ex se.
Præterea nitidas fruges, vinetaque læta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit:
Ipsa dedit dulceis fœtus, et pabula læta;
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore:
1160 Conterimusque boves, et vires agricolarum;
Conficimus ferrum vix arvis suppeditati:
Usque adeo pereunt fœtus, augentque labores.
Jamque caput quassans grandis suspirat arator
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem;
1165 Et cum tempora temporibus præsentia confert
Præteritis, laudat fortunas sæpe parentis;
Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
Perfacile angustis tolerarit finibus ævum,
Cum minor esset agri multo modus ante viritim:
1170 Nec tenet, omnia paullatim tabescere, et ire
Ad scopulum spatio ætatis defessa vetusto.

aureus de cœlo in terram demisit genera animalium, neque mare, neque fluctus rupes pulsantes illa produxerunt, sed terra ex se produxit res omnes quas nunc nutrit et sustentat. Præterea tellus sponte sua opimas segetes et vineta grato fructu abundantia olim mortalibus produxit, ipsa etiam sponte sua dulces fructus procreavit, et læta gramina; quæ nunc temporis hominum cura et labore adjuta ægre crescunt: boum et agricolarum vires conterimus, vix satis ferri est quo agros colamus (in colendis agris omne ferrum consumimus), usque adeo res ægre crescunt, et labores hominum augentur. Et nunc temporis robustus arator quassans caput queritur ingentem suum et improbum laborem sæpe incassum cecidisse, comparat præsentem ætatem cum præterita, frequenter laudat fœlicem parentis sui sortem, et sæpe memorat, ut prisca gens mortalium pietatis plena vitam omnibus rebus necessariis abundantem nullo suo labore transegerint inter angustos fines, cum olim singulis hominibus multo minor agri modus contigit: nec intelligit res omnes paulatim deficere, ad interitum vergere, et multis annis fessa et debilitata ad scopulum ætatis (metam terminumque vitæ suæ) tendere.

NOTÆ.

1160. *Conterimusque boves, &c.*] Hi duo versus unde olim malum pedem tulere, eo et referri debent, neque enim Lucretii lucerna digni sunt: Faber. Gifanius legit,

Conterimusque boves, et vires agricolarum
Conficimus. Seris vix arvis suppeditati
Usque adeo pereunt fœtus, &c.

Sera autem arva, tristia, quæ fructum ægre reddunt: ut *sera* mors Æneid. 6. Mors *gravis:* et *serum* bellum apud Salustium, *grave* bellum: Servius. Quidam legunt,

Conficimus, ferrum vix arvis suppeditarit.

1163. *Usque adeo pereunt fœtus*] Palmerius *parcunt* fœtus, id est, parcius redduntur, et augentur labores.

1168. *Et crepat, antiquum genus, &c.*] Argumento, quod modo duxerat ex Epicuri placitis, subjungit poetarum fabulas de aureo seculo, viz. tunc temporis mire fertilis erat terra, omnia sponte produxit, quæ jam multo labore subacta ægre homines sustentat: conscius autem poetas istos hanc terræ fertilitatem numinis benevolentiæ piis hominibus faventis attribuisse, istam opinionem scommate impugnat, et despicit ignorantiam illorum, qui tellurem senio effœtam fieri nondum intellexerint.

1169. *Perfacile—tolerarit—ævum*] Beati viverent: sic enim hunc locum capio, ut illum Terent. *Quam vos facile vivitis.* Inde apud Homerum, Dii ῥεῖα ζώοντες dicuntur: Faber.

1171. *Ad scopulum*] Ad interitum; translatum a navi quæ infligitur scopulo: Lambinus. Per *scopulum* intelligit exitium, labem, ruinam: Faber. Salmasius autem asserit scopulum esse metam, seu parvum scopum; sic Suetonius in Domitiano, cap. 19. Nonnunquam pueri procul stantis, præbentisque pro *scopulo* dispansam dextræ manus palmam, &c.

In hoc libro positæ sunt omnes Epicuri fortunæ, exiguæ quidem istæ, quas tamen multi olim affixerunt, et Tullius diripuit. Instaurare demum magno conatu nititur Lucretius, eo successu, quem meretur: idem enim Epicuri opinionibus accidit quod fœtui mali staminis, copiosum licet, et saluberrimum alimentum ingeras, debilis tamen manet, et infirmus.

A v. 66. ad v. 82. Docet Poeta Motum esse, nec diffitemur: motum etiam rerum omnium e motu seminum oriri; illud quoque agnoscimus: sed dum, v. 82. pondus seminibus, et inde motum attribuit, nimium sibi et suis atomis indulget: quis pondus omni materiæ, et quis corporibus ejusdem molis idem pondus concedat? Sensus enim et experientia reclamant. Vidit autem Epicurus lapides, ligna, cuncta denique intra mundi hujus ambitum contenta deorsum tendere, atque ideo credidit omnia ab æterno descendisse, quam opinionem qui amplectitur, nae ille erit nitidissimus de grege Epicuri philosophus: idem enim ac si diceret, rotas, elateres, et reliqua machinæ alicujus membra id factura seorsim, quod conjunctim faciunt. Sed ut hoc quoque largiamur; Habemus tandem infinita semina per inane infinitum pari passu, et æquali velocitate deorsum tendentia. In immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quæ interjecto inani cohærescunt tamen inter se, et aliæ alias apprehendentes continuantur, ex quo efficiuntur hæ rerum formæ et figuræ. Unde vero aliæ alias apprehendant, cum pari velocitate omnes ferantur? viz. paullum, et quam minimum declinant, v. 220. Sed ipsa hæc declinatio ad libidinem fingitur, (ait enim Lucretius declinare atomos sine causa, quo nihil turpius physico) et illum motum naturalem omnium ponderum e regione inferiorem locum petentium sine causa eripuit atomis. Nec tamen id, cujus causa hæc finxerat, assecutus est; nam sive omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent; sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur, erit hoc quasi provincias atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur. Tullius primo de Finibus.

Hanc difficultatem sensit ipse Lucretius, v. 225. ubi non tam solvit, quam vi ejus succumbit oppressus et prostratus. Sed v. 251. aliam difficultatem movet, cujus ope vim prioris effugere conatur; vel, ut sepia, tenebras et caliginem offundit, ut difficilius inveniri et capi possit. Asserit enim sine ista seminum declinatione Libertatem Voluntatis, quam in omnibus animalibus sentimus, explicari non posse. Respondet Cicero, lib. i. de Natura Deorum: Hoc persæpe facitis, Epicurei, ut cum aliquid non verisimile dicatis, et reprehensionem effugere velitis, efferatis aliquid quod omnino ne fieri possit, ut satius fuerit illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere: velut Epicurus, cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset eorum motus certus et necessarius; invenit quo modo necessitatem effugeret, quod viz. Democritum fugerat. Ait atomum, cum pondere et gravitate directo deorsum feratur, declinare paullum: hoc dicere turpius est, quam illud, quod vult, non posse defendere. Et libro de Fato: Epicurus uno tempore res duas suscipit inenodabiles, unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo existet ut de nihilo quippiam fiat; quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alteram, ut cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. Fusius deinde hanc causam agit in eodem libro. Quæ ergo nova causa in natura est quæ declinat atomum? aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo declinet intervallo, majore non? aut cur declinet uno minimo, non declinet duobus aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare; nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri et declinari dicis, neque in illo Inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causæ cur ea non e regione ferretur, nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita cum attulisset Epicurus nullam causam quæ istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, quum id dicat quod omnium mentes aspernentur et respuant. Ita Hortos Epicuri vastat Cicero, et evertit totam illam, quæ providentiæ iniquior est, philosophiam.

Melius tamen succedit longa illa a v. 333. ad versum 580. disputatio de varietate figurarum quæ in seminibus invenitur; similiter illa de seminibus diversimode figuratis in unoquoque composito contentis, a v. 581. ad v. 728. Argumentum enim fabulis subinde introductis ornat, et sententiam suam variis, iisque firmissimis rationibus confirmat.

Nec ullus unquam Epicureæ philosophiæ adversarius effugiet ista argumenta, quibus a v. 729. ad v. 1021. demonstrat, semina coloris, odoris, caloris, omnis denique qualitatis, et sensus esse expertia: originem sensus ipse, fateor, non recte explicat, at sensum animalium sensilibus principiis (quod unum in hoc libro agit) mi-

nime deberi, eo quo Lucretium decuit, acumine persuadet.

Quod denique, a v. 1022. ad v. 1103. innumerabiles mundos extruit, hoc etiam ferri potest, si aliquem architectum adhibuisset. Sed quis credit ex atomorum concursione fortuita hunc mundi pulcherrimum ornatum esse perfectum? An cum machinatione quadam aliquid moveri videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin sint opera illa rationis: cum autem impetum cœli cum admirabili celeritate moveri, vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Quod si mundos efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum non potest, quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora? Hæc Cicero providentiæ gratissimus vindex.

Demum a v. 1104. ad v. 1171. Mundos innumerabiles quotidie nascentes, et intereuntes contemplare, et beatum Te judicabis, lector, qui inter tot tantasque ruinas integer manes et illæsus: interim ridebis lactentes istos, et senescentes mundos, modo fame enectos, modo pinguedine nimis obesos. Certo enim certius, tum perire omne Lucretii acumen cum providentiæ adversetur.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

LIBRI TERTII

ARGUMENTUM.

HACTENUS, duobus nempe superioribus libris, Naturam et Affectiones quas dicimus Atomorum, rite explicasse sibi visus est Poeta: nunc quatuor reliquis libris ea, quæ ex Atomis istis fiunt, attentius speculatur. Atque uti par fuit, primas detulit partes Animæ et Animo, de quibus hoc toto libro jam disputat. Hunc autem auspicatur librum ab Epicuri *laudibus, quem a v.* 1. *ad v.* 94. *prædicat primum docuisse non a Deo, sed ex fortuito Atomorum concursu Mundum hunc et omnia fuisse facta; atque inde hominum mentes Deorum, Mortis, et Pœnarum post mortem metu liberasse: hoc autem unus* Epicurus *fœliciter perfecit, quod alii Philosophi frustra conati sunt. Pauca hæc de* Epicuro *præfatus, docet a v.* 94. *ad v.* 137. *Animum et Animam partem esse hominis æque ac pedes, manus, brachia, caput, et reliqua membra, et non habitum vitalem totius corporis, seu omnium partium corporis intentionem, et concentum, quam quidam veteres Philosophi* Harmoniam *dixerunt. Ne vero minus distincte disputare videatur, dum vocibus* Animus *et* Anima *promiscue utitur, a v.* 138. *ad v.* 161. *docet* Animum *et* Animam *unam quidem rem esse,* Animum *vero præcipuam esse partem, et in Corde residere, quippe ibi metus, gaudium, et reliquæ passiones quæ Animum sequuntur, sese ostentant; dum* Anima, *in qua loco-motiva facultas unice sita est, per totum corpus dissita ad nutum* Animi *movetur. Inde a v.* 162. *ad v.* 177. *demonstrare conatur* Animi *et* Animæ *naturam esse Corpoream; Animus enim tangit Animam, quam movet, Anima autem Corpus; nullus vero, nisi inter Corpora, contactus. A v.* 178. *ad v.* 323. *docet Corporeum hunc Animum componi e seminibus minutissimis quidem, tenuissimis et maxime rotundis; et si rem ipsam spectemus, e Calore, Vento, seu Vapore, et Aëre, et alia insuper re, quæ ex tenuissimis, minutissimis, et maxime mobilibus seminibus constans, est* sensus *Principium et Origo: quo vero modo Calor, Ventus, Aër, et quarta illa res innominata misceantur, explicare se non posse liquido fatetur. A v.* 324. *ad v.* 350. *asserit Animam et Corpus ita conjuncta esse, ut sine utriusque pernicie separari non possunt: deinde a v.* 351. *ad v.* 370. *non solum Animum, sed etiam Corpus* sentire *affirmat, seu potius totum Animal, rem e Corpore et Anima compositam. Posthæc a v.* 371. *ad v.* 417. *refutat opinionem* Democriti, *qui singulas Animæ partes singulis Corporis partibus appositas et conjunctas esse docuit; et ut olim affirmasset Animum esse potiorem totius Compositi partem, sic ab* Animo *potius quam ab* Anima *vitam dependere, et salutem*

Animalis conservari asserit. Deinde a v. 418. *ad v.* 842. *Animos et Animas nasci et interire cum Corporibus viginti octo argumentis demonstrare conatur, et* Transmigrationem Pythagoræ *obiter deridet. Demum a v.* 842. *ad v.* 882. *Mortem nihil esse docet, cum post mortem nihil est mortali Animæ timendum, imo si Anima Immortalis (ut Platoni visum est) concedatur, Mortem tamen nihil esse, cum Anima separata non meminerit se unquam antea extitisse: proinde ad v.* 906. *ridet Hominum vanam de sepultura solicitudinem. Deinde demonstrat* Mortem *non esse Malum, quia mortui non indigent istis bonis quibus vivi gaudent, neque istis doloribus afficiuntur qui miseros mortales cruciant, ad v.* 943. *Vitam etiam ipsam non esse desiderabilem, quippe quæ nihil novi afferat, sed easdem semper voluptates usque ad nauseam subministrat, ad v.* 988. *Ne vero istæ fabulæ, quas Poetæ narrant, de Inferis et Pœnis post mortem terreant mortales, ad v.* 1036. *omnes illas commoda interpretatione elevat. Deinde usque ad finem hujus libri monet plerosque mortalium inepte et absurde de* Morte *queri, cum sapientissimi hominum, et potentissimi ducum et imperatorum vim diræ Necessitatis senserint. Docet ideo mortales vitam sollicitam et inquietam agere, quod hanc Mortis contemplationem refugiant, et inepte votis omnibus vitam expetere quam aliquando amissuri sunt, quæ nullam novam voluptatem afferat, innumeris vero doloribus et periculis obnoxia reddatur; præsertim cum vivendo nihil detrahunt de tempore Mortis, quæ omnes manet æterna.*

TAN. FABRI

IN

LIBRUM TERTIUM

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HIC vero ille Lucretii liber est qui, præter cæteros, cum delectu et acri quodam judicio legi debeat. Cum enim in eo corpoream esse animi nostri naturam demonstrare conetur Poëta, periculum fortasse fuerit, ne quidam nimium creduli, ad illius sese rationes adjungant; alii autem, dum ejusmodi doctrinam omnibus calculis damnandam existimabunt, ultro se tam præclari libri lectione privatum eant. Id ne fiat, non abs re fuerit meminisse, multos e veteribus ita existimare, Dæmonas in rerum corporearum numero habendos. Ex iis fuerunt non Porphyrius modo, in admirabili illa πραγματείᾳ περὶ ἀποχῆς, &c. sed et Plotinus et Jamblichus; ut e Nostris quoque Tertullianus, Basilius, Augustinus, ut ne recentiores appellemus. Hanc itaque de Angelis sententiam si Veteres illi impune secuti sunt, nihil, ut opinor, esse debet, quamobrem Lucretii opinione de animis corporeis tantopere offendamur; cum huc usque nil sit, quod audire sine offensione non possis. Sed utinam ibi stetisset Lucretius. Nam alii quidem animorum nostrorum, quos ejusdem cum dæmonibus naturæ esse putaverunt, immortalitatem tutabantur; et suum illis aut jus, aut Dei beneficium, servabant: at hic noster, ubi corporeæ naturæ animos hominum esse ostenderit, ibi strenue et incunctanter colliget, Fieri nulla ratione posse, ut ne illos interitus et dissipatio consequantur; quin et turpiter errare vulgus hominum asseret, qui religionibus attoniti, fracti et abjecti,

Æternas nigra pœnas in morte timendum

existimant. Saxa itaque et scopulos vides, Lector, a quibus longe longeque refugisse debes. Quamobrem diligenter faciendum erit, ut deserta tantisper Epicuri secta, ad rationem Platonicorum te conferas, qui animos nostros in immortalitatem asseruerunt. Sed

tutius multo, si, omissis fluctuantis Philosophiæ concertationibus, ad Eum recta transeas, qui rerum omnium Parentem, VIVENTIUM DEUM, NON AUTEM MORTUORUM ESSE, demonstravit. Alterum vero, mi Lector, quod ego ante oculos perpetuo habendum arbitror, hoc erit: animi nostri vel spirituales habeantur, vel corporei, si voles; illis certe Lucretii argumentis haud sane magnopere moveri debemus, cum nobis, qui Christiani sumus, planissime et ἀναμφιβόλως persuasum sit, fore etiam aliquando, ut hæc bruta corporis moles, quam nunc animus noster circumfert, ubi diuturno annorum curriculo computruerit, dein sparsa fuerit ac disjecta, denuo tamen coalescat, et ex aquis, aëre, terris collecta et conquisita, ad interminabilem sæculorum seriem perseveret. Probet igitur Lucretius quam lubebit, corpoream esse animorum naturam, atque adeo illos interitui obnoxios esse, nil ille profecto dixerit, quod hominem vere Christianum possit percellere; cum corporis nostri resurrectionem et immortalitatem præter universas Physiologiæ vulgaris, ac Chymiæ ipsius rationes (nam admirabilis illa *Operatio*, de qua et Quercetanus et alii, nil ad resurrectionem corporum facit) futuram credamus, quæ res, si non majorem, (quanquam majorem) parem certe in sese difficultatem habet. Hoc tantum addam, Tertulliani Tractatum, qui *de Anima* inscribitur, in primis facere ad hunc librum intelligendum: eum si leges, præstantissimum Viri Magni opus legeris. Sed tamen est aliud etiam tantillum quod te volebam: si quid a me ex mente Lucretii, vel in hocce libro dictum fuerit, vel in aliis, facito, quæso, ut memineris, *Actorem* esse me, non *Poetam*. Quidquid certe tale properanti exciderit, id ego omne pro indicto haberi volo: neque enim ea vitæ nostræ ratio est, ut, quem exitum Natura brutis animantibus esse voluit, eum nos libenter, ubi sejunctus a corpore animus fuerit, expectemus. Vale.

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

E Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ;
Te sequor, ô GRAIÆ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis,
5 Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo: Quid enim contendat Hirundo

INTERPRETATIO.

O Epicure, qui primus potuisti tam claram lucem e tam densis tenebris proferre, vitæ commoda illustrans, Te Græcorum decus, et ornamentum, sequor, et in tuis vestigiis meos pedes figo; non quod Tecum contendere velim, sed quod Tui observantissimus, Te imitari cupiam. Quid enim hirundo

NOTÆ.

1. *Tam clarum extollere lumen*] Id Græci dicunt αἶρειν πυρσὸν, et cum quid e speculis ea ratione significabant, id διὰ πυρσῶν, et παρὰ πυρσῶν nuntiari dicebatur. Hinc sumpta metaphora qua Lucretius usus est. *Faber*. Alloquitur autem, v. 30. Epicurum Atheniensem Philosophiæ Epicureæ Principem: invenit quidem Democritus, sed ita expolivit et perfecit Epicurus, ut Pater rerum et inventor a Lucretio haud absurde diceretur. Huic quidem fœlix ingenium gratulatur, beneficia agnoscit quæ contulit hominibus, dum naturam rerum explicavit, et omnem de Providentia opinionem et Terrores inde natos dispulit: idem denique asserit, quod L. Torquatus in Ciceronis prim. lib. de Fin. Ego arbitror Epicurum unum vidisse verum, maximisque erroribus hominum animos liberasse, et omnia tradidisse, quæ pertinerent ad bene beateque vivendum.

2. *Illustrans*] Qui extollit lumen, proculdubio illustrat: in versu sequenti pro *gentis decus, gentis dux*, Gassendus.

4. *Fixa*] Quidam ἀεχαϊκῶς, *ficta*, (nec enim Lambinus id negare debet quod Diomedes, aliique veteres grammatici asseruerunt) sed quod ejusdem significationis sit. *Faber*.

6. *Hirundo*] Cygnorum enim cantus admirantur omnes, qui ingratam hirundinum garrulitatem damnant;

Τί σοι θέλυς ποιήσω
Τί κωτίλη χελιδών; Anacr. Od. 12.

Ita enim legendum; non Τί σοι, λάλη χελιδών· Κώτιλος autem ἀπατηλὸς, ἀπατεὼν, δόλιος, λάλος· κωτίλη, λαλιστάτη. Hes.

Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus Hœdi
Consimile in cursu possint, ac fortis Equi vis?
Tu Pater, et rerum Inventor: tu patria nobis
10 Suppeditas præcepta, tuisque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.
Nam simul ac Ratio tua cœpit vociferari
15 Naturam rerum haud Divina mente coortam,
Diffugiunt Animi terrores; mœnia mundi
Discedunt, totum video per Inane geri res.
Apparet Divûm numen, sedesque quietæ:
Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
20 Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat; semperque innubilus æther
Integit, et large diffuso lumine ridet.
Omnia suppeditat porro Natura, neque ulla

cum cygnis certaret? aut quid hœdi tremulis membris debiles et infirmi præstare possunt in cursu, quod simile sit celeritati fortis equi? Tu es Pater, et Philosophiæ auctor, Tu, ut Pater natis suis, das optima præcepta, et ex tuis libris, (divine vir) ut apes in agris floriferis e floribus dulcia sua mella legunt, nos opiniones aureas colligimus, aureas inquam, et dignas ut in memoria semper habeantur. Namque ubi primum Philosophia tua perspicue docuit Universum non esse a Deo factum, terrores isti, qui mentem occupabant, fugiunt; mundi mœnia diducuntur, et per omne Inane spatium res nasci et interire video. Mentis meæ oculis Dii objiciuntur, et quietæ illorum sedes, quas neque venti quatiunt, neque nubes imbribus perfundunt, neque nix alba acri pruina concreta cadens violat, et quas purus semper, et sine nube æther tegit, et late diffusa ubique luce benigne aspicit, et fovet. Natura porro omnia illis Diis subministrat, nec ulla

NOTÆ.

7. *Artubus*] Alii, *artibus*, quod olim usurpare solebant, sed ego *artubus* prætulerim; cum sciam ab *artes* (τέχναι) dici *artitos*: ut *artitus* in Glossis Philoxeni vertitur πάντιχνος, δαίδαλος, sic ab *artus artutos*, id est *robustos* vocabant. Sunt tamen quibus hæc minus certa videantur, sed nihil ad Lucretium. *Faber*.

9. *Patria*] Modo dixerat Epicurum esse patrem et inventorem rerum.

11. *Limant*] Ita Lambinus e Codd. alii *libant*: quæ vox cum sequenti *depascimur* melius convenit.

15. *Haud Divina*] *Haud* abest ab omnibus libris, sed restituit, sententia ipsa postulante, Lambinus: conjicit etiam legendum, *Divum sine*.

Ibid. *Coortam*] Alii *coactam* malunt, quidam etiam libri *creatam* exhibent.

17. *Discedunt*] Longe latiora et ampliora fiunt; animus nullos fines habet quos intra coerceatur ut antea. *Faber*. Melius vero Lambinus, dividuntur et hiant; per diducta enim et hiantia mundi mœnia in magnum Inane prospicit. M. Tull. Off. 3. Cum Terra *discessisset* magnis quibusdam imbribus. Et Virgilius,

Video medium discedere *cœlum*.

18. *Apparet Divûm numen*] Sed cur *apparet Divum numen?* Scilicet, quæ ante Epicurum vulgus philosophorum sentiebat, ita ab eorum natura aliena erant, nihil ut de iis certi haberetur, &c. Fortasse etiam non minus recte dixeris, Apparet Numen Deorum quietum, (sequitur enim *sedesque quietæ*) ita ut ab iis nil male metuendum, cum jam molesta illa odiosaque providentia remota sit. Hæc Faber. Frigidas vero istas observationes respuit Poeta. *Apparet Divum Numen*, quoniam per hiantia Mundi mœnia in immensum Inane prospiciens non minus Deos, quam cæteras res vidit, v. 25.

—*Nusquam apparent Acherusia templa.*

21. *Innubilus*] Quidam Codd. *sine nubibus*; melius tamen *innubilus* leg. dum Homerus, e quo hi quatuor versus desumpti sunt, utitur voce ἀνέφελος, Odyss. Z.

23. *Omnia suppeditat—Natura*] Diis viz. sic lib. 1. v. 61.

Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.

Res animi pacem delibrat tempore in ullo.
At contra nusquam apparent Acherusia templa:
Nec Tellus obstat, quin omnia dispiciantur,
Sub pedibus quæcunque infra per Inane geruntur.
His tibi me rebus quædam divina Voluptas
Percipit, atque Horror, quod sic Natura tua vi
Tam manifesta patet ex omni parte retecta.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint; et quam variis distantia formis
Sponte sua volitent alterno percita motu,
Quoque modo possint ex his res quæque creari:
Hasce secundum res ANIMI natura videtur,
Atque ANIMÆ claranda meis jam versibus esse:
Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.
Nam, quod sæpe homines morbos magis esse timendos

unquam res tranquillitatem animi et otium diminuit. At contra nullibi Tartara, aut Inferi cernuntur; nec Terra impedit quo minus omnia ista, quæ infra sub pedibus nostris in Inani spatio fiunt, contemplare possimus. Dum hæc contempler maxima voluptas me invadit, et ingens admiratio, quod Tui ingenii viribus tota ex omni parte natura tam clare et dilucide explicatur. Et quoniam docui qualia sunt cunctarum rerum principia, et quam diversis variisque figuris differentia sponte sua moveantur, mutuis plagis agitata, et quo modo res cunctæ ex iis constitui et componi possint; post hæc Animi et Animæ *natura videtur meis carminibus declaranda, et prorsus expellendus est ille metus Acheruntis (pœnarum post mortem) qui vitam humanam ab imo turbat, mortis nigrore omnia suffundens neque permittit ullas vitæ voluptates liquidas purasque remanere. Nam quod nonnulli crepant infamem vitam aut morbos magis timendos*

NOTÆ.

24. *Delibrat*] Quasi *decorticat*, et *extenuat*; Lambinus: alii *delibat*, quos sequor.

26. *Nec tellus obstat*] Ratio enim omnia obstantia pervadit. *Faber*.

28. *His tibi me rebus, &c.*] Istud *tibi*, ut σοὶ, σὶ, *me, te*, passim apud Græcos, passim apud Latinos, παρίλλαξον est: *Faber*. Lucretius, lib. 2. v. 1037.

Quem Tibi *jam nemo fessus satiate videndi, &c.*

His ubi, Gifanius, et interpretatur *ubi* in qua re, in qua ratione, præceptis, via, philosophia; imperite. Fayus vero, *ubi*, postquam, cum, quoniam, relative ad vocem *quoniam*, v. 31. Lambinus legit *Tibi* sup. *fateor*. Quæ demonstrant sacrificulum istum ne legere quidem Lambinum potuisse.

29. *Percipit*] Alii, *Perciit*. Quidam legunt,

—*Quod sit Natura tua vi*
Tam manifesta patens ex omni parte retorta.

Retorta autem est evoluta, quæ prius quasi contorta, et involuta videbatur.

31. *Et quoniam docui*] In primo et secundo libro multa de seminibus ipsis, de eorum figuris et motibus: jam, v. 10. accuratam de *anima* disputationem promittit, ut homines metu mortis, et pœnarum post mortem liberaret.

33. *Alterno*] Leg. *æterno*: quomodo enim semina *alterno* motu percita *sponte sua* volitarent? Lib. 2. v. 1054. et lib. 4. v. 28. ubi hi versus repetuntur.

35. *Secundum*] Post; ἑπομένως τούτοις, ἑξῆς. *Faber*.

36. *Claranda*] Lib. 4. v. 779, 780.

Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum 'st.

39. *Omnia suffundens mortis nigrore*] Quibus nemo unquam aliquid venustius: omnia quæcunque alii protulerunt excutias, nunquam pulchrior imago.

41. *Nam, quod sæpe homines, &c.*] Dicat forsan aliquis, idem alios philosophos præstitisse quod Lucretius promittit, nec

Infamemque ferunt vitam, quam Tartara lethi,
Et se scire Animi naturam sanguinis esse,
Nec prorsum quicquam nostræ Rationis egere:
45 Hinc licet advertas animum, magis omnia Laudis,
Aut etiam Venti, si fert ita forte voluntas,
Jactari causa, quam quod res ipsa probetur:
Extorres iidem patria, longeque fugati
Conspectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
50 Omnibus ærumnis affecti denique vivunt;
Et quocunque tamen miseri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, et Manibu' divis
Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad Relligionem.
55 Quo magis in dubiis hominem spectare periclis

esse quam mortem, et se scire animam nihil esse præter sanguinem, nec se nostræ Philosophiæ ope et auxilio ullatenus indigere: hinc cognoscere possis et recte colligere, hæc omnia ab illis jactari magis laudis acquirendæ, aut auræ popularis (si istam appetendi libido est) gratia, quam quod ipsi credant. Iidem enim, qui hæc jactant in exilium acti, a patria sua e hominum conspectu longe fugati, infami crimine inquinati, denique omnibus miseriis et molestiis oppressi, tamen vivunt: *in quemcunque locum venerint miseri persolvunt justa mortuis, mactant nigras pecudes, Diis manibus mittunt inferias, et cum res adversæ premant, vehementius mentes suas ad religionem applicant. Quapropter si Animum hominis velis perspicere,*

NOTÆ.

solum Epicurum metum istum Acheruntis præcipitem egisse, cum plurimi docuerint animas interire, nullasque post mortem pœnas timendas esse; Empedocles, v. g. dixit animam esse cordi suffusum sanguinem: atque ideo Epicurum non tantas mereri laudes, nec Lucretium majus beneficium conferre mortalibus, quam alii olim contulerint. Respondet Poeta, v. 14. Omnes istos philosophos fortia quidem verba loqui, sed mortem timere æque ac vulgus hominum: inter dolores, infamiam, angustias, vitam tolerant; et cum periculis, morbis, &c. premantur, nunquam invenies magis humiles animos, aut superstitioni magis obnoxios.

43. *Et se scire Animi, &c.*] Duos hosce versus delet Faber; quia primum nihil opus illis est; dein quænam isthæc Latinitas, *Natura animi est sanguinis?* Iste autem versus,

Nec prorsum quicquam nostræ rationis egere;

quid boni tandem habet? Hinc discimus rem profecto mirabilem, bellam, et elegantiæ Lucretianæ! viz. Animum nostrum non egere nostra ratione. Admirabilem profecto rem! quasi *ratio* apud Lucretium non sit *philosophia*, et vox ista *se* in priori versu cum *egere* in hoc versu minus conveniat. Leg. autem,

Et se scire animi naturam sanguini inesse.

Et tum sententiam Empedoclis, qui dixit animum esse cordi suffusum sanguinem, Cicero, 1. Tusc. Quæst. non inepte adumbratam assero. Quis etiam nescit Lucretium, licet carmina Empedoclis admiratus sit, opiniones tamen illius ubique convellere?

46. *Si fert ita forte voluntas*] Quidam, *fera voluntas;* unde Palmerius, *sera voluntas*, i. e. stulta, sinistra, turpis: Gifanius *fera* retinet, de metro minime solicitus: *Dira* scribit Faber: dum alii *corde* reponunt ex Virgilio, lib. 6. Æneid.

—*Si fert ita* corde *voluntas.*

An vero hæc verba illos spectant qui laudem istam aut auram popularem ambiunt, an subjungenda sint,

Hinc licet advertas animum; alii disputent.

51. *Parentant*] Mortuis sacra faciunt, ideoque animas post mortem superesse credunt: itaque nugæ, fumi, quicquid isti gloriosuli vulgo prædicant; quid enim verba audimus cum facta videamus?

52. *Et Manibu'*] Alii, *Quas manibus.*

55. Alios Philosophos, quos tanquam Epicuri æmulos sectatores sui prædicabant, rejecit, quoniam illorum dogmata metum mortis non penitus abstulerant. Deinde,

Convenit, adversisque in rebus noscere qui sit:
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, et eripitur Persona, manet Res.
Denique Avarities, et Honorum cæca cupido,
60 Quæ miseros homines cogunt transcendere fineis
Juris, et interdum socios scelerum, atque ministros
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergĕre opeis; hæc vulnerà vitæ
Non minimam partem Mortis formidine aluntur;
65 Turpis enim Fama, et Contemptus, et acris Egestas
Semota ab dulci Vita stabilique videntur,
Et quasi jam Lethi portas cunctarier ante:
Unde homines, dum se falso terrore coacti
Refugisse volunt longe, longeque recesse,
70 Sanguine civili rem conflant; divitiasque
Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes.
Crudeles gaudent in tristi funere Fratris:
Et Consanguineûm mensas odere, timentque.

et qualis sit penitus cognoscere, illum periculis cinctum, et adversis rebus oppressum contemplare; tum enim vera verba e profundo pectore emittuntur, larva detrahitur, et res manet. Deinde Avaritia, et Honorum impotens cupido, quæ miseros mortales cogunt terminos æquitatis transgredi, et aliquando socios et ministros scelerum noctes et dies maximo labore conari ut maximas divitias assequantur; hæ inquam pestes et vitæ humanæ labes maxima ex parte Metu Mortis nutriuntur, turpis enim ignominia, et acerba paupertas a dulci et stabili vita longe abesse videntur, et veluti ante mortis januam cunctari (morti esse proxima): unde Homines dum falsis terroribus impulsi cupiunt procul se removere, et stationem suam ab hac janua Mortis longe ponere, cæde civium sibi opes comparant, divitias avari augent, cædem cædi accumulantes: in tristi funere fratrum crudeles gaudent, cognatorum mensas oderunt, et metuunt.

NOTÆ.

4. v. addit minime credendum esse istis, qui lætis rebus florentes magnifice loquuntur, spectandi autem sunt homines periculis cincti et miseriis oppressi; si tum se fortes præstent, tum fatendum est illis Philosophiam profuisse.

58. *Ejiciuntur*] Sic jacere, rejectare, et mittere vocem, Lucretius: alii tamen e codd. *eliciuntur*.

59. *Denique Avarities, &c.*] Versus 28. qui mox legentur, ab homine rerum Ethicarum perite non possunt satis legi, relegi, tanta in iis vis boni reperitur: certum enim est Mortis formidinem, Avaritiæ, Perfidiæ, Ambitionis, Crudelitatis, Invidiæ, Desperationis, &c. fontem esse. *Faber*. Et hinc oritur magna Epicuri gloria, qui præceptis suis metum mortis, e quo tot mala fluunt et derivantur, fugat.

62. *Præstante*] Sic lib. 2. v. 12. Alii codd. *Perstante*; id est, assiduo, improbo, et pertinaci.

64. *Non minimam partem*] Sic lib. 6. v. 1247. Et Cæsar, lib. 4. de Bell. Gall. *Non multum frumento, sed maximam partem lacte vivunt*.

65. *Turpis enim fama, &c.*] Quidam codd. *Turpis enim ferme*; unde alii scribunt, *Turpis enim formæ*; alii, *turpis enim famæ*: at codicibus istis et conjecturis melius Lambini judicium, qui edidit, *turpis enim fama, &c.* Epicuri autem præceptum fuit, εὐδαιμονίας ἕνεκα τοῦτον προσεῖναι, ἵν' ἴσον μὴ καταφρονεῖσθαι.

68, 69. *Dum se—refugisse*] Alii codd. *effugisse*, et pro *recesse*, *remasse*, pro remeavisse, vel *remosse*, vel *remanse*. *Me* autem, et *te*, et *se*, veteres usurpabant in modo infinitivo παρειλκόντως. *Omnes homines qui sese student præstare aliis animalibus*. Salust. Istud *sese* poterat abesse: *Faber*. Terentius in Andria, *Quæ se inhoneste optavit parare divitias potius, quam in patria honeste pauper vivere*.

Consimili ratione ab eodem sæpe timore
75 Macerat invidia: ante oculos illum esse potentem,
Illum aspectari, claroque incedere honore;
Ipsi se in tenebris volvi, cœnoque queruntur:
Intereunt partim statuarum, et nominis ergo:
Et sæpe usque adeo, Mortis formidine, vitæ
80 Percipit humanos odium, lucisque videndæ,
Ut sibi consciscant mœrenti pectore Lethum,
Obliti fontem curarum hunc esse Timorem,
Hunc vexare pudorem, Hunc vincula amicitiaï
Rumpere, et in summa pietatem evertere fundo.
85 Nam jam sæpe homines patriam, carosque parenteis
Prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes.
Nam veluti Pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic Nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis quam
90 Quæ Pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse 'st
Non radii solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque.
Primum ANIMUM dico (mentem quem sæpe vocamus)

Similiter ab eodem mortis metu sæpe fit quod homines invidia macerat, cum quærantur illum esse potentia spectabilem, illum spectari, et dignitate insignem magna pompa undique cinctum incedere; dum ipsi in tenebris et luto (in infima conditione) volvuntur: et seipsos macerando enecant ut famam sibi et statuas compararent: et sæpe metu mortis tantum odium vitæ et lucis videndæ hominum animos occupavit, ut dolenti corde sibi ipsis mortem consciscant, obliti omnes suas curas ab hoc metu derivari; obliti etiam hunc metum pudorem violare, nexus amicitiæ perfringere, summatim, omnem pietatem penitus enervare et evertere; frequenter enim homines patriam carosque parentes prodiderunt metu mortis, vel ut mortem et inferos vitarent. Nam ut pueri trepidant, et omnia metuunt in tenebris, sic nos in luce timemus illa etiam, quæ interdum non sunt magis metuenda, quam quæ pueri in tenebris metuunt, et imaginantur futura. Hos igitur terrores tenebrasque quæ mentem obsident, non radii solis, aut diei splendor dissipabit, sed contemplatio vel cognitio naturæ et vera Philosophia. Primum igitur assero Animum (quam frequenter appellamus mentem)

NOTÆ.

76. *Claroque incedere honore*] Alii *clarus qui incedit honore*; alii, *claro qui incendit honore*. Fayum vide, lector, et ridebis.

78. *Statuarum*] In quibusdam codd. *Statuaï*. Alii, *Intereuntes fastus tantum*, vel *intereuntque potentatus*.

79, 80. *Vitæ percipit humanos odium*. Ita Terentius in Eun. *Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit*. Plautus in Truculento: *si bene facere incœpit, ejus eum cito odium percipit*. Lucretius supra, v. 28.

His tibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit. Ubi tamen alii legunt, *perciit*. Pro *humanos*, Gassendus legit, *ingratos*.

84. *Pietatem evertere fundo*] Nonnulli, *suadet*: improbe. *Funditus*, Gifanius: sed *fundo* agnoscit Virgilius, Æneid. 10. v. 88.

Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur?

87. *Nam veluti, &c.*] Hi 7. v. leguntur, lib. 2. v. 54. et lib. 6. v. 34.

94. *Primum animum dico, &c.*] Veteres quidam Philosophi, inter quos Aristoxenus, docuerunt, Animum esse Habitum vitalem Corporis, qualis sit *valetudo* in homine valente. Cicero, 1. Tuscul. *Aristoxenus Musicus idemque Philosophus, Animum esse censet ipsius Corporis intentionem quandam, velut in cantu et fidibus, quæ Harmonia dicitur; sic ex Corporis totius natura et figura varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit, et tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multo ante et dictum, et explanatum a Platone.*

95 In quo consilium vitæ, regimenque locatum 'st,
Esse hominis Partem nihilo minus, ac Manus, et Pes,
Atque Oculi partes animantis totius extant.
Quamvis multa quidem Sapientum turba putârunt
Sensum animi certa non esse in parte locatum;
100 Verum Habitum quendam vitalem corporis esse,
Harmoniam Graii quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum sensu, nulla cum in parte siet Mens:
Ut bona sæpe Valetudo cum dicitur esse
Corporis, et non est tamen hæc pars ulla Valentis;
105 Sic Animi sensum non certa parte reponunt:
Magnopere in quo mî diversi errare videntur.
Sæpe utique in promptu Corpus, quod cernitur, ægrit,
Cum tamen ex alia lætamur parte latenti;
Et retro fit, uti contra sit sæpe vicissim,
110 Cum miser ex animo, lætatur Corpore toto:
Non alio pacto, quam si Pes cum dolet ægri,
In nullo Caput interea sit forte dolore.
Præterea molli somno cum dedita membra,

in quo consilium et regimen vitæ situm est (cujus imperio vivimus), esse partem hominis æque ac manus, et pes, atque oculi sunt partes integri Animalis: quamvis multi inter Philosophos crediderint Animi sensum (Animum) non esse situm in una certa parte hominis, sed esse Habitum quendam vitalem totius corporis, quem Græci dicunt Harmoniam; quoniam nos vivere et sentire faciat, cum Mens non sit in ulla parte Corporis: ut cum bona valetudo sæpe dicitur esse Corporis valetudo, interim tamen illa non sit aliqua pars corporis valentis; similiter, Animi sensum illi in aliqua certa parte non collocant; qua opinione mihi videntur a veritate longissime recedere. Frequenter enim Corpus, quod nostris oculis subjicitur, dolore afficitur, interim tamen ex aliqua latenti parte lætamur, et e contra frequenter vice versa accidit, ut homo mente æger, nihil doloris in toto Corpore sentiret; eodem prorsus modo, ac cum pede ægri dolente caput interea nulla molestia afficiatur. Præterea cum membra Corporis molli somno dedita sunt,

NOTÆ.

Ut in Phædone, ubi hæc leguntur. *Καὶ γὰρ ὦ Σώκρατες, οἶμαι ἴγωγε καὶ αὐτόν σε τοῦτο ἐνθυμῆσθαι, ὅτι ταῦτό τι μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐνεστηκέναι τοῦ σώματος ἡμῶν, καὶ συνεχομένην ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, καὶ ξηροῦ, καὶ ὑγροῦ, τοιούτων τινῶν κρᾶσιν εἶναι, καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων καὶ ψυχὴν ἡμῶν, ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς καὶ μετρίως κρασθῇ πρὸς ἄλληλα.* Quamvis aliud Aristoxenus, aliud Plato videtur docuisse. Lactantius, 7. Instit. *Sicut in fidibus ex intentione nervorum efficitur concors sonus, atque cantus quem Musici Harmoniam vocant, ita in corporibus et compage viscerum, ac vigore sensuum, vis sentiendi existit.* Hanc opinionem Poeta primo, v. 19. explicat et evertit: quippe qui Corpore aliquando dolet, Animo lætatur, et qui nihil doloris in Corpore sentit, Animo miserrime cruciatur; Anima igitur non est totius Corporis intentio et concentus, sed pars Hominis a Corpore distincta, non minus quam pes, manus, caput, &c. sunt partes humani corporis a se invicem distinctæ.

94. *Quem*] *Quam*, alii, veteris grammatici autoritate; et v. 98. pro *putârunt*, Gifanius, *putârit*.

100. *Vitalem*] Gassendus, *totius*.

102. *Cum sensu*] Ita Codd. et recte. Tacere tamen non possum mihi aliquando placuisse *concentu*, ista enim vox voci *harmonia* non absona videbatur.

107. *Ægrit*] Ita veteres, ut et *Ægret*. Gifanius tamen et alii, *ægrum est*. Recte autem illi faciunt, qui v. 108. retinent *latenti*, et rejiciunt *valenti*: an vero *ubi* vel *uti* legi debeat in sequenti versu litigent interpretes. Suumque *labore*, v. 112. retineat Fayus, dum alii, *dolore* præferunt.

113. *Præterea molli, &c.*] Aliud argumentum priori simile, v. 5. proponit. Somno relaxentur membra, nulla sit intentio

Effusumque jacet sine sensu Corpus onustum:
115 Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur, et omneis accipit in se
Lætitiæ motus, et curas cordis inaneis.
Nunc Animam quoque ut in membris cognoscere possis
Esse, neque Harmoniam corpus retinere solere:
120 Principio fit, uti detracto Corpore multo,
Sæpe tamen nobis in membris Vita moretur.
Atque eadem rursus cum corpora pauca caloris
Diffugere, forasque per os est editus aër,
Deserit extemplo venas, atque ossa relinquit:
125 Noscere ut hinc possis, non æquas omnia parteis
Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem;
Sed magis hæc, Venti quæ sunt, calidique Vaporis
Semina, curare in membris ut Vita moretur.
Est igitur Calor, ac Ventus vitalis in ipso
130 Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.
Quapropter, quoniam 'st Animi natura reperta,

totumque Corpus sopore gravatum jacet solutum, et sine sensu; aliquid tamen in nobis est, quod illo ipso tempore multis modis agitatur, quod capax est, atque in se recipit omnes gaudii motus, vanos etiam metus, atque animi anxietates. Deinde ut certus esse possis Animum esse in membris, cum Harmonia tamen (seu intentio et consensus membrorum) non Corpori inesset; primum observandum est, quod amputatis multis partibus Corporis vita tamen in reliquis membris integra maneat: eadem autem vita, cum paucæ Caloris particulæ diffugerint, et per os aër expiretur, protinus venas deserit, et relinquit ossa: atque hinc colligere potes, Omnes materiæ particulas non ejusdem conditionis esse (non æqualia munera agere), aut vitam æqualiter sustinere; sed ista Venti et calidi Vaporis principia magis facere, ut vita in membris maneat: Calor igitur et Ventus vitalis est in ipso Corpore, qui nostra, cum morituri simus, membra deserit. Quapropter cum inventum sit Animum (aut Animam)

NOTÆ.

membrorum, nullus sit viscerum concentus, sed effusa jaceant omnia et languida, interim tamen variis insomniis aliquid quod ad Hominem pertinet agitatur, dolet, gaudet, &c. hoc autem quod sentit est Animus: Animus igitur non est Corporis Harmonia, relaxato enim somno Corpore, ut in fide laxatis nervis, nulla fit Harmonia.

114. *Onustum*] Alii cibo aut potu, alii cura, vel labore, ego mallem somno; sic *sopor gravissimus*, v. 953. lib. 4. In versu sequenti pro *aliud* apud plures *aliquid*.

118. *Nunc Animam quoque, &c.*] Tertium argumentum, quo probatur Animum non esse Corporis Harmoniam, v. 13. sic se habet. Ut in fidibus, detractis quibusdam nervis, totus perit concentus, sic, abscissis quibusdam membris, tota totius Corporis Harmonia interiret, nulla itaque vita foret, nullus sensus. At homines membra mutilos et vivere et sentire, non est quod quis dubitet. Licet autem, detractis multis membris, integra maneat vita, et sensus integer; si tamen quædam Caloris et Aëris particulæ e Corpore diffugiant, corruit animal, nulla relinquitur aut vita, aut sentiendi vis. E quibus conficitur, vitam et sensum non ex intentione omnium membrorum, nervorum, et viscerum oriri, sed ab istis Caloris et Aëris particulis dependere.

Ibid. *In membris*] In numero membrorum, Lambinus, et post illum alii: at hic *in membris* idem sonat quod in v. 121.

125. *Æquas—parteis*] Animæ viz. Lambinus et alii: diversam interpretationem sequutus sum.

130. *Moribundos*] *Moribundis*; Faber.

131. *Quapropter, quoniam 'st, &c.*] Disputationem de Harmonia v. 6. cum scommate, ut erat pronus ad scommata, concludit: habeant igitur sibi boni isti et faceti musici Harmoniam istam, vocem inepte fictam, et ineptius applicatam; quid enim in istorum nugis refutandis diutius immorarer?

Atque Animæ, quasi pars Hominis: redde Harmoniaï
Nomen ab organico saltu delatum Heliconis,
Sive aliunde ipsi porro traxere; et in illam
135 Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat,
Quicquid id est, habeant: Tu cætera percipe dicta.
Nunc Animum, atque Animam dico conjuncta teneri

esse hominis partem, redde nomen harmoniæ delatum ab organico saltu Heliconis, seu aliunde a Philosophis translatum, et derivatum ab illis in rem istam, quæ tum temporis proprio nomine carebat; utcunque illud sit, unde istam vocem transtulerunt parvi est, recipiant iterum et fruantur: Tu vero quæ dicturus sum percipe. Jam itaque affirmo Animum et Animam inter se conjuncta esse,

NOTÆ.

133. *Ab organico saltu delatum Heliconis*] Cur *Harmoniæ nomen ab Heliconis organico saltu delatum* dicat Lucretius? Id vero unum est quod mihi nunquam placere potuit, quippe qui *montem organicum* seu *musicum* (nam organici, haud dubie musici dicuntur, ut ex ipsomet Lucretio alibi constat), montem inquam musicum, non magis quam grammaticum, aut dialecticum dici posse putem: inde adeo factum est ut semper legerim, neque adhuc scripsisse Lucretium aliter arbitrer,

Nomen ab organico cantu ductum citheraï.

sed cum ex *citheraï*, id est *citharæ*, librarii τὸ Cithæronis fecissent, facile fuit doctis, qui vitium in metro animadverterint, eam vocem mutare in τὸ Heliconis, ut laboranti versui subveniretur: cætera autem, uti et corrupti carminis ratio postulabat, pro captu cujusque mutata, versa, interpolata fuerunt. Quod autem addit Lucretius,

Sive aliunde *ipsi porro traxere*—

Non temere factum, cum *harmonia* sumatur etiam pro junctura, seu compage ligni, vel solidioris alicujus materiæ. Inde apud Aristophanem ἁρμονῶν διαχαρακτῶν; inde et Hesychius in quodam loco veteris scriptoris, quem ipse quidem non nominat, sed nos Herodotum esse scimus, ἁρμονίαν interpretatur σύζευξιν, seu conjunctionem: hæc Faber, cujus ingenio plurima indulgerem, si sibi ipsi imperare potuisset. Saltum Heliconis non absurde dici, probari potest ex Manilio ejusdem fere ætatis scriptore,

—*Primusque novis Helicona movere*
Cantibus, et viridi nutantes vertice sylvas.

Astronomicon lib. 1. Illum saltum dici posse *organicum*, utpote Musarum, carminumque plenum nemo dubitabit, qui meminerit eum toties a poetis *vocalem* fuisse dictum. Est tamen qui legit,

Ad organicos ulto delatum Helicone;

Et pro *traxere* in sequenti versu *texere*.

135. *Proprio quæ tum res nomine egebat*] Miror, nam ante *harmoniam* usitata nomina erant θυμὸς, ψυχὴ, νοῦς; sed de θυμὸς propter πολυνομασίαν est qui contradicere, quanquam frustra, possit; de νοῦς dixerit aliquis esse actionem non facultatem; at de ψυχὴ non video qui contra stari possit, nam quod ψυχὴ aliquando pro sanguine positum legimus (quippe locus est ad rem in Nebulis Aristophanis, ubi cimices, quos Corinthios vocat, τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν), id ita intelligi debet ut orientales vulgo sentiebant, qui sedem Animæ in sanguine ponebant. Hæc item Faber, qui labori suo parcere potuisset, si hæc omnia esse scommatum plena percepisset.

137. *Nunc Animum, atque Animam, &c.*] Vocibus *Anima* et *Animus* indiscriminatim usus est Lucretius, et quidni id faceret, cum *Animus* et *Anima* unam tantum naturam constituant? Animus autem in quo ratio sita est, istius naturæ præcipua pars in corde situs est, ubi omnes passiones sedes suas habent, et sese ostentant: τὸ δὲ λογικὸν ἐν θώρακι, ὡς δῆλον ἐκ τοῦ φόβου, ᾗ τῆς χαρᾶς. Diogenes Laertius. Docet etiam Epicurus, τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις esse. Plutarchus de Pl. Phil. Anima vero hujus naturæ pars inferior in qua facultas loco-motiva præcipue sita est, per totum corpus diffusa est, et ad nutum Animi movetur. Licet tamen illi obsequatur, non omnes illius affectiones sentit, sed vehementes tantum; hinc dolore et tristitia Animus afficitur, cum tranquillam ætatem Anima agat: at si magno dolore tota Anima commovetur, deliquium patitur animal, nec in tuto ipsa vita est. Unde certum est Animum esse Animæ conjunctum, quoniam movet Animam et ab illo impulsa Anima Corpus etiam propellit. Hæc omnia, v. 25. Pro *conjuncta* quidam codd. *convincta*. Δημόκριτος, Ἐπίκουρος, διμερῆ τὴν ψυχὴν, τὸ μὲν λογικὸν ἔχουσαν ἐν τῷ θώρακι καθιδρυμένον, τὸ δὲ ἄλογον καθ' ὅλην τὴν σύγκρισιν τοῦ σώματος διεσπαρμένον. Plutarchus Placit. Phil. lib. 4. c. 4.

Inter se, atque unam naturam conficere ex se;
Sed Caput esse quasi, et dominari in corpore toto
140 Consilium, quod nos Animum, Mentemque vocamus:
Idque situm media regione in pectoris hæret.
Hic exsultat enim Pavor, ac Metus: hæc loca circum
Lætitiæ mulcent: hîc ergo Mens Animusque 'st.
Cætera pars Animæ per totum dissita corpus
145 Paret; et ad numen Mentis, momenque movetur:
Idque sibi solum per se sapit, et sibi gaudet;
Cum neque res Animam, neque Corpus commovet ulla.
Et quasi cum Caput aut Oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
150 Corpore: sic Animus nonnunquam læditur ipse,
Lætitiaque viget, cum cætera pars Animaï
Per membra, atque artus nulla novitate cietur.
Verum ubi vehementi magis est commota metu Mens,
Consentire Animam totam per membra videmus;
155 Sudores itaque et pallorem existere toto
Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.
Denique concidere ex Animi terrore videmus
Sæpe homines, facile ut quivis hinc noscere possit,
160 Esse Animam cum Animo conjunctam; quæ cum Animi vi
Percussa 'st, exin corpus propellit, et icit.

et unam tantum rem componere; at partem rationalem, quam nos Mentem seu Animum nominamus, præcipuam et principalem esse, et in toto Corpore dominari: dicimus insuper Mentem istam seu Animum in media regione pectoris sedem suam habere; in ista enim media pectoris regione pavor et metus palpitant, eadem etiam regio gaudio mulcetur; in ista igitur regione Mens aut Animus collocatur. Reliqua pars Animæ per totum Corpus diffusa Animo obsequitur, et ad illius nutum movetur. Ista autem pars rationalis, seu Mens, sola et per se sapit, sola etiam et per se gaudium percipit, cum nulla res aut Animam, aut Corpus moveat. Et veluti cum caput aut oculus dolore aliquo afficitur et cruciatur, cruciatus istos in omni corporis parte non sentimus; sic aliquando ipse Animus dolore afficitur, aut gaudium percipit, cum reliqua Animæ pars per membra et artus diffusa nullo novo motu (neque grato, neque ingrato motu), agitatur: at cum Mens metu vehementi concussa sit, videmus totam Animam per omnia membra sitam pariter affici; sudores ex omni membro prorumpere, totum Corpus pallescere, titubare linguam, vocem intercludi, oculos tenebris obduci, aures tinnire, omnes artus debiles fieri et collabi. Denique frequenter videmus homines subito aliquo terrore, qui mentem unice afficit, perculsos in terram prosterni, ut inde quilibet scire possit Animam esse Animo unitam, quæ cum impetu Animi commota sit, percellit ipsum Corpus, et propellit.

NOTÆ.

156. *Vocemque aboriri*] Ita codd. Aboriri vero proprie abortum facere; *Nonius*: eaque voce utitur Arnobius Lucretianarum vocum conservator, lib. 3. adv. Gentes. *Et quoniam quædam sunt fœminarum generis propria, sequitur ut eas* (Deas viz.) *quoque credamus circumactis persolvere suas mensibus leges, fastidiosos ducere, atque habere conceptus*, aboriri, *perferre*, &c. Aliquando tamen legi, *aboleri*.

157. *Sonere*] Ita Accius:
Atque adeo valvas sonere *sensi regias.*
Ennius:
Tum clypei resonunt, *et ferri stridet acumen.*
Lucretius infra, v. 886.
Scire licet non sincerum sonere—

161. *Exin*] Seu *exhinc* legi potest, nullo vero modo *extra*.

Hæc eadem ratio naturam Animi, atque Animaï
Corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,
Conripere ex somno corpus, mutareque voltum,
165 Atque hominem totum regere ac versare videtur
(Quorum nil fieri sine tactu posse videmus:
Nec tactum porro sine Corpore); nonne fatendum 'st
Corporea natura Animum constare, Animamque?
Præterea pariter fungi cum Corpore, et una
170 Consentire Animum nobis in corpore cernis,
Si minus offendit vitam vis horrida teli
Ossibus ac nervis disclusis intus adacta:
Attamen insequitur languor, terræque petitus
Suavis, et in terra Mentis qui gignitur æstus,

Jam vero hoc idem argumentum demonstrat naturam Animi atque Animæ esse Corpoream; cum enim videmus Animum et Animam membra propellere, Corpus e somno excitare, vultum mutare, totumque hominem regere et versare (quæ omnia solo tactu fieri possunt, nullus autem tactus sine Corpore), nonne concedendum est Animam et Animum Corporea natura constare? Præterea videt Animum una cum Corpore pati, et vi aliqua Corpori illata affici: si telum impetu aliquo intus adactum discerpat nervos, et disjungat ossa, non vero ipsam vitam tollat, languor tamen insequitur, placens terræ appetitio, et mentis æstus qui in terra gignitur,

NOTÆ.

162. *Hæc eadem ratio, &c.*] Eodem argumento probat, v. 7. Animum et Animam esse Corporeæ naturæ: dum Animus movet Animam, illam tangat necesse est, dum Anima Corpus propellit, ibi etiam contactus; at

Tangere et tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Hoc, et quod proxime sequitur argumentum his verbis ipse Epicurus complectitur; *οἱ λέγοντες ἀσώματον εἶναι τὴν ψυχὴν ματαιάζουσιν, οὐδὲν γὰρ ἂν ἐδύνατο ποιεῖν, ὅτι πάσχειν, ἢ ἦν τοιαύτη· νῦν δ' ἐναργῶς ἀμφότερα ταῦτα συμπλάνει περὶ τὴν ψυχὴν τὰ συμπτώματα.*

164. *Corripere ex somno*] Iste versus mihi nunquam placuit, et si codices permitterent, rejicerem.

169. *Præterea pariter fungi, &c.*] Aliud, v. 9. continetur argumentum; cum Corpore patitur Animus, alteri infligas vulnus, et languet alter; sive autem telum, sive Corpus læsum hos motus et perturbationes in Animo excitaret, perinde est, utrumque enim Animum Corporeæ naturæ esse probat.

169. *Fungi*] Pati; sic lib. 1. v. 444.

At facere et fungi *sine Corpore nulla potest res.*

171. *Teli*] Alii, *lethi;* præfero *teli* ex v. 177. Hunc et quatuor sequentes versus suppositiitios esse et Lucretio indignos suspicatur Lambinus, illiusque suspicionem vir maximi judicii Gassendus approbat, cujus sententiam mille Gifaniis et Pareis libenter præfero. Faber illustrare, et corrigere conatur:

In terra mentis qui gignitur æstus,

v. 174. mutat in,

Interdum moriendi gignitur æstus.

Deinde addit; Hoc quid sit nôrunt optime, qui Lipothymiam ex animi anxietate aliquando passi sunt; tunc enim non sine aliquo jucunditatis et suavitatis sensu *terram succidui petimus*, et interdum *mori lubet*, interdumque voluntas incerta fluctuat inter vivendi moriendive consilium. Cæterum *moriendi æstus* erit moriendi impetus, certum consilium, &c. Qui paulo tristiores sunt vel a natura, vel ab ærumnis, hæc, opinor, probabunt, neque fortasse alii improbabunt. Ego quidem et a natura, et ab ærumnis paulo tristior, hæc tamen improbo. Perturbationes motusque Animi in Corpore vulnerato describit Poeta; ad primum ictum collabitur, dum humi jacet novos sentit motus, interdumque subit voluntas, ea autem non certa satis et confirmata, a terra surgendi. Hæc omnia vulnerati sentiunt, et quæ isti experti sunt quidni narret Lucretius? *Mentis in terra* igitur interpretor,

Animi una cum Corpore vulnerato humi jacentis.

Alii tamen legunt, *inter mærentes;* alii, *inter lamentas. Lamentas* autem pro Lamentationes, Pacuv. Harmonia; *Nonius.*

175 Interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam Animi esse necesse 'st;
Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.
Is tibi nunc Animus quali sit corpore, et unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
180 Principio esse aio persubtilem atque minutis
Perquam Corporibus factum constare: id ita esse,
Hinc licet advertas animum, ut pernoscere possis;
Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam si Mens fieri proponit, et inchoat ipsa:
185 Ocius ergo Animus, quam res se perciet ulla,
Ante oculos quarum in promptu natura videtur.
At quod mobile tantopere 'st, constare rotundis
Perquam seminibus debet, perquamque minutis:
Momine uti parvo possint impulsa moveri.
190 Namque movetur Aqua, et tantillo momine flutat;
Quippe volubilibus, parvisque creata figuris:
At contra Mellis constantior est natura,
Et pigri latices magis, et cunctantior actus;
Hæret enim inter se magis omnis materiai
195 Copia; nimirum quia non tam lævibus extat
Corporibus, neque tam subtilibus atque rotundis:

interdum etiam quasi incerta voluntas surgendi e terra. Ergo necesse est Animi naturam esse corpoream, quoniam telo, quod Corpus est, icta languet. Jam vero pergam tibi verbis ostendere, quali Corpore sit iste Animus, et e quibus principiis componitur: primum dico Animum esse rem persubtilem, et componi e Corporibus perquam minutis: id ita esse clare perspicies, si modo tantum consideres, nil tam cito, et tanta celeritate fieri quam id quod Mens ipsa proponit faciendum, et inchoat. Citius Animus seipsum movet, quam ulla alia res, quæ sub oculis nostris aut cognitione cadit, seipsam excitare potest. At res quæ est tam mobilis debet componi e seminibus perquam rotundis, et perquam minutis, ut levi impulsu agitata moveri possint: aqua enim levi impulsu agitata fluctuat, quia constat e seminibus parvis, et istius figuræ, quæ est ad motum apta; at e contra mellis natura est magis stabilis, et ejus liquores non tam facile agitantur, omnes enim illius partes magis sunt inter se implicitæ, quia mel non componitur e seminibus tam lævibus, subtilibus, et rotundis.

NOTÆ.

178. *Is tibi nunc Animus, &c.*] Animum naturæ corporeæ esse satis, si Lucretio credimus, demonstratum. Quo autem Corporum genere constet hic Animus, docet, v. 31. Atomi viz. quæ Animum constituunt, minutæ sunt, tenues, et rotundæ; quippe Animus est maxime mobilis, at quod maxime mobile est debet componi ex iis particulis, quæ tum propter texturam, tum propter molem, et figuram, sunt ad motum aptæ. Res enim alias contemplemur, ideo mobilis aqua, quia partes ejus parvæ sunt, et volubiles; mel interim motum difficulter recipit, quia componitur e partibus magis implicatis et perplexis: pariter levi vento Papaveris aliorumve granorum acervus dissipatur, dum spiculorum aut lapidum acervus forti resistit; si causam requiras, tela ista et lapides grandia sunt corpora, et aspera, grana vero rotunda, lævia, et minuta. Ψυχὴ συγκεῖται ἐξ Ἀτόμων λειοτάτων, καὶ στρογγυλοτάτων, οἷ (istam particulam interponit Gassendus) πολλῷ τινὶ διαφερόντων τῶν τῆ πυρός. Epicurus.

190. *Flutat*] Id est *fluitat*: Lucretio indignum inquit Gifanius (qui legit *fluctuat*); vellem causam diceret. *Faber*.

193. *Actus*] Cursus, fluxus; *Lambinus*. Tenor, Ductus; *Faber*.

Namque Papaverum, aura potest suspensa, levisque
Cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acervus;
At contra Lapidum conjectum, Spiclorumque
200 Nenu potest: igitur parvissima corpora quanto
Et lævissima sunt, ita mobilitata feruntur.
At contra quo quæque magis cum pondere magno,
Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
Nunc igitur, quoniam 'st Animi natura reperta
205 Mobilis egregie: perquam constare necesse 'st
Corporibus parvis et lævibus atque rotundis.
Quæ tibi cognita res in multis, O Bone, rebus
Utilis invenietur, et oportuna cluebit.
Hæc quoque res etiam naturam deliquat ejus,
210 Quam tenui constet textura; quamque loco se
Contineat parvo, si possit conglomerari:
Quod simul atque Hominem lethi secura quies est
Indepta, atque Animi natura, Animæque recessit;

Similiter, sit altus seminum papaveris acervus, levis auræ flatus efficere potest ut a summo diffluat; at e contra spiculorum aut lapidum acervum nequaquam disjicit. Igitur quo minores et leviores sunt partes alicujus corporis eo facilius moventur, eo citius, et celerius agitantur, et contra, quo majores sunt et asperæ eo magis motui resistunt. Quoniam autem constat Animum esse maxime mobilem, necesse est ut componatur e Corporibus perquam parvis, lævibus, et rotundis. Quæ res bene cognita, O bone Memmi, tibi in multis rebus utilis invenietur et opportuna. Hæc insuper res demonstrat e quam tenuibus particulis Animus componitur, quantillum etiam impleret spatium, si in unum locum coacervari possit; quod quando secura quies mortis hominem occuparverit, et tota natura Animi et Animæ recesserit,

NOTÆ.

197. *Namque papaverum*] Ita codd. et recte: alii nam *pappos*, qua voce utitur Lucretius, v. 387. At *pappos* istos seu carduorum flores lævigatos et rotundos quis dixerit?

199. *Conjectum*] Alii, *conlectum*, *spiclorumque*. Alii, *spicarumque* seu *spicorumque*; veteres enim dicebant *spicum*. *Spiculorum* vero huic loco et Poetæ menti magis convenit.

200. *Nenu potest*] Non potest; ita lib. 4. v. 716.

Nenu *queunt contra rapidi constare Leones.*

Et frustra sunt illi qui legunt *nulla*.

Ibid. *Quanto*] Alii, *proquam* vel *perquam*, et in sequenti versu *mobilitate*, et *mobilitate fruuntur*.

202. *Cum pondere*] Fateor gravia motui resistere, at melius huic loco convenit *corpore*, quis enim nescit aquam esse oleo graviorem? Licet vero gravior sit, quoniam e minutioribus Corporibus seu particulis componitur, ideo mobilior.

209. *Hæc quoque res etiam, &c.*] Animum constare ex atomis minutis, lævibus et rotundis docuit, quia est maxime mobilis; jam, v. 23. demonstrat Animi et Animæ naturam subtilem esse, tenuis texturæ, et e minutis Corporibus conjunctam; quippe moriatur animal, tota avolat anima, at si metiaris cadaver, eadem est Mortui, qui fuit Viventis membrorum moles; si expendas, idem pondus: igitur quod avolat est subtile quoddam et minutum, solidam enim aliquam partem magnamve detrahas, diversa erit totius moles, et diversum pondus. Breviter, ut judicamus florem vini, odorem unguenti, et saporem sapidi alicujus corporis constare e particulis subtilibus et minutis, quoniam postquam vinum vapidum fiat, unguentum istud amittit odorem, et sapidum corpus insipidum reddatur, corpora tamen ista ejusdem sunt molis, et ejusdem ponderis quo prius; similiter etiam propter eandem rationem idem de Anima judicandum est. Ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον. Epicurus.

Ibid. *Deliquat*] Declarat; vox minus nota, ideo alii præferunt *dedicat*, ut lib. 1. v. 368.

213. *Indepta*] Indepisci, assequi, adipisci; *Festus*.

Nil ibi limatum de toto Corpore cernas
215 Ad speciem, nil ad pondus: Mors omnia præstat,
Vitalem præter sensum, calidumque vaporem.
Ergo Animam totam perparvis esse necesse 'st
Seminibus, nexam per venas, viscera, nervos:
Quatinus omnis ubi e toto jam Corpore cessit,
220 Extima membrorum circum cæsura tamen se
Incolumem præstat, nec defit ponderis hilum:
Quod genus est Bacchi cum flos evanuit, aut cum
Spiritus Unguenti suavis diffugit in auras,
Aut aliquo cum jam Succus de corpore cessit;
225 Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quicquam:
Nimirum, quia multa, minutaque semina Succos
Efficiunt, et Odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam Mentis naturam, Animæque
230 Scire licet perquam pauxillis esse creatam
Seminibus: quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda 'st:
Tenuis enim quædam moribundos deserit Aura
Mista Vapore, Vapor porro trahit Aëra secum;
235 Nec Calor est quisquam, cui non sit mistus et Aër:

nihil de toto corpore detractum sentis vel quoad speciem, vel quoad pondus: Mors omnia relinquit integra præter vitalem sensum et calorem. Ergo necesse est Animam per venas, nervos, viscera e seminibus perparvis compositam fuisse, quoniam cum tota totum Corpus reliquerit, exterior forma Corporis eadem manet, idem etiam pondus: quod item accidit, cum flos vini evanuerit, aut cum suavis unguenti spiritus in auras diffunditur, aut succus ab aliquo corpore recedit; res enim ista a qua flos iste, aut spiritus, aut succus recedit non ideo minor apparet oculis, neque quidquam de pondere illius detrahitur; nimirum quia succus et odor rerum e multis minutisque seminibus componitur. Certi igitur esse possumus Animi et Animæ naturam constare e seminibus perquam minutis, quoniam discedens e Corpore, nil de illius pondere detrahit. Neque tamen credendum est istam Animi naturam simplicem esse et incompositam, moribundos enim relinquit tenuis quædam Aura Vapore mixta, Vapor vero Aërem secum trahit, nullus enim est Vapor seu Calor, cui Aër non immiscetur:

NOTÆ.

214. *Limatum*] Detractum: alii, *libatum*; sed Lambinus maxime probaret, *Nil delibratum*.

220. *Circum-cæsura*] Περικοπὴ, extremitas. Infra, lib. 4, v. 650, 651.

Ut sunt dissimiles extrinsecus, et generatim
Extima membrorum circum-cæsura *coercet.*

222. *Quod genus est Bacchi*] *Quod genus, aut Bacchi*, Lambinus. *Flos vini* apud Plautum in Curcul. et in Cistel.

Quiaque adeo me complevi flore Liberi.

227. *Quia multa*] Nisi vox ista *multa* sileat, vereor ne Poeta sibi parum constare videatur: sint enim Minuta semina, at *multa* detrahas, et Moles et Pondus diminuetur: vid. etiam, v. 279.

232. *Nec tamen hæc simplex, &c.*] Subtiles has Atomos e quibus Animam composuit, non esse unius et ejusdem generis asserit, v. 6. Observaverat enim in morientibus exhalari Auram, eamque calidam, una cum Aëre (sine quo Calor esse non solet) intermisto; at qui moritur, efflat vel expirat Animam: ideoque Anima ista ex Aura, Aëre et Calore constat. Ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερὲς παρ' ὅλον τὸ ἄθροισμα παρεσπαρμένον, προσεμφερέστατον δὲ πνεύματι θερμῷ τινὰ κρᾶσιν ἔχοντι, καὶ τῇ μὲν τούτῳ προσεμφερὲς, τῇ δὲ τούτῳ: Epicurus. Et apud Plutarchum adversus Colotem, Epicurei dicuntur, τὴν τῆς ψυχῆς θείαν συμπηγνύντες ἔκ τινος θερμοῦ, καὶ πνευματικοῦ, καὶ ἀιρώδους.

Rara quod ejus enim constat natura necesse 'st
Aëris inter eum primordia multa cieri.
Jam triplex Animi 'st igitur natura reperta.
Nec tamen hæc sat sunt ad Sensum cuncta creandum:
240 Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse 'st
Attribuatur (ea 'st omnino nominis expers):
Qua neque mobilius quicquam, neque tenuius extat,
245 Nec magis e parvis, aut lævibus ex elementis;
Sensiferos motus qui didit prima per artus.
Prima cietur enim parvis perfecta figuris,
Inde Calor motus, et Venti cæca potestas
Accipit; inde Aër; inde omnia mobilitantur:

nam quoniam omnis Calor rarus est, necesse est multa Aëris Semina inter ejus partes moveri. Igitur natura Animi jam inventa est e tribus rebus composita; cuncta tamen hæc ad procreandum sensum non sufficiunt: ratio enim concipere non valet aliquid horum trium, vel omnia simul conjuncta sensum producere posse, aut cogitationem. Quarta igitur quædam res his tribus adjungenda est (ea vero res nomine prorsus caret), qua neque mobilius est aliquid, neque tenuius, neque e minutioribus et lævioribus seminibus compositum, quæ prima sensiferos motus per membra excitat et distribuit. Nam e minutis seminibus constans prima movetur; inde Calor, et Aura motus accipiunt, inde Aër, inde reliqua omnia moventur;

NOTÆ.

237. *Cieri*] Cum Turnebo *cieri*; vel cum aliis *moveri* legas, perinde est.

238. *Jam triplex Animi 'st, &c.*] Anima hæc ex Aura, Aëre, Calore constans est plane imperfecta, nondum vim sentiendi aut cogitandi sortitur; quartum igitur aliquod, quodcunque illud sit, nomine enim tenus Epicureis ignotum, addendum est: istud quartum e minutissimis, maxime lævibus et subtilibus Atomis constat, quippe primum movetur, et tum Calorem, Auram, et Aërem per membra excitat, omnesque partes Corporis pro diverso motu vel dolorem vel voluptatem sentiunt. Si motus hic vehementior sit quam Animi textura patipossit, si usque ad ossa et medullas penetret, dissipatur Anima, et mors insequitur. Si minus vehemens, si in Corporis superficie sistatur, tum integra manet Anima; et sensus, sive doloris, sive voluptatis oritur. Hæc, v. 21. Plutarchus et alii dicunt Epicurum non fecisse simplicem Animæ naturam, sed esse voluisse, σῶμα ἐκ τεσσάρων, ἐκ τοῦ πνεύματος, ἐκ τοῦ ἀερώδους, ἐκ τοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκαταονομάστου, ὃ ἐν αὐτῷ αἰσθητικόν. De Placit. Phil. lib. 4. cap. 3.

241. *Sensiferos motus, quædam qui mente volutent*] Gifanius,

Sensiferos motus quædam, quæ mente volutent:

Eum, uti solet, sequitur *Pareus*, ita tamen interpretatur; *Quia ratio Animi non approbat quicquam horum trium posse sensiferos motus curare, qui motus res aliquas cogitare et volutare queant.* Ista vero Gifanii lectione nihil nequius aut ridiculum magis: prior autem illa non stare potest, quid enim sani habet id, quod jam lecturus es? *Mens nihil horum recipit posse creare motus, qui mente quædam volutent.* Itaque pro his verbis,

Quædam qui mente volutent,

sic legendum existimo,

Queis omnia mobilitantur.

Certe ita postulat ratio, cui auscultandum est, invitis centum millibus MSS. Codicum. *Faber.* Ita scribere debuisse Lucretium dicat Faber: ita scripsisse minime concedo;

Et *sensiferos motus, quædam qui mente volutent,*

Aliquis non minus intelligat quam,

Motus istos sensiferos, qui cogitationi inserviant.

Alii tamen legunt,

Sensiferos motus, qui dant quæ mente volutes.

246. *Didit*] *Dividit.* Sic infra, v. 271, 272.

——— *Mobilis illa*
Vis, initium motus ab se quæ dividit *omnis.*

250 Tum quatitur sanguis, tum viscera persentiscunt
Omnia; postremo datur ossibus, atque medullis
Sive voluptas est, sive 'st contrarius ardor.
Nec temere huc dolor usque potest penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur;
255 Usque adeo ut vitæ desit locus, atque Animaï
Diffugiant partes per caulas Corporis omneis.
Sed plerumque fit in summo quasi corpore finis
Motibus, hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter sese mista, quibusque
260 Compta modis vigeant, rationem reddere aventem
Abstrahit invitum patrii sermonis egestas:
Sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
Inter enim cursant Primordia principiorum

tum sanguis agitatur, viscera omnia sentiunt, demum ossibus et medullis communicatur iste motus, sive sit motus voluptatis, sive doloris voluptati contrarius. Neque dolor, neque acre aliquod malum potest huc usque (ad ossa et medullas) intrare et pervenire, quin omnia protinus usque adeo turbentur, ut vitæ nullus relinquatur locus, partesque Animæ per poros et meatus Corporis diffugiant. Sed plerumque motus in summa Corporis superficie sistitur, non ulterius penetrat, et istam ob causam vitam retinemus. Nunc quomodo quatuor hæ res inter se miscentur, quibus etiam modis vigeant, me explicare cupientem egestas patriæ (Latinæ) linguæ etiam invitum reprimit: breviter tamen, et ut potero, conabor explicare. Harum enim quatuor rerum, quæ Animum constituunt, principia

NOTÆ.

250. *Tum quatitur sanguis*] Ita rectius, et sonantius Lambinus, dum alii scribunt; *Concutitur tum sanguis.*

252. *Contrarius ardor*] Quidam legunt, *contrarius ægror*, seu *angor;* sed nihil mutant interpretes, cum apud Catullum *ardor* sit *dolor*,

Credo ut gravis acquiescat ardor:

licet voci isti nequius aliquid subesse Vossius existimet.

259. *Nunc, ea quo pacto, &c.*] Difficile opus jam aggreditur Poeta, et cui pro dignitate sua perficiendo Latina lingua non suppeditat voces congruas et aptas; pergit tamen, et, v. 30. docet quatuor istas res, Calorem, Auram, Aërem, quartamque innominatam rem inter se perfecte misceri, ut inde fiat una quædam eaque tenuissima substantia, quæ per totum Corpus Animalis fusa tum ab ipso contineatur, tum ipsi causa salutis sit. Omnibus vero non eadem regio et sedes: pars illa quæ Animus proprie dicitur, interius et altius sita, est veluti totius Animæ fundamentum; Aura vero, Calor, et Aër, ita inter se miscentur, ut unam, pro diversa animalium natura, substantiam componant: sic calor, sapor, odor, in quolibet viscere miscentur; non tamen diversa, sed unum tantum corpus constituunt.

260. *Compta*] *Juncta*, alii: nihil mutat Lambinus; sic lib. 4. v. 31.

Et quibus e rebus cum Corpore compta *vigeret.*

Faber tamen legit, *cóptu* seu *coapta;* ratio enim vociferatur, eo vocabulo opus esse, cui convenire possit, *inter sese mista*, quod viz. colligationem, nexum, et vinculum aliquod notet. *Coaptus* autem seu *cóptus* idem est quod alibi dixit *uniter aptus*; infra, v. 851.

Quibus e summus uniter apti.

Vides ex *illis apti sumus*, quod hic unica voce expressit, *coaptum* dicens; item infra, v. 857, 858.

—*Qui cœtu conjugioque*
Corporis, atque Animæ consistimus uniter apti.

Adde quod in lib. 4. est locus, qui facile et πάνυ ἀνάγκῃ probet τὸ *comptus* vitiosum esse. Quis enim Latine dixerit, *Anima est compta cum corpore?* quod tamen visurus es,

Atque, Animi quoniam docui naturam quid esset,
Et quibus e rebus cum Corpore compta *vigeret:*

Ibi itaque restituendum,

—*Cum corpore* cópta vigeret;

Id est, uniter apta, *coapta*, connexa, συν αφθάνα.

Motibus inter se, nihil ut secernier unum
265 Possit; nec spatio fieri divisa potestas:
Sed quasi multæ vis unius corporis extant.
Quod genus in quovis Animantum viscere vulgo
Est Odor, et quidam Calor, et Sapor: et tamen ex his
Omnibus est unum perfectum Corporis augmen.
270 Sic Calor, atque Aër, et Venti cæca potestas
Mista creant unam naturam, et mobilis illa
Vis, initium motus ab se quæ dividit ollis,
Sensifer unde oritur primum per viscera motus.
Nam penitus prorsum latet Hæc natura, subestque,
275 Nec magis Hac infra quicquam est in corpore nostro;
Atque anima 'st Animæ proporro totius ipsa:
Quod genus in nostris membris, et corpore toto
Mista latens Animi vis est, animæque potestas;
Corporibus quia de parvis, paucisque creata 'st.
280 Sic tibi nominis Hæc expers Vis, facta minutis
Corporibus latet; atque Animaï totius ipsa
Proporro 'st Anima, et dominatur corpore toto.
Consimili ratione necesse 'st Ventus, et Aër,
Et Calor inter se vigeant commista per artus,
285 Atque aliis aliud subsit magis, emineatque;
Ut quiddam fieri videatur de omnibus unum:
Ne Calor, ac Ventus seorsum, seorsumque potestas
Aëris interimant sensum, diductaque solvant.

ita inter se miscentur et moventur, ut nulla una istarum rerum ab aliis loco separari, et diversam sedem occupare (vel in distincta regione vires suas exercere), dici potest; sed plures sunt unius ejusdemque Corporis potestates. Ut in quovis animalis viscere reperitur odor, aliquis calor, et sapor, tamen ex his omnibus unum tantum Corpus perficitur. Sic Calor, Aër, et Aura, et mobilis illa Quarta Res innominata, quæ est principium motus tribus reliquis, et e qua sensifer motus primum per Corpus oritur, miscentur, et in unam substantiam coalescunt. Hæc enim quarta res penitus latet, nec quidquam est in Corpore nostro interius altiusve situm; et est omnino Anima totius Animæ. Ut in toto Corpore omnibusque membris Animus et Anima latent (intime collocantur et discerni nequeunt), quia e parvis pauciisque seminibus componuntur: sic res hæc innominata e minutis corporibus constans latet, est prorsus Anima Totius Animæ, et in toto Corpore dominatur. Similiter necesse est ut Aura, Aër, et Calor per membra misceantur, ut ex his aliud magis subsidat, vel infra sit, aliud magis emineat, ita ut una quædam substantia ex iis omnibus oriri videatur; nec Calor, Aura, Aër in distinctis locis sedibusque sita destruant, et separata solvant sensum.

NOTÆ.

266. *Multæ vis*] Sic lib. 2. v. 586.
Et quam quicque magis multas vis *possidet in se.*
Salustius; *Male jam assuetum ad omnes* vis *controversiarum.* Priscianus, lib. 6.
268. *Quidam Calor*] Libri, *Color.*
270. *Venti—potestas*] Ventus ipse: v. 278. *Animi vis*, et *animæ potestas*; v. 288. *Aëris potestas.*
274. *Latet—subestque*] Maxime intima est homini, ultra quam non datur pergere. *Faber.*
275. *Nec magis Hac infra*] Hic versus Lambino non placet, nec mirum, cum *infra* interpretatur *infra nostros sensus*; situm enim non exiguitatem quartæ naturæ innominatæ Poeta exprimit: ut Anima Corporis intima, sic quarta ista vis expers nominis ipsi Animæ; et est quasi Anima totius Anima, quoniam sicut Anima Corpus, sic Animam ipsa vegetat, et sensus perficit.
281. *Atque Animaï*] Lambinus; dum quidam codd. *Animæ quasi.*

Est etiam Calor ille animo, quem sumit in ira,
290 Cum ferviscit, et ex oculis micat acribus ardor.
Est et frigida multa comes formidinis Aura:
Quæ ciet horrorem in membris, et concitat artus.
Est etiam quoque pacati status Aëris ille,
Pectore tranquillo qui fit, voltuque sereno.
295 Sed Calidi plus est illis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facile efferviscit in ira;
Quo genere in primis vis est violenta Leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
300 At Ventosa magis Cervorum frigida mens est,
Et gelidas citius per viscera concitat auras;
Quæ tremulum faciunt membris existere motum.
At natura Boum placido magis Aëre vivit,
Nec nimis iraï fax unquam subdita percit
305 Fumida suffendens cæcæ caliginis umbras;
Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris:

In Animo quidem est Calor, quem in ira sumit, cum fervescit, et ardor e micantibus oculis exilit: est etiam multa frigida Aura formidinis comes, quæ facit membra horrescere, et concitat. Est insuper placidus lenisque Aër, qui apparet in tranquillo pectore, et sereno vultu. Plus Caloris illorum Animis inest, quibus iracunda sunt corda, et quorum mentes ira facile accendantur: cujus generis præcipue sunt leones, qui plerumque gementes pectora sua fremitu disrumpunt, neque irarum æstum pectore suo continere et cohibere possunt. Frigidus vero Animus Cervorum plus Auræ (seu Venti) continet, et citius gelidas auras per membra concitat, quæ totum Corpus tremere et horrere faciunt. At boum Animus plus placidi Aëris continet; nec unquam fax iræ fumida suffundens umbras cæcæ caliginis subjecta nimis incendit eos, neque torpent unquam gelidis pavoris spiculis transfixi:

NOTÆ.

289. *Est etiam Calor ille animo, &c.*] Ex Aura, Calore, et Aëre Animos componi probat, v. 35. Admittas enim, et variæ animalium temperies commode explicari possunt. Unde, v. g. *Leo* ad iram proclivior, nisi quod *Calor* in illius Animo emineat? Unde cervorum timiditas? quia in illorum Animabus Aura dominatur. Boum vero constantiam neque iræ nimis neque metui obnoxiam Aëri tranquillo acceptam referas: calorem enim ex irati oculis emicantem, et scintillas tantum non erumpentes videmus. Tremunt et horrescunt cervi; et tranquilla est boum gravitas. Huc, si Gassendus permitteret, illa e Stobæo desumpta referrem, τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, ἕδε ἀὴρ ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δὲ ἀκατονόμαστον τὴν ἐν ἡμῖν ἐμφυτοῦ αἴσθησιν. Deinde in hominibus etiam aliquod horum trium dominari docet, v. 16. Quidam enim ad iram, alii ad metum proclives, dum alii mansueti sint ac mites: et quoniam hæc tria commisceri tanta varietate ob gradum varietatem possunt, inde morum diversitates innumeras sequi. Philosophia autem vitiosam naturam emendari aliquatenus, sed ita ut vestigia quædam τῆς Κακίας remaneant (quippe homines doctrina exculti et maxime politi sunt quibusdam pravis affectionibus obnoxii); id quod non impediet quo minus quis jucunde vivat.

Ibid. *Est etiam*] *Est etenim*, Faber; quippe eorum rationem affert quæ v. 287, scripserat,

Ne Calor ac ventus seorsum, seorsumque potestas,
Aëris, &c.

Conjecturam non improbo, sed inepta ratio quam adducit.

290. *Acribus*] Virgilius, 12. Æneid.

—totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus *Ignis.*

Gifanius tamen, *acrius*. V. 295. *Acria corda.*

Inter utrosque sita 'st, Cervos, sævosque Leones.
Sic Hominum genus est, quamvis Doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
310 Naturæ cujusque Animæ vestigia prima.
Nec radicitus evelli mala posse putandum 'st,
Quin proclivius Hic iras decurrat ad acreis;
Ille metu citius paullo tentetur; at Ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo.
315 Inque aliis rebus multis differre necesse 'st
Naturas hominum varias, moresque sequaceis:
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere causas,
Nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt
Principiis, unde hæc oritur variantia rerum.
320 Illud in his rebus videor firmare potesse;
Usque adeo Naturarum vestigia linqui
Parvola, quæ nequeat Ratio depellere dictis,
Ut nihil impediat dignam Diis degere vitam.
Hæc igitur Natura tenetur Corpore ab omni,
325 Ipsaque corporis est custos, et causa salutis;
Nam communibus inter se radicibus hærent,
Nec sine pernicie divelli posse videntur.
Quod genus e Turis glebis evellere Odorem

animorum boum natura media est inter utrosque, cervos viz. et rabidos leones. Ex iisdem principiis Animi hominum componuntur, quamvis humaniores literæ et philosophia quosdam excolant, et politos reddant; relinquunt tamen prima vestigia naturæ cujusque Animæ, neque credendum est vitia, quæ ex ipsis Animi principiis oriuntur, radicitus extirpari posse, quin hic ad iram sit proclivior, ille ad metum pronior, tertius vero mitis sit, et forsan lenior quam par est. In multis aliis rebus necesse est varias naturas hominum, et mores, qui istam naturam sequuntur, plurimum differre: quorum obscuras et latentes causas ego nunc explicare non possum, nec invenire tot voces, quibus exprimam istas figuras, (quot sunt diversæ seminum figuræ) e quibus oritur hæc morum diversitas. Hoc vero liquido affirmare et probare possum; tam parva et tantillæ efficaciæ vestigia naturarum, quæ philosophia et humaniores literæ præceptis suis delere non possunt, relinqui, ut nihil obstet quo minus vitam Diis dignam homines agerent. Hæc autem Animi et Animæ natura a toto Corpore continetur, ipsa vicissim est conservatrix Corporis, et salutis illius causa (facit ut vivat et vigeat): nam communibus radicibus ita inter se hærent, ut sine utriusque interitu separari nequeant. Quemadmodum a gleba thuris odorem

NOTÆ.

320. *Videor*] Recte Faber, nec *video* pati possumus.

321. *Naturarum*] Quibusdam placet *naturaï*. Et pro *dictis* in sequenti versu *doctis* scribitur.

323. *Dignam Diis*] Ita vim et efficaciam suæ Philosophiæ deprædicat Poeta, imitatus Epicuri jactantiam, ζάσιν δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις; et, οὐδὲν γὰρ ἴσκει θνητῷ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς.

324. *Hæc igitur Natura, &c.*] Animam ex Aura, Calore, Aëre, et quarto innominato formatam, v. 14. ita Corpori conjungit, et immiscet, ut neque Corpus sine Anima incolume, neque Anima sine Corpore integra maneret. Epicurei censuerunt Animam a Corpore contineri (Epicurus apud Laertium utitur verbo στιγάζεσθαι, apud Empiricum διαφυλάσσεσθαι), Corpus etiam mutuo ab Anima teneri, ne prorueret in exsolutionem. Nempe voluerunt Animal esse quasi telam, in qua stamen esset corpus, subtegmen vero anima, adeo ut utrumque mutuo intertextum opus constans evaderet, altero vero dissoluto, alterum, atque ideo utrumque simul, exsolveretur. Exemplum velis? en thuris glebam, odorem ab isto thure separa, et nec odor, neque thus integrum manebit, et idem de Animo et Corpore sentiendum.

Haud facile 'st, quin intereat natura quoque ejus:
330 Sic Animi, atque Animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile 'st, quin omnia dissolvantur:
Implexis ita principiis ab origine prima
Inter se fiunt consorti prædita vita;
Nec sine vi quicquam alterius sibi posse videtur
335 Corporis, atque Animi seorsum sentire potestas:
Sed communibus inter eos conflatur utrinque
Motibus accensus nobis per viscera Sensus.
Præterea, Corpus per se nec gignitur unquam,
Nec crescit, nec post mortem durare videtur.
340 Non enim ut Humor aquæ dimittit sæpe vaporem,
Qui datus est, neque ab hac causa convellitur ipse,
Sed manet incolumis; non, inquam, sic Animaï
Discidium possunt artus perferre relicti:
Sed penitus pereunt convolsi, conque putrescunt.
345 Ex ineunte ævo sic Corporis atque Animaï
Mutua vitaleis discunt contagia motus,
Maternis etiam in membris, alvoque repôsta;
Discidium ut nequeat fieri sine peste, maloque:

separare non potes, quin et thus et odor simul pereant; sic Animum et Animam ex omnibus membris extrahere non potes, quin utriusque et Corporis et Animæ dissolutio sequatur: principiis ita inter se implexis a prima origine formantur, et consorti vita donantur, nec aut Corpus ab Anima separatum, nec Anima a Corpore separata per se agere aliquid, aut sentire potest sine alterius ope et auxilio; sed sensus nobis per viscera excitatur ex communi utriusque conjunctim agentis motu. Præterea Corpus nunquam per se (sine Anima) generatur, neque crescit sine Anima, neque post separationem Animæ videtur durare; non enim, ut aqua sæpe dimittit calorem, qui ab igne excitatur, non tamen ipsa aqua eam ob causam destruitur, sed integra manet, et incolumis, non, inquam, ita membra Corporis ab Anima relicta illius Animæ separationem ferre possunt; sed disjunctis suis partibus pereunt, et cum Anima putrescunt. Imo ex prima utriusque origine Corpus et Anima ita inter se conjunguntur, mutuo hærent, implicantur, et vitales motus conjunctim exercent, ut dum infantes in matrum utero jacent, anima a corpore separari non potest sine utriusque damno et interitu;

NOTÆ.

329. *Haud facile 'st*] Ita alibi hujusmodi *μόνωσιν* usurparet, nam *haud facile* significat plane *ἀδύνατον*. *Faber.*

333. *Consorti—vita*] Notandum passive sumi, non temere alibi: tamen auctor Ciridis, seu ille Virgilius est, seu quis alius;

Si me jam summa sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ Hæredibus est data consors.

Faber.

334. *Nec sine vi quicquam alterius sibi*] Alii legunt,

Nec sibi quæque sine alterius vi—

335. *Sentire*] Codd. *constare*, quibus minime credendum.

337. *Accensus*] Sic lib. 2. v. 941, 942.

Quibus omnituentes
Accensi *sensus Animantem quamque tuentur.*

338. *Præterea, Corpus, &c.*] Istam Animæ et Corporis adunationem, v. 13. iterum demonstrat. Corpus neque generatur, neque crescit sine Anima, et cum Anima avolet, distrahuntur illius particulæ, resolvuntur vitalia vincula, putrescunt membra, denique perit Corpus. Quid interim de Anima existimandum? nempe illa dispergitur in tenues auras et evanescit: cum vero neutrum sine altero maneat integrum et incolume, credendum est, eorum substantias conjunctas esse, atque intime unitas.

340. *Vaporem*] Nonnulli codd. *Saporem;* improbe: neque *ab hac causa* in *ab ea causa* mutandum.

Ut videas, quoniam conjuncta 'st causa salutis,
350 Conjunctam quoque naturam consistere eorum.
Quod superest, si quis Corpus sentire renutat;
Atque Animam credit permistam Corpore toto
Suscipere hunc motum, quem Sensum nominitamus:
Vel manifestas res contra, verasque repugnat.
355 Quid sit enim Corpus sentire quis afferet unquam,
Si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
At dimissa Anima corpus caret undique sensu,
Perdit enim quod non próprium fuit ejus in ævo;

et hinc discas naturam eorum (res ipsas Animum et Corpus) conjunctam et unitam esse, quoniam cum separentur, pereunt. Quod reliquum est, siquis neget Corpus sentire, et credat Animam toto Corpore permistam solam suscipere motum hunc quem sensum appellamus, ille profecto veræ certæque experientiæ contradicit: etenim quis unquam docebit quid sit Corpus habere sensum, si experientia et res ipsa illud non jamjam docuit, et monstravit nobis? At separata, inquies, Anima Corpus omnis sensus expers jacet; concedo, quoniam id perdit quod sibi dum vixit non fuit proprium (quod sibi soli non competebat),

NOTÆ.

351. *Quod superest, siquis Corpus, &c.*] Modo asseruerat Poeta, neque Corpus ab Anima separatum, neque Animam a Corpore separatam per se aliquid agere, aut sentire posse, sed sensum per viscera excitari ex communi utriusque conjunctim agentis motu: deinde Philosophos aggreditur qui solam Animam istius motus quem sensum vocamus capacem affirmabant; istos autem ad experientiam provocat, concedatur enim Corpus sentire, non magis istius sensus conscii essemus, quam jam nunc sumus; ideo Corpus sentire confitendum est. Dicat autem aliquis, Si Corpus sentiat, unde dimissa Anima vim istam et facultatem sentiendi non retineat? Quia nempe non Corpori soli, sed Corpori Animæ conjuncto vis ista et facultas competit. Hæc omnia, v. 9. Similiter Epicurus apud Laertium, lib. 10. ὁ μὲν (Anima) αἴλησφι ἐν ταύτην (sentiendi facultatem) εἰ μὴ ὑπὸ τοῦ λοιποῦ σώματος ἐπιγάζοιτό πως· τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα παρασκευάσαν ἐκείνῃ τὴν αἰτίαν ταύτην, μετείληφε καὶ αὐτὸ τούτου συμπτώματος παρ' ἐκείνης· διὰ ἀπαλλαγάσης τῆς ψυχῆς ἐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν, ὁ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ἐκίνητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἅμα συγγιγνομένῳ αὐτῷ οὐκέτι ἡ φύσις παρεσκεύαζεν.

Ibid. *Renutat*] Ita Lambinus, dum alii *refutat* preferunt.

355. *Quid sit enim Corpus sentire quis afferet*] Alii, *asseret;* sed Faber, *quod asserat*, et hoc modo explicat; *quid sit enim* quod adserat (id est probet) *Corpus nostrum sensu præditum esse, et vere sentire, nisi illud quod res ipsa docet?* Explicat autem quod dixerat,

Vel manifestas res contra, verasque repugnat.

neque enim petit Poeta *quid sit sensus?* (quod faceret tamen si recepta lectio sequenda foret) sed ait hominem quemque sentire Corpus suum sensu præditum esse, itaque tanta argumentorum mole nihil esse opus. Præterea, hoc addam quoque, neminem, qui quidem sani capitis fuerit, sic unquam locutum, *quis homo id asseret nisi experientia?* ridiculum est ac delirum, et tamen ita loqueretur Lucretius nisi mendum vidissemus, *quis id asseret nisi quod res*, &c. Hæc Faber, qui raro quidem errat, nisi cum insigniter fallatur. Quid enim his verbis inculentius, *Quis unquam afferet quid sit Corpus sentire, nisi id sit quod res ipsa palam dedit, ac docuit nos?*

358. *Perdit enim quod non proprium fuit ejus in ævo*] Hunc versum rejicit Lambinus, et sequentem *multaque præterea*, &c. retinet; quem Faber et alii sequuntur; Gifanius ejusque sequaces una cum Gassendo parenthesi includunt: ego vero retinendum censeo, nec affirmare dubitem illum potiori jure hunc locum possidere quam *multaque præterea* quem Codex Vaticanus non agnoscit. Rationem petis? en validam ex ipsis Epicuri verbis ductam: διὰ ἀπαλλαγάσης τῆς ψυχῆς ἐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν, ὁ γὰρ αὐτὸ (Corpus) ἐν ἑαυτῷ ἐκίνητο τὴν αἴσθησιν. Laertius, lib. 10. Ubi eidem objectioni idem respondet Epicurus quod hoc versu Lucretius amplectitur.

Multaque præterea perdit, cum expellitur ævo.
360 Dicere porro Oculos nullam rem cernere posse;
Sed per eos Animum ut foribus spectare reclusis,
Desipere 'st, contra cum sensus dicat eorum:
Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas.
Fulgida præsertim cum cernere sæpe nequimus,
365 Lumina luminibus quia nobis præpediuntur:
Quod foribus non fit; neque enim, qua cernimus ipsi,
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
Præterea, si pro Foribus sunt lumina nostra,
Jam magis exemptis Oculis debere videtur
370 Cernere res Animus, sublatis postibus ipsis.
Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Corporis atque Animi primordia singula primis

et insuper observandum est Corpus multa perdere (sensus Corporis debiliores fieri et paulatim interire), cum Anima senectute expellitur, vel ipsum Corpus senio expugnatur. Deinde affirmare oculos rem nullam videre posse, sed Animam per illos quasi per fores reclusas spectare, plane ineptire est; cum ipse oculorum sensus tali affirmationi contradicat: sensus enim trahit, et ad acies ipsas detrudit; præsertim cum res fulgidas sæpe intueri non possumus, quia oculi nostri objectorum splendidorum luce occæcantur: quod quidem in foribus nunquam contingit, nunquam enim fores reclusæ, per quas nos spectamus, vim ullam aut dolorem patiuntur. Præterea, si oculi nostri nobis essent pro foribus, evulsis oculis, clarius meliusque objecta Animus videret, quoniam tum postes ipsi foresque quæ visum impediunt, removerentur. In his rebus nequaquam sumere possis illud, quod divina Democriti opinio statuit, viz. singula Animi primordia singulis primordiis Corporis

NOTÆ.

360. *Dicere porro Oculos—rem, &c.*] Quia fuerunt, qui existimarent non debere totum compositum, puta Animal, dici sentire, sed Animam per se et solam id munus ita exsequi, ut Organa nihil cooperarentur: sed essent quasi meræ fores per quas reclusas Anima intus existens externa perciperet; inter quos emicuit Epicharmus dicens, νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει. V. 11. subjungit Lucretius, et duobis argumentis demonstrat fatilem istius opinionis vanitatem; nempe si oculi essent tantum fores, unde vim aliquam aut laborem a fulgidis objectis sentiunt? Deinde oculos (fores istas) evellas, melius externa perciperet Anima, dum liberior daretur prospectus.

362. *Desipere 'st*] Ita recte Lambinus contra codd. qui exhibent, *difficile est.*

363. *Sensus enim, &c.*] Omnes, si unum Fayum excipias, (quanquam quis iste?) Interpretes hunc versum rejiciunt.

370. *Postibus ipsis*] *Foribus:* sic lib. 4. v. 276.

Primus enim 'st citra posteis *qui cernitur Aër.*

seu *fores cum postibus*, ut explicat Lactantius, lib. de opificio Dei, cap. 8.

371. *Illud in his rebus, &c.*] Olim declaravit Lucretius Animam esse mole parvam, totamque illius substantiam exiguo loco posse excipi, si seorsum conglomeretur; id jam longe uberius edisserit, v. 26. adversus Democritum, qui quot essent partes Corporis, totidem partes Animæ illis applicitas ponebat. Inde enim sequeretur nos omnia sentire quæ parti alicui Corporis applicarentur; nam cum Corporis particula, et Animæ pars illi apposita moveatur, quidni sensus oriretur? At plurima sunt, ut ex allatis exemplis constat, quæ Corpori nostri applicita nequaquam percipimus: frustra igitur singulas partes Animæ singulis partibus Corporis aliquis conjungat.

372. *Democriti quod sancta viri*] *Sancta sententia viri Democriti* pro ipso Democrito, commode et eleganter dici non posse Faber existimat; ideoque legit, ut et in v. 621. lib. 5.

Democriti quod sancta sibi *sententia sumit.*

ut in lib. 1.

—Id quod Anaxagoras sibi sumit.

Adposita alternis variare, ac nectere membra.
375 Nam cum multo sunt Animaï elementa minora,
Quam quibus e Corpus nobis et Viscera constant,
Tum numero quoque concedunt, et rara per artus
Dissita sunt, duntaxat ut hoc promittere possis,
Quantula prima queant nobis injecta ciere
380 Corpora sensiferos motus in Corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima Animaï.
Nam neque Pulveris interdum sentimus adhæsum
Corpore, nec membris incussam insidere Cretam,
Nec Nebulam noctu, nec Aranei tenuia fila
385 Obvia sentimus, quando obretimur euntes:
Nec supra caput ejusdem cecidisse vietam
Vestem, nec Plumas avium, Papposque volanteis,
Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim:
Nec repentis itum cujusviscunque Animantis
390 Sentimus, nec priva pedum vestigia quæque,
Corpore quæ in nostro Culices, et cætera ponunt.
Usque adeo prius est in nobis multa ciendum
Semina, corporibus nostris immista per artus,
Quam primordia sentiscant concussa Animaï,
395 Et quam intervallis tantis tuditantia possint

applicita alternatim variare, et membra Animalis connectere. Nam cum primordia Animæ sunt multo minora mole quam ea e quibus Corpus et viscera nostra componuntur, tum etiam paucioza sunt numero, et rara per artus (intervallis quibusdam disjuncta) collocantur; ita ut hoc tantum affirmare possis, primordia Animæ tantum spatii in Corpore occupare, quantum id est cui objecta adposita possunt sensiferos motus in Corpore excitare: plerumque enim non sentimus in Corpore adhærentem pulverem, nec cretam in membra nostra decidantem, nec nebulam noctu, nec tenuia fila araneæ obvia sentimus, cum progredientes illis implicamur; neque araneæ vestem flaccidam et putrem in capita nostra prolapsam, nec plumas avium, neque pappos volantes, qui præ nimia lævitate ægre plerumque decidunt: neque percipimus incessum cujusviscunque animalis repentis, neque singula pedum vestigia, quæ culices, et alia ejusmodi animalia in corpore nostro ponunt: tam certo constat, multa primordia, e quibus membra corporum nostrorum componuntur, movenda esse, antequam semina Animæ excitata sentire possunt, et antequam per cutientia sese invicem per spatia tam dissita concurrere possunt,

NOTÆ.

374. *Nectere*] Ita omnes libri; Fayus tamen *vertere*.

378. *Promittere*] Affirmare; Horatius, Sat. 4. l. 1.

—*Siquid* promittere *de me*
Possum aliud, vere promitto:

382. *Adhæsum*] Lib. 4. v. 1236.

—*Locis quia non potis est adfigere* adhæsum.

Et lib. 6. v. 471.

Suspensæ, cum concipiunt humoris adhæsum.

383. *Insidere*] Alii, *sidere*: et in sequenti versu, *nebulam noctis*.

387. *Papposque*] Carduorum flores: *Festus*; qui hunc versum laudat.

390. *Priva*] *Singula*, Lucilius, Sat. lib. 1.

Ad cœnam adducam, et primum his abdomina Thynni
Advenientibus priva *dabo*.

Lucretius, lib. 3.

Quod si forte Animas *extrinsecus insinuari*
Vermibus, et privas *in Corpora quæque venire*
Credis: Nonius.

392. *Prius est in nobis multa ciendum*] Ita *passim* Lucretius: alii vero, *Prius in nobis sunt multa ciendi*.

395. *Et quam intervallis tantis*] Gifanius; *Et quantis intervallis*, ex v. 567. Lambinus magis probat, *et quam sis intervallis*; id est, *et quam suis*.

Concursare, coire, et dissultare vicissim.
Et magis est Animus vitaï claustra coercens,
Et dominantior ad vitam, quam vis Animaï.
Nam sine Mente, Animoque nequit residere per artus
400 Temporis exiguam partem pars ulla Animaï;
Sed comes insequitur facile, et discedit in auras,
Et gelidos artus in lethi frigore linquit.
At manet in vita, cui Mens Animusque remansit,
Quamvis est circum-cæsis lacer undique membris:
405 Truncus, ademta Anima circum, membrisque remotis,
Vivit, et ætherias vitaleis succipit auras:
Si non omnimodis, at magna parte Animaï
Privatus, tamen in vita cunctatur, et hæret.
Ut lacerato Oculo circum si Pupula mansit
410 Incolumis, stat cernendi vivata potestas;
Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,
Sed circumcidas aciem, solamque relinquas;
Id quoque enim sine pernicie confiet eorum:
At si tantula pars Oculi media illa peresa 'st,
415 Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis,

convenire, et vicissim dissilire. Ceterum Animus *vitæ munimenta præcipue tuetur, et magis valet ad conservandam salutem animalis quam* Anima; *nam sine mente et Animo nulla particula Animæ potest vel exiguum tempus manere in membris nostris, sed una cum eo evolat, et in auras evanescit, et gelidos artus in mortis frigore relinquit. At vero ille, cui mens et Animus est relictus, manet in vita, (vivit) quamvis laceratus sit cunctis membris ex omni fere parte amputatis: truncus, recisis artibus, atque adeo remota Anima, quæ in istis artubus residebat, vivit, et vitales ætherias auras suscipit: si autem truncus iste non tota Anima, magna tamen parte Animæ privatur; nihilominus in vita manet, et moratur. Ut, oculo ex omni fere parte lacerato, si pupilla remansit integra et illæsa, vivida etiam videndi potestas manet; dum non totum orbem oculi corrumpas, sed circumcidas pupillam, eamque solum integram et illæsam relinquas, id fieri potest sine pernicie illorum (orbis et pupillæ oculi): at si vel minima pars mediæ partis (pupillæ) oculi perforetur, quamvis reliquus orbis*

NOTÆ.

397. *Et magis est Animus, &c.*] V. 137. Animum, in quo ratio et vis sentiendi sita est, in pectore posuit; Animam vero, in qua loco-motiva facultas sita est toti Corpori adjunxit: jam v. 21. isti Animo præcipuas in vita conservanda partes attribuit; nec absurdum hoc, quicquid alii sentiant, aut Philosophiæ Epicureæ dissonum. Animus v. 274. qui magnam partem constat ex quarto illo Epicuri innominato, quod solum sentiendi facultatem largitur, ita Animali conjungitur, ut nulla res magis subsit, imo est totius Animalis, et ipsius Animæ fundamentum; substracto autem fundamento tota moles corruat necesse est. Animum et Animam Oculo recte compares, ubi Animus pupillæ vicem sustineat, Anima reliqui orbis: pupillam laceres, cæcitas insequitur; alias oculi partes, manet videndi potestas.

410. *Vivata*] Infra, v. 557. Vivatus et Vividus a Poetis dicuntur, a vi magna. *Festus.*

411. *Dummodo ne totum, &c.*] Gifanius, et qui illum sequuntur, hos versos ita legunt ex codd.

Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,
Et circumcidas Aciem solamque relinquas,
Id quoque enim sine pernicie non *fiet eorum.*

Ait Poeta acie non læsa visum manere, non tamen si Oculum ita undecunque corrumpas, et circumcidas, ut præter aciem seu pupillam nihil relinquas. Hæc Gifanius, cui nemo credet qui versum sequentem legit,

At si tantula pars oculi.

et comparationem accuratius perpendit.

Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur:
Hoc Anima atque Animus vincti sunt fœdere semper.
Nunc age, nativos animantibus, et mortaleis
Esse Animos, Animasque leveis ut noscere possis;
420 Conquisita diu, dulcique reperta labore
Digna tua pergam disponere carmina vita.
Tu fac utrumque uno subjungas nomen eorum,
Atque Animam, verbi causa, cum dicere pergam,
Mortalem esse docens; Animum quoque dicere credas:
425 Quatinus est unum inter se, conjunctaque res est.
Principio, quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principiis factam, quam liquidus humor Aquaï 'st,
Aut Nebula, aut Fumus: nam longe mobilitate
430 Præstat, et a tenui causa magis icta movetur;
Quippe ubi Imaginibus Fumi, Nebulæque movetur:
Quod genus in somnis sopiti ubi cernimus alta
Exhalare vapore altaria, ferreque Fumum;
Nam procul hæc dubio nobis Simulacra genuntur:

oculi integer maneat et illæsus, lumen subito occidit (perit sentiendi potestas), et tenebræ insequuntur. Hoc fœdere Anima atque Animus semper vincti sunt. Nunc age, ut scire queas Animos levesque Animas Animalium (generari et interire) nativos et mortales esse, pergam disponere carmina vita, O Memmi, *tua digna, diu conquisita, et dulci labore reperta: interim utrumque nomen,* Animum, *viz. et* Animam, *uni eidemque rei applicare memento, et, verbi causa, cum dixero Animam mortalem esse, existima me Animum quoque dicere mortalem; quoniam Animus et Anima ita conjunguntur, ut unam tantum rem constituant. Principio, quoniam docui Animam tenuem componi ex seminibus parvis, et fieri e principiis multo minoribus quam aqua liquida, aut nebula, aut fumus, quoniam magis mobilis est, et percussa a re quæ est magis tenuis quam aqua, aut fumus, aut nebula, movetur; quippe quæ simulachris fumi et nebulæ movetur: ut cum somno sopiti videmus alta altaria vapore exhalare, et fumum in altum ferre; nam proculdubio istarum rerum phantasmata per simulachra in nobis excitantur.*

NOTÆ.

417. *Vincti*] Quidam codd. *Juncti*.

418. *Nunc age, nativos, &c.*] Animas mortales esse probaturus, profitetur, v. 8. se in hac disputatione non indiligentem fore; quoniam vero ipse Animum ab Anima distinxerit, et Stoici maxime distinguunt, ne vim rationum non recte perciperet Memmius, monet, omnia sua argumenta æque contra Animum ac Animam, e quibus una tantum res constituitur, militare.

421. *Tua—vita*] Te, neque aliter boni scriptores Latinitatis; *Faber:* aliquando tamen legi, *Tuo vate*.

422. *Tu fac utrumque uno*] Sic MSS. codd. non *Tu face;* jam quod sequitur, *uno subjungas*, si scriptura emendata est, positum pro *sub uno jungas:* vel *uno* dictum pro *uni*, vel legendum *uni*. Lambinus.

426. *Principio, quoniam, &c.*] Primum argumentum, quo probat Animam (quo nomine etiam Animum comprehendit) mortalem esse, ducit v. 20. ex illius subtilitate et tenuitate olim demonstrata, et hic loci ulterius confirmata: est enim quid Corporeum longe tenuius, mobilius, et dissolutioni magis obnoxium, non modo quam aqua, verum etiam quam nebula, aut fumus, quippe cum percellatur rebus fumo nebulaque tenuioribus (ut puta illorum simulachris, ex quorum per somnium appulsu, res ejusmodi cogitamus), ac ideo necesse sit illam dissipari quam ista facilius; frustra autem aliquis dicat illam a Corpore solutam in Aëre integram manere posse, quid enim tenuis Aër illam conservet incolumem, quæ per meatus crassi Corporis sæpe effluit?

431. *Imaginibus*] *Simulachris:* Epicurus enim neque quicquam cerni, neque etiam cogitari, aut somniari posse voluit sine imaginibus.

434. *Genuntur*] An *geruntur* legi de-

435 Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis
Diffluere Humorem, et Laticem discedere cernis;
Et Nebula ac Fumus quoniam discedit in auras:
Crede Animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, et citius dissolvi corpora prima,
440 Cum semel omnibus e membris ablata recessit.
Quippe etenim Corpus, quod vas quasi constitit ejus,
Cum cohibere nequit conquassatum ex aliqua re,
Ac rarefactum detracto sanguine venis,
Aëre qui credas posse hanc cohiberier ullo?
445 Corpore qui nostro rarus magis am cohibessit?
2. Præterea, gigni pariter cum Corpore, et una
Crescere sentimus, pariterque senescere Mentem:
Nam velut infirmo Pueri, teneroque vagantur
Corpore; sic Animi sequitur sententia tenuis,
450 Inde ubi robustis adolevit viribus ætas;
Consilium quoque majus, et auctior est Animi vis:
Post ubi jam validis quassatu 'st viribus ævi
Corpus, et obtusis ceciderunt viribus artus;
Claudicat Ingenium, delirat Linguaque, Mensque,
455 Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem Animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras:

Nunc cum videas aquam fracto vase diffluere, et cum nebula et fumus per aëra dissipatur, et in auras abit; crede quoque animam dissipari, multo ocyus interire, ejusque principia citius disjungi, cum ex omnibus membris ablata semel recesserit. Quippe cum Corpus, quod est veluti ejus vas aliquo impetu aut ictu labefactatum, aut venis detracto sanguine rarefactum cohibere, et retinere non potest, quomodo putandum est illam cohibere et retineri posse ab ullo aëre? quomodo aër corpore nostro rarior illam cohiberet? Præterea, sentimus Animum pariter cum Corpore gigni, una cum isto crescere, una etiam senescere. Nam ut Pueri tenero et imbelli corpore vagantur, sic etiam eorum Animi sunt debiles et infirmi: postea vero cum ætas robustis viribus adoleverit, firmius est ingenium, et Animi vis major: deinde cum corpus longo et potenti Annorum impetu labefactum sit, et fractis viribus membra debilitantur, judicium fit infirmius, lingua et Animus delirat, omnes facultates illius deficiunt, et simul abeunt. Ergo pariter tota Animi substantia dissolvi debet, sicut fumus in auras dissipatur;

NOTÆ.

beat litigent Gifanius et Lambinus: melius forsan ille qui *feruntur* legit.

440. *Omnibus e membris*] Alii codd. *ex hominis membris;* Gifanius, *ex omnibus membris: Omnibus* autem Terentius et Plautus sæpe corripiunt.

445. *Am cohibessit*] *Am*, i. e. *eam;* ita veteres: *cohibessit*, cohibuerit. Similiter *servassit, negassit, supplicassit*, apud Plautum. Alii vero, *hanc cohibessit.*

446. *Præterea, gigni pariter, &c.*] Secundo, v. 14. hoc modo disputat, quod cum Corpore gignitur, adolescit, senescit, et deficit, id mortale est: at hæc omnia de Animo dicenda; pueri enim æque Mentem ac Corpus debiles incedunt; adolescenti cum firmioribus viribus accrescit firmius judicium; dum senis Mens et Corpus pariter vacillant.

454. *Linguaque, Mensque*] Alii, *lingua animusque:* nescio quis legit, *lingua, madet Mens*, ut v. 478.

457. *Ceu fumus*] *Ceu fumum*, Gifanius. Quanquam non video quid ibi agat *fumus:* qui argumentum perpendit, fatebitur Lucretium scripsisse *cum Corpore;* nam v. 446, 447.

—*Gigni pariter* cum Corpore, *et una*
Crescere sentimus—

Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, et (ut docui) simul ævo fessa fatiscit.
460 Huc accedit, uti videamus Corpus ut ipsum 3.
Suscipere immaneis morbos, durumque dolorem;
Sic Animum curas acreis, luctumque, metumque,
Quare participem lethi quoque convenit esse.
Quinetiam Morbis in Corporis avius errat
465 Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:
Interdumque gravi Lethargo fertur in altum
Æternumque soporem, oculis, nutuque cadenti;
Unde neque exaudit voces, neque noscere vultus
Illorum potis est, ad vitam qui revocantes
470 Circumstant lacrymis rorantes ora, genasque.
Quare Animum quoque dissolvi fateare necesse 'st,
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi:
Nam Dolor, ac Morbus lethi fabricator uterque 'st,
Multorum exitio perdocti quod sumus ante.
475 Denique cur, hominem cum Vini vis penetravit 4.

quandoquidem pariter cum Corpore gigni, una cum isto crescere videmus, et senectute fracta, uti demonstravi, deficit. His adde, quod ut videamus ipsum Corpus magnis morbis et acutis doloribus affici, sic videmus Animum acribus curis, luctu, et timore pariter affici, quamobrem debet quoque esse Morti pariter obnoxius. Imo, in morbis Corporis Animus sæpe insanit, desipit enim, et delira profert: interdum lethargo oppressa in gravem et æternum soporem decidit, clausis oculis et capite nutante; inde fit, quod neque potest audire voces, neque agnoscere vultus illorum, qui circumstant genas et ora lachrymis rorantes (lachrymantes) illumque ad vitam revocare conantur. Fatendum igitur est Animum quoque dissolvi, quoniam morbi contagia et vis in eum penetrant; nam et dolor et morbus est causa mortis, uti multorum hominum interitus nos satis superque olim docuerit. Denique quare, cum acris vis vini penetraverit,

NOTÆ.

458. *Pariterque videmus*] Alii legunt,
—*Pariterque* videtur
Crescere, et (*ut docui*) *simul ævo fessa* fatisci.
non tanti est, priorem tamen lectionem libenter præferam.

460. *Huc accedit, &c.*] Tertio, v. 15. Cum Corpus morbo tentetur, mæror, timor, &c. Animum occupant; at morbo isto Corpus corrumpitur, par igitur est ut Animus mærore corrumpatur. Imo morbis, quorum sedes in ipso Corpore esse omnes confitentur, Mens aliquando attingitur; sic insani Animus delirat, lethargici sopitur: cum vero vis morbi et dolor ad Animum usque penetrent, mortem etiam insequi maxime credendum.

461. *Durumque dolorem*] *Durumque laborem*, alii: quam lectionem non rejicerem, cum v. 367.
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem:
Dolorem vero defendi potest e v. 473.
Nam Dolor, *ac morbus lethi fabricator uterque 'st:*
quamvis aliqui legunt, *pavor*.

465. *Dementit*] Alii, *dementia*. Verbum tamen *dementire* mihi suspectum est, quod a nemine alio, quod sciam, usurpatum est, nisi forte a Lactantio, lib. 4. ubi fortasse pro *dementire* legendum est *dementare*; usitatius enim est *dementare*, eoque utuntur Apuleius, et Tertullianus: *Lambinus*.

467. *Oculis, nutuque cadenti*] Ut *sonitu sonanti*, et *ludo jocanti*. Alii, *vultuque cadenti*. Utrumvis eligas, nullibi vero invenies lethargum venustius depictum.

475. *Denique cur, hominem, &c.*] Quarto, v. 11. ebrium in scenam producit, delirantem, clamantem, cœlum denique cum terra miscentem; cujus, ut neque manus neque pes, ita nec aures nec oculi, neque mens ipsa officium suum faciunt; unde vero hæc omnia, nisi quod spiritus vini agiles et impetuosi per Corpus omne diffusi turbant, agitant, et distrahunt Animum? At quicquid imbelli vi turbari disjicique possit, idem vehementiori impetu corrumperetur.

Acris, et in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas Membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardescit Lingua? madet Mens?
Nant oculi? Clamor, Singultus, Jurgia gliscunt?
480 Et jam cætera de genere hoc quæcunque sequuntur?
Cur ea sunt, nisi quod vehemens violentia Vini
Conturbare Animam consuevit Corpore in ipso?
At quæcunque queunt conturbari, inque pediri,
Significant, (paullo si durior insinuarit
485 Causa) fore ut pereant, ævo privata futuro.
Quinetiam, subita vi morbi sæpe coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
Concidit, et spumas agit, ingemit, et tremit artus,
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
490 Inconstanter et in jactando membra fatigat:
Nimirum, quia vis Morbi distracta per artus
Turbat agens Animum, spumans ut in æquore salso
Ventorum validis fervescit viribus Unda.
Exprimitur porro Gemitus, quia membra dolore
495 Afficiuntur; et omnino quod semina vocis
Ejiciuntur, et ore foras glomerata feruntur,
Qua quasi consuerunt, et sunt munita viaï.
Desipientia fit, quia vis Animi, atque Animaï

et calentes illius spiritus in venas dispergantur, torpent hominis membra? cur crura officium suum non faciunt? lingua non prompte verba promit? mens madet? oculi natant? clamor, singultus, rixæ oriuntur, cætera denique quæ solent ebrietatem consequi? Quare, inquam, illa ita sunt (ebrietatem consequuntur), nisi quoniam acris vis vini in ipso Corpore conturbat Mentem? At vero quæcunque conturbari possunt et impediri, indicant (si vis paulo major et vehementior subierit), futurum esse ut pereant ævo futuro spoliata. Imo nonnunquam aliquis subita vi morbi ante oculos nostros, tanquam fulmine prostratus, cadit, spumas agit, gemit, totos artus contremiscit, delirat, extendit nervos, contorquetur, ægre respirat, membraque sua jugiter et perpetuo jactando fatigat: scilicet, quia vis morbi per artus dispersa conturbat agitatque mentem, ut in mari spumans unda valido procellæ impetu fervescit. Gemitus vero exprimitur, quia membra dolore afficiuntur, et quod semina ista (Atomi) quæ vocem constituunt, ex imo pectore ejiciuntur, et foras per os, qua parte emitti solent, cum impetu feruntur. Delirat vero iste homo vi morbi prostratus, quia Animus et Anima

NOTÆ.

482. *Corpore in ipso*] Tota argumenti vis in his duabus voculis sita est; iis opponet *vi ævo futuro*, v. 485. et *vi aëre aperto*, v. 507. *Faber*.

486. *Quinetiam, subita vi morbi, &c.*] Quinto, v. 23. post ebrium, spectaculum non illepidum, comitiali morbo prostratum, horrendum quidem, et quod nemo libenter spectaret, oculis nostris exhibet, attamen venustas versuum Lucretii facit ut aliqua jucunditate contemplemur; ita enim distendit miserum, ita sua membra jactantem depingit, ut quamvis ingenio male collocato irascamur, artifici tamen ignoscere debemus: comitiali morbo affectus desipit et delirat; desipientia vero ista dissolutionem substantiæ Animi, saltem conturbationem indicat; quod vero in ipso Corpore dissipari possit, quis arbitretur in aperto Aëre (Anima Corpore exsoluta in Aëre degat necesse est) integrum manere? Idem enim diceret Aquam in vase undique conquassato manere posse, quas vase perforato diffunderetur.

490. *Inconstanter*] Al. *incunctanter*.

492. *Spumans ut in, &c.*] Alii, *spumans velut*: alii, *spumantes æquore salso ventorum ut*, &c. Gifanius, *spumantes ut in æquore salso*, et literam *s* in *spumantes* abradit: en litem Grammaticis dignam!

Conturbatur, et (ut docui) divisa seorsum
500 Disjectatur, eodem illo distracta veneno.
Inde ubi jam Morbi se flexit causa, reditque
In latebras ater corrupti Corporis humor,
Tum quasi talipedans primum consurgit; et omneis
Paullatim redit in sensus, animamque receptat.
505 Hæc igitur tantis ubi morbis Corpore in ipso
Jactetur, miserisque modis distracta laboret:
Cur eandem credis sine Corpore in Aëre aperto
Cum validis ventis ætatem degere posse?
Et quoniam Mentem sanari, Corpus ut ægrum, 6.
510 Cernimus, et flecti medicina posse videmus;
Id quoque præsagit mortalem vivere Mentem:
Addere enim parteis, aut ordine trajicere æquum 'st,
Aut aliud prorsum de summa detrahere illum,
Commutare Animum quicunque adoritur, et infit;
515 Aut Aliam quamvis naturam flectere quærit:
At neque transferri sibi parteis, nec tribui vult,
Immortale quod est quicquam, neque defluere hilum:
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
520 Ergo Animus sive ægrescit, mortalia signa
Mittit (uti docui), seu flectitur a medicina:
Usque adeo falsæ rationi vera videtur

conturbantur, et, uti modo docui, semina illorum vi illius malignæ materiæ, in qua situs est hic morbus, distrahuntur. Deinde cum materia ista morbifica e venis recesserit; et ater corrupti Corporis humor in propria sua vasa redierit, tum primum vacillans et debilis a terra surgit, et paullatim sensus omnes, animamque recipit. Cum vero hæc Anima in ipso Corpore tantis morbis jactetur, miserumque in modum distracta sit, cur putes illam a Corpore solutam in aperto Aëre inter vehementes procellas vivere posse, et integram manere? Et quoniam videmus Animum, ut ægrotum Corpus, sanari posse, et medicamentorum vi alterari, inde quoque colligere possumus Animum istum mortalem esse. Quicunque enim conatur alterare Animum aut aliquam aliam rem, vel partes aliquas adjiciat, vel aliquas auferat, vel ordinem, et situm illarum mutet necesse est. At vero quodcunque Immortale est nunquam patietur, ut sibi aliquæ partes addantur, aliquæ detrahantur, aut ut suarum partium situs et ordo commutetur: quodcunque enim alteratur, pristinamque conditionem amittit, desinit esse id quod ante fuit, et prorsus interit. Ergo Animus sive ægrescit, sive a medicamentis alteratur, se, uti probavi, docet mortalem esse: eam aperte vanæ aliorum doctrinæ

NOTÆ.

497. *Qua quasi consuerunt*] Qui elegantiam hujus versus cum Gifanio admirantur, isti sibi habeant. Id novi, istum cum omni sua venustate abesse posse.

503. *Tum quasi talipedans*] *Talipedare* est vacillare pedibus; et quasi talis insistere: *Festus.* Omnes vero codd. *Vacillans.*

507. *Aëre aperto*] In supremis ætheris auris, *Fayus:* ubi viz. nulli flant venti, nullæ sæviunt procellæ. *Acute!*

509. *Et quoniam mentem, &c.*] Sexto, v. 16. animum hunc delirantem et desipientem medicinæ ope restitui posse, et in pristinam sanitatem reduci cernimus; ideo fit aliqua in Animo mutatio; ergo adduntur novæ partes, detrahuntur aliquæ, aut alio ordine particulæ Animi collocantur; omnis enim alteratio fit vel adjectione, vel detractione, vel trajectione particularum. At quod novas partes recipit, quod aliquas amittit, id etiam, cujus partium situs et ordo mutatur, mortale sit necesse est. Sive igitur ægrescit Animus, ut argumenta superius allata probant, sive convalescit, suam mortalitatem confitetur.

511. *Mentem*] Alii, *vitam.*

Res occurrere, et effugium præcludere eunti;
Ancipitique refutatu convincere falsum.
7. 525 Denique sæpe hominem paullatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum:
In pedibus primum Digitos livescere, et Ungueis,
Inde Pedes, et Crura mori; post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia lethi:
530 Scinditur atqui Animæ quoniam natura, nec uno
Tempore sincera existit, mortalis habenda 'st.
Quod si forte putas ipsam se posse per artus
Introrsum trahere, et parteis conducere in unum,
Atque ideo cunctis sensum deducere membris;
535 At locus ille tamen, quo copia tanta Animaï
Cogitur, in sensu debet majore videri.
Qui quoniam nusquam 'st, nimirum, (ut diximus ante)
Dilaniata foras dispergitur; interit ergo.
Quin etiam, si jam libeat concedere falsum,
540 Et dare, posse Animam glomerari in Corpore eorum,
Lumina qui linquunt moribundi particulatim:
Mortalem tamen esse Animam fateare necesse 'st.
Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,
An contractis in se partibus obbrutescat:
545 Quando Hominem totum magis, ac magis undique sensus

repugnat experientia, omne effugium elabi conanti præcludit, falsumque evertit refutatione in utramque partem valente. Deinde frequenter videmus hominem paulatim interire, sensumque vitalem membratim perdere: primum videmus digitos unguesque pedum nigrescere, deinde pedes, et crura mori, deinde frigidæ mortis vestigia per alias partes Corporis sensim serpere sentimus. Quoniam vero Anima discerpitur, nec eodem tempore tota sincera integra et incorrupta, invenitur, credendum est eam mortalem esse. Si vero forsan existimes istam Animam posse se per membra introrsum trahere, et partes suas per Corpus distentas in unum locum conducere, atque ita cunctis membris sensum deducere, locus ille quo tanta Animæ copia coacervatur, debet videri majori sensu præditus: cum vero nullus talis locus inveniri potest, dispersa, ut modo docui, e Corpore ejicitur, ideoque interit. Imo si jam quod falsum tanquam verum admittamus, et concedamus Animos eorum, qui membratim moriuntur, in unum aliquem locum contrahi et coacervari posse, necesse tamen est ut fatearis Animos istos mortales esse. Nec refert utrum per Aëra dispersi pereant, an contractis in se partibus torpescant, et sensum amittant: siquidem sensus hominem magis ac magis (paulatim) destituit,

NOTÆ.

525. *Denique sæpe Hominem, &c.*] Septimo, v. 22. Homines sæpe membratim moriuntur, et sensim exspirant, ideo etiam Anima sensim perit; quis enim dicat Animam, vividam viz. rem et sentientem, in mortuis et sensus expertibus Corporis membris residere: quod si existimes Animam introrsum se recipere e membris moribundis recedentem, cur in istis partibus ubi conglomeratur Anima non vividior apparet sensus? An Anima ita constipata et in angustias redacta vim sentiendi amitteret? cave ne id fatearis, illud enim quod ita contractum interiret, æque mortale est ac quod per Aëra dispersum et distractum volitat.

Ibid. *Cernimus ire*] Al. *cernis obire*: sic v. 532. *Quod si forte putas*, et v. 542. *Fateare necesse 'st.* Versu sequenti quidam legunt, *dispergere.*

544. *Obbrutescat*] Ita hunc versum legit Nonius in voce *brutum*, brutum autem hebes et obtusum.

Deficit, et vitæ minus, et minus undique restat.
Et quoniam Mens est Hominis pars una, locoque 8.
Fixa manet certo, velut Aures, atque Oculi sunt,
Atque alii sensus, qui vitam cunque gubernant;
550 Et veluti Manus, atque Oculus, Naresve seorsum
Secreta a nobis nequeant sentire, neque esse;
Sed tamen in parvo linquuntur tempore tali.
Sic Animus per se non quit sine corpore, et ipso
Esse Homine, illius quasi quod Vas esse videtur;
555 Sive aliud quidvis potis es conjunctius eii
Fingere, quandoquidem connexus corpori adhæret.
Denique Corporis, atque Animi vivata potestas 9.
Inter se conjuncta valent, vitaque fruuntur.
Nec sine Corpore enim vitaleis edere motus
560 Sola potest Animi per se natura, nec autem
Cassum Anima Corpus durare, et sensibus uti:
Scilicet, avolsus radicitus ut nequit ullam

et minus et minus vitæ in illo superest. Et quoniam Animus est una pars hominis, et in certo loco situs est, ut aures, oculi, et alii omnes sensus qui regunt et tuentur animal; et ut manus, oculus, et nares, ab homine separata neque sentire possunt, neque esse, sed tamen in parvo tali tempore linquuntur: sic Animus non potest existere separatus a Corpore hominis, quod est tanquam ejus vas, vel quodcunque aliud excogitare potes illi magis conjunctum, siquidem unitus Corpori adhærit. Denique Corpus et Anima dum unita sunt vigent, et vita fruuntur. Anima enim a Corpore separata et per se existens vitales motus edere non potest, neque Corpus Anima destitutum potest diu existere, et sentire: ut oculus sua sede evulsus et a Corpore separatus rem ullam

NOTÆ.

547. *Et quoniam Mens est, &c.*] Octavo, v. 10. Animus est pars hominis, ut superius v. 94. probatum est, certoque loco continetur, perinde ac nares, et oculi; at oculos effodias, et abscindas nares, nec illi Colores, neque istæ odores percipient. Idem igitur de Anima separata dicendum est, dum illa non sit minus, quam cæteræ partes, Corpori conjuncta.

552. *Sed tamen in parvo, &c.*] Quidam legit, *sed tamen in parvo liquuntur tempore tali*: sed utraque lectio Lambino displicet. Fayus vulgatam lectionem tuetur, et dicit Poetam hoc velle, pedes, oculi, manus, &c. nihil sentiunt, etiamsi vel minimo tempore separata sint a Corpore. Rejicit Gassendus, et profecto hunc versum nescio quis inseruit, ut commoda interpretatione voces istas *neque esse* in præcedenti versu illustraret; nec dubito illum scripsisse,

Sed tamen in parvo liquuntur *tempore* tabi.

557. *Denique Corporis, atque Animi, &c.*] Nonum argumentum, v. 22. continetur. Dum Corpus et Anima conjunguntur, vivit Animal, et sentit; abeat Anima, insensile fit Corpus, pariter Anima a Corpore soluta fit insensilis: Animam dicas oculum Corporis, at quis in effosso oculo visum quærat? Præterea si Animæ semina non cohiberentur venis et nervis, nunquam istis motibus, e quibus sensus oritur, affici possint; omnes enim isti motus certum spatium, et limites definitos postulant. Si vero dicas Animam a Corpore solutam rite ab aëre cohiberi posse, perinde est ac si affirmares aërem esse animalem, quod absurdissimum simul et falsissimum videtur. *Καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος, καὶ ψυχὴ διασκίδναται, καὶ ὑπίστι ἔχει τὰς αὐτὰς δυνάμεις, ὅθι κινοῦνται, ὡς τι ὐδ' αἰσθήσειν πέπληται. Οὐ γὰρ οἷόν τι νοῦν αὐτὸ αἰσθανόμενον μὴ ἐν τούτῳ τῷ συσήματι ταῖς κινήσεσι ταύταις χρώμενον, ὅταν τὰ σιγάζοντα, καὶ περιέχοντα μὴ τοιοῦτα ᾖ, ἐν οἷς νῦν ὐδὰ ἔχει ταύτας τὰς κινήσεις.* Epicurus ad Herodotum.

561. *Cassum*] *Cassum* veteres *inane* posuerunt, et arbitrandum est ejus verbi proprietatem magis ab aranearum *cassibus* dictam, quod sint leves ac nullius ponderis; non ut quibusdam videtur, quasi *quassum*. Plaut. Aul. *Virginem habeo grandem, dote* cassam, *atque illocabilem*. Nonius.

Dispicere ipse Oculus rem seorsum Corpore toto;
Sic Anima atque Animus per se nil posse videntur:
565 Nimirum, quia per venas et viscera mistim,
Per nervos, atque ossa tenentur corpore ab omni.
Nec magnis intervallis Primordia possunt
Libera dissultare, ideo conclusa moventur
Sensiferos motus; quos extra corpus in auras
570 Aëris haud possunt post mortem ejecta moveri:
Propterea quia non simili ratione tenentur.
Corpus enim atque animans erit Aër, si cohibere
Sese Anima, atque in eo poterit concludere motus,
Quos ante in Nervis, et in ipso Corpore agebat.
575 Quare etiam atque etiam resoluto Corporis omni
Tegmine, et ejectis extra vitalibus auris,
Dissolvi sensus Animi fateare necesse 'st,
Atque Animam, quoniam conjuncta est causa duobus.
Denique cum Corpus nequeat perferre Animaï
580 Discidium, quin id tetro tabescat odore:
Quid dubitas, quin ex imo, penitusque coorta
Emanarit, uti Fumus, diffusa Animæ vis?
Atque ideo tanta mutatum putre ruina
Conciderit Corpus penitus; quia mota loco sunt
585 Fundamenta foras animæ, manantque per artus,
Perque viarum omnes flexus, in corpore qui sunt,
Atque foramina? Multimodis ut noscere possis
Dispertitam Animæ naturam exisse per artus;

videre nequit; sic anima separata videtur nihil posse: nimirum quia per venas, ossa, viscera, et nervos dispersa a toto Corpore continetur. Neque illius semina magnis intervallis dissita, et a nullo solido Corpore cohibita concurrere, et mutuo ferire possunt, ideo conclusa moventur motus sensiferos, quos in tenuem aëra post mortem e Corpore ejecta moveri non possunt; quoniam tum non cohiberentur eo modo quo in Corpore cohibentur. Aër enim esset Corpus Animatum, si Anima sese cohibere possit, atque in illo concludere istos motus, quos in nervis et in ipso Corpore conjuncta Corpori peragebat. Quapropter omni tegmine Corporis resoluto, et vitalibus auris extra ejectis, necesse est ut fateare et Animum et Animam, unam enim constituunt substantiam, dissolvi. Denique cum Corpus non potest pati separationem Animæ, quin putrescat, faveat, et corrumpatur, quid dubitas quin Anima ex intimis Animalis partibus excita veluti fumus dispersa e Corpore effluxit? Atque Corpus putre hoc modo labefactatum tanta ruina corruit, quia Animæ fundamenta (semina Animæ intime sita) suis sedibus ejecta, per artus, et per omnes poros, et meatus Corporis emanant. Et hinc multa demonstrant Animæ particulas

NOTÆ.

568, 569. *Moventur sensiferos motus*] Ut ab Horatio dictum est,

Motus moveri gaudet Ionicos
Matura Virgo. Faber.

572. *Atque animans*] Aliis placet, *æque animis.* In sequenti versu *in eo* (viz. aëre) recte legit Faber: id enim tum versus proxime superiores, tum versus proxime inferior,

Quos ante in nervis, &c.

omnino probant.

578. *Atque Animam*] Quidam, *Animæ.*

579. *Denique cum Corpus, &c.*] Decimum argumentum, v. 12. inclusum est. Subducta Anima, quæ in partibus intimis sita est veluti totius animalis fundamentum, Corpus collabascens putrescit, et in pulverem abit. Unde vero ista tanta Corporis ruina, nisi quod Anima quæ membra omnia fulcire et continere videbatur, per poros et meatus Corporis emanarit? quæ vero sic minutim divisa fuit in ipso sui egressu, comparata ad dispersionem videtur.

580. *Quin id*] Improbe, *quin vi.*

Et prius esse sibi distractam Corpore in ipso,
590 Quam prolapsa foras enaret in Aëris Auras?
Quinetiam, fineis dum vitæ vertitur intra, 11.
Sæpe aliqua tamen e causa labefacta videtur
Ire Anima, et toto solvi de corpore membra;
Et quasi supremo languescere tempore voltus,
595 Molliaque exangui cadere omnia Corpore membra:
Quod genus est, Animo male factum cum perhibetur,
Aut Animam liquisse, ubi jam trepidatur, et omnes
Extremum cupiunt vires reprendere vinclum.
Conquassatur enim tum Mens, Animæque potestas
600 Omnis: et hæc ipso cum Corpore conlabefiunt;
Ut gravior paullo possit dissolvere causa.
Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus
Imbecilla foras, in aperto, tegmine dempto,
Non modo non omnem possit durare per ævum,
605 Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur 12.
Ire foras Animam incolumem de Corpore toto,

a se invicem separatas per artus exire, imo in ipso Corpore distractas fuisse, antequam in tenuem aëra emanavit. Imo dum adhuc vivit animal, Anima ab aliqua causa labefactata videtur exire, et omnia Corporis membra dissolvi; vultus quasi supremo tempore languescere, omniaque membra mollia cadere exangui Corpore: quod accidit, cum aliquis deliquium Animæ patiatur, ubi jam vita in dubio est, et id agunt omnes Animalis vires ut ultimum vitæ nexum integrum retinerent. Tum enim Animus et Anima tota conquassantur, et cum ipso Corpore ita labefactantur, ut causa paulo gravior et vehementior dissolvere valeret. Quid deinde dubitas quin e Corpore ejecta imbecillis, sublato tegmine, in aperto aëre, non modo non in æternum integra manere, sed ne per minimum quidem temporis spatium, posset consistere? Nemo quidem moriens experitur Animam suam e toto Corpore integram exire,

NOTÆ.

589. *Prius esse sibi*] Gifanius, *isse sibi*, ut mox *ire Anima*, v. 593. Non sequor.

591. *Quinetiam, fineis—vitæ, &c.*] Undecimum, v. 14. In vulgo vocato Animi deliquio Animæ Animique vis sic fracta est, ut paulo graviore causa incidente plane dissolvenda arguatur: cum vero ita labefactari possit Animus dum Corpus illum tegit et tuetur, quis credat tenuem istam substantiam suo tegmine exutam procellarum et aliarum rerum jugiter incurrentium impetus perferre posse?

594. *Et quasi supremo*] Hunc et sequentem versum multi rejiciunt, nec ego quidem illos injuriarum postulo.

596. *Animo male factum*] Nam apud Plautum et Terentium, *Animo male est* significat *Animi deliquium patior*. Quidam amant, *Quod genus, esse animo*, sed τὸ *est* damnari non debet. *Faber*.

597. *Ubi jam trepidatur*] Ab astantibus; *omnes*, astantes, tota familia, amici; *Fayus*: judicet Lector.

600. *Conlabefiunt*] *Conlabascunt*, Gifanius, viz. existimavit ille Poëtam (O rem ingeniosam) cum infirmum aliquod descripserit, infirmos et vacillantes versus de industria fecisse.

602. *Prodita*] Ex interiore loco procedens; *Festus*.

604. *Non modo non omnem possit*] Alii, *Non modo non* omne incolumis.

606. *Nec sibi enim quisquam, &c.*] Duodecimum, v. 9. Et nequid intentatum relinquat, ad morientes provocat: quis autem morientium experitur Animam suam ab extremis partibus surgentem per os suum integram exire, et non potius in singulis partibus, ut quemlibet sensum in suo organo, deficere? Nec dubitandum est Morientes Animarum dissolutionis conscios esse; alias quid quererentur? Læti profecto deponerent exuvias, ut anguis pellem, vel cervus prælonga cornua.

Nec prius ad jugulum, et superas succedere fauceis,
Verum deficere in certa regione locatam;
610 Ut sensus alios in parti quemque sua scit
Dissolvi: quod si immortalis nostra foret Mens;
Non jam se moriens dissolvi conquereretur:
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut Anguis,
Gauderet, prælonga senex aut cornua Cervus.
615 Denique cur Animi nunquam mens consiliumque
Gignitur in Capite, aut Pedibus, Manibusve; sed unis
Sedibus, et certis regionibus omnis inhæret:
Si non certa loca ad nascendum reddita cuique
Sunt; et ubi quicquid possit durare creatum;
620 Atque ita multimodis pro totis artubus esse,
Membrorum ut nunquam existat præposterus ordo?
Usque adeo sequitur res rem, neque Flamma creari in
Fluminibus solita 'st, neque in Igni gignier Algor.
Præterea, si immortalis natura Animaï 'st,

prius ad jugulum, et deinde ad os ascendere ut tota simul et integra exiret, sed in certa parte corporis sitam ibi deficere et interire; ut unumquemque sensuum aliorum in propria sua sede debilitari sentit, et extingui. Quod si Mens nostra foret Immortalis, non jam cum mors venerit quereretur se dissolvi, sed potius gauderet ire foras, Corpusque quo vestitur relinquere, ut serpens exuvias suas aut annosus cervus sua cornua gestit relinquere. Deinde cur ratio Animi et consilium (Animus ipse) nunquam producitur in capite, pedibus, aut manibus (cur non caput, pedes, aut manus sint Animi sedes), sed tota ratio certis quibusdam sedibus et partibus Corporis collocatur; si non certa quædam essent assignata loca, ubi res quælibet produci possit, et producta ætatem agere, istaque certa loca omnium variorum artuum ita vicem sustinerent, ut nullus accidat in Corpore præposterus membrorum ordo? Tam certo res rem sequitur, neque ignis in aqua, neque glacies in igne produci solet. Præterea si Anima sit Immortalis,

NOTÆ.

608. *Succedere*] *Sursum cedere* et *ascendere*; lib. 2. v. 204.

—*Per auras*
Aëris expressæ sursum succedere.

Al. *Accedere.*

613. *Ut anguis*] Virgilius,

Qualis ubi in lucem coluber *mala gramina pastus,*
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis, nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectora tergo
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.

De cervis vero Plinius, Nat. Hist. lib. 8. c. 32. *Cornua mares habent, solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt.*

615. *Denique cur Animi nunquam mens, &c.*] Decimum tertium, v. 9. Olim docuit pectus esse Animi sedem, et jam inde concludit, illam ita pectori esse alligatam ut extra istud degere non possit: Animum in aëre existentem quæras, et flammam in aqua, gelu in ignibus expectes.

617. *Omnis inhæret*] Codd. *Omnibus hæret*; et Gifanius, *Omnis hæret.*

620. *Atque ita multimodis*] Hunc cum sequenti versu Lambinus, Gassendus, alii rejiciunt; Gifanius retinet; illum sequitur Fayus, et dicit Lambinum delere hos versus sine ratione, namque recte conferunt ad rem, ut patet ex ipsorum interpretatione nostra: en bellam interpretationem! *Et ita fieri, ut nunquam ordo artuum sit perversus variis modis secundum varia omnia membra.* Aliam apposui, quæ mihi ipsi non placet. Codd. exhibent, *par totis*: *pro totis*: *in totis*: *de totis.*

624. *Præterea si immortalis, &c.*] Decimum quartum, v. 10. Animam separatam et immortalem concipe, substantiam sentientem concipies, ergo quinque sensibus ornatam; at unde sensus, cum sensuum organa, oculi, nares, manus, lingua, aures, in derelicto Corpore putrescant?

625 Et sentire potest secreta a Corpore nostro;
Quinque (ut opinor) eam faciendum 'st Sensibus auctam:
Nec ratione alia nosmet proponere nobis
Possumus infernas Animas Acherunte vagare.
Pictores itaque, et Scriptorum sæcla priora
630 Sic Animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsum Oculi, neque Nares, nec Manus ipsa
Esse potest Anima, neque seorsum Lingua, nec Aures
Absque anima per se possunt sentire, nec esse.
Et quoniam toto sentimus Corpore inesse
635 Vitalem sensum, et totum esse animale videmus,
Si subito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut seorsum partem secernat utramque;
Dispertita proculdubio quoque vis Animaï,
Et discissa simul cum Corpore disjicietur:
640 At quod scinditur, et parteis discedit in ullas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.
Falciferos memorant currus abscindere membra

et a Corpore nostro separata sentire potest, debemus illam donare, uti existimo, quinque sensibus, nec possumus concipere Animas apud Inferos nisi his quinque sensibus instructas ætatem agere: pictores igitur et veteres scriptores nobis exhibuerunt Animas his quinque sensibus præditas. At neque oculi, neque nares, neque manus, neque lingua, neque aures (quinque sensuum organa et instrumenta) separatæ Animæ inesse possunt. Et quoniam sentimus in toto Corpore inesse vitalem sensum, et totum Corpus esse animatum; si vis aliqua subito ictu irruens Corpus istud medium diviserit, et separaverit utramque partem, proculdubio Anima etiam discissa et divisa una cum Corpore dispergetur: at quod scinditur et in ullas partes dividitur, illud profecto negat se immortalem naturam habere. Fertur, currus armatos falcibus multo

NOTÆ.

633. *Absque Anima per se possunt, &c.*] Codd. *Auditum per se possunt;* auditum i. e. sonum, seu rem auditam; Gifanius. Salmasius in Epictetum et Simplicium, p. 324. ex optimo et vetustissimo codice illustrissimi Vossii hos versus ita legit,

At neque seorsum oculi, neque nares, nec manus ipsa
Esse potest Anima, neque seorsum lingua, neque Auris
Auditum *per se possunt sentire, neque esse.*

Auris auditum dixit pro auditu. Quid sibi velit magnus ille vir, alii conjiciant. Aliquid e textu Lucretiano excidisse existimavit Lambinus, cum videret argumentum non plane explicatum fuisse. Atque ideo subjungit,

Nec sensus ipsi seorsum consistere possunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Lingua, nec possunt per se sentire, neque esse.

At quid tres novi versus fingendi sunt, ut unum prorsus inutilem retineamus? Delestum,

Absque Anima per se possunt sentire nec esse:

in præcedenti versu lege,

Esse potest Animæ, &c.

atque argumentum erit integrum, et satis explicatum.

634. *Et quoniam toto sentimus, &c.*] Decimum quintum v. 36. Quoniam Anima per totum Corpus fusa sit, scindi mediam necesse est, si Corpus medium raptim scindatur: si, exempli causa, falcifero curru præcidatur militis membrum, Animam una sectam arguit partis resectæ motio, quam fuse et ornate describit Poeta, quæ etiam clarius in partibus sectæ serpentis observatur. Fatendum est igitur plures animas esse in uno animali, homine viz. aut serpente, et aciem ferri, temere licet impacti, membra istius animalis tam accurate partiri, ut singulis Animabus suæ sedes relinquerentur: quæ tamen nemo sanus dixerit. Vel concedendum est; Unam Animam per totum corpus Animalis fusam in multas partes discissam, et proinde mortalem esse.

Sæpe ita desubito permista cæde calenteis,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
645 Decidit abscissum; cum Mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simul in pugnæ studio quod dedita Mens est,
Corpore cum reliquo pugnam, cædeisque petissit;
Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe
650 Inter equos abstraxe rotas, falceisque rapaceis:
Nec cecidisse alius dextram, cum scandit, et instat.
Inde alius conatur adempto surgere crure,
Cum digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput abscissum calido, viventeque trunco,
655 Servat humi voltum vitalem, oculosque patenteis,
Donec relliquias Animaï reddidit omneis.
Quin etiam tibi si lingua vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore, utrinque
Sit libitum in multas parteis discindere ferro;
660 Omnia jam seorsum cernes amcisa recenti
Volnere tortari, et terram conspergere tabo,
Ipsam seque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morsu premat icta dolore.
Omnibus esse igitur totas dicemus in illis
665 Particulis Animas? at ea ratione sequetur,

varioque sanguine fumantes frequenter artus militum tam cito abscindere, ut pars illa, quæ a reliquo corpore abscissa in terram decidit, tremere videatur; cum tamen Animus hominis dolorem a vulnere inopinato et tanta celeritate inflicto sentire non possit: et pariter quia Animus sit pugnæ potissimum intentus, cum reliquo Corpore in pugnam et cædem ruit, neque sæpe novit falces rapaces rotasque inter equos abstraxisse sinistram una cum clypeo abscissam. Nec alius sentit dextram suam ereptam cum ascendat muros, et hostem urgeat: inde etiam alius abscisso crure surgere conatur, cum pes moribundus juxta humi jacens digitos movet: et caput amputatum, vivente adhuc et calente trunco, vitalem vultum oculosque patentes humi servat, donec omnes Animæ reliquias amiserit. Imo si tibi libeat longam serpentem vibranti lingua minantem in multas partes dividere, videbis singulas partes recenti ictu separatas tortari, et terram sanie aspergere; et ipsam serpentem vehementi dolore vulneris afflictam, caput suum retro torquere, ut dentibus apprehendat partem olim reliquo Corpori conjunctam. Dicemus igitur totas esse, atque integras Animas in singulis istis particulis? at inde sequeretur

NOTÆ.

643. *Desubito*] Sic lib. 2. v. 265.
Vim cupidam tam de-subito, *quam mens avet ipsa.*
de curribus falciferis iterum Lucretius, lib. 5. v. 1300.

647. *In pugnæ studio—dedita*] Lib. 4. v. 813.
Præterquam quibus *est* in rebus deditus *ipse:*
Et Catullus,
In mala
Deditus *Vir* adultera.

648. *Petissit*] Antiqui *petissere* dicebant pro *petere*, ea quidem forma verbi qua sunt *lacessere*, et *incessere*, sed ut mihi videtur, tum significabant *sæpius petere*, ut *petissant* sæpius petant. *Festus.* Cicero; *Qui hanc laudem* petissunt *nullum fugiunt dolorem.*

650. *Abstraxe*] Sic lib. 1. v. 986. *Confluxet.*

658. *Caudam procero corpore*] Caudam longam et proceram; *Lambinus:* alii tamen legunt,
——*Minacem*
Serpentem, et Caudæ procero Corpore.

660. *Amcisa*] *Am* olim ex ἀμφὶ pro *circum* dicebant, exempla innumera in vocibus compositis; *Faber.*

Unam animantem Animas habuisse in Corpore multas.
Ergo divisa 'st ea, quæ fuit una simul cum
Corpore, quapropter Mortale utrumque putandum 'st,
In multas quoniam parteis discinditur æque.
670 Præterea, si immortalis natura Animaï /6.
Constat, et in Corpus nascentibus insinuatur;
Cur super anteactam ætatem meminisse nequimus?
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere 'st Animi mutata potestas,
675 Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum;
Non (ut opinor) id ab letho jam longiter errat.
Quapropter fateare necesse 'st, quæ fuit ante,
Interiisse: et quæ nunc est, nunc esse creatam.
Præterea, si jam perfecto corpore nobis /7.
680 Inferri solita 'st Animi vivata potestas,
Tum cum gignimur, et vitæ cum limen inimus:
Haud ita conveniebat, uti cum Corpore, et una
Cum membris videatur in ipso sanguine crêsse;
Sed velut in cavea, per se sibi vivere solam
685 Convenit, ut sensu Corpus tamen affluat Omne.
Quare etiam atque etiam nec originis esse putandum 'st
Experteis Animas, nec lethi lege solutas.

Unum singulare Animal in suo corpore multas Animas continere: Anima igitur ista quæ una est uni Corpori conjuncta una cum Corpore dividitur: utrumque igitur æque mortale existimandum est, quoniam utrumque æque dividitur in multas partes. Præterea, si Anima nostra sit immortalis, et in Corpus hominis nascentis infundatur, quam ob causam vitæ anteactæ memores non simus? cur nulla gestarum rerum vestigia tenemus? Si enim Anima tantopere labefactata sit, ut omnis memoria rerum anteactarum penitus evanuerit, illa, uti existimo, a morte non longe abest: quapropter necesse est ut fateare, illam Animam quæ ante fuit, periisse, illam vero quæ nunc est, nunc creatam esse. Præterea, si jam perfecto et absoluto nostro Corpore Anima tum solet infundi, cum nascimur, et ingredimur in vitam, tum profecto non una cum Corpore in membris in ipso sanguine crevisse, sed potius per se velut in cavea vivere videretur, ita tamen ut totum Corpus sensu aspergat. Omnino igitur credendum est Animas (nasci et mori) non esse originis expertes, neque a mortis lege solutas.

NOTÆ.

670. *Præterea, si immortalis, &c.*] Decimum sextum, v. 9. Si Anima sit immortalis, si ante perfectum Corpus integra existens (ea erat Pythagoræ et Platonis sententia), in Corpus tandem infundatur: cur nemo (uno Pythagora excepto) anteactæ vitæ recordetur? Quod si Anima isto in Corpus ingressu omnem recordationem amiserit, quidni res tantopere vitiata, sit ulteriori corruptioni, morti obnoxia?

674. *Mutata*] Al. *vitiata;* et in sequenti versu,

Omnium ut actarum, &c.

675. *Retinentia*] Vox μονήρης neque enim alibi quam apud Lucretium invenitur. *Faber*. Infra, v. 863. *repetentia*, eaque voce Arnobius in lib. 2. utitur.

676. *Longiter*] Ita Charisius, Inst. Gram. l. 2. p. 183.

679. *Præterea, si jam perfecto, &c.*] Decimum septimum, v. 18. Si Anima inferretur in Corpus perfectum, id sic deberet fieri ut in ipso degeret, quasi Avis in cavea, non ut videretur cum eo crescere, atque ita contexi, ut inde exire non potis sit incolumis, proderet se ortui atque interitui obnoxiam.

681. *Limen inimus*] Alii, *lumen adimus*.

685. *Convenit, &c.*] Hunc versum delet Lambinus, Gassendus, alii: plures retinent. Sine illo quidem argumentum est satis explicatum, et forsan, *affluat omne corpus sensu* Latium non agnoscit.

Nam neque tantopere adnecti potuisse putandum 'st
Corporibus nostris extrinsecus insinuatas:
690 Quod fieri totum contra manifesta docet res.
Namque ita connexa 'st per Venas, Viscera, Nervos,
Ossaque, uti Dentes quoque sensu participentur;
Morbus ut indicat, et gelidaï stringor aquaï,
Et lapis oppressus sub dente e frugibus asper:
695 Nec tam contextæ cum sint, exire videntur
Incolumes posse, et salvas exsolvere sese
Omnibus e Nervis, atque Ossibus, Articulisque.
18. Quod si forte putas extrinsecus insinuatam
Permanere Animam nobis per membra solere,
700 Tanto quæque magis cum corpore fusa peribit;
Quod permanat enim, dissolvitur: interit ergo.
Dispertitur enim per caulas Corporis omneis:
Ut cibus in membra atque artus cum diditur omneis,
Disperit; atque aliam naturam sufficit ex se:
705 Sic Anima, atque Animus quamvis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando dissolvuntur;
Dum quasi per caulas omneis diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc Animi natura creatur,
Quæ nunc in nostro dominatur Corpore nata
710 Ex illa, quæ tunc peritat partita per artus.

Præterea non credendum est, Animas in Corpora nostra extrinsecus infusas omnibus Corporum partibus tam accurate conjungi potuisse; ipsa tamen experientia demonstrat illas esse ita conjunctas: namque ita unitæ sunt venis, visceribus, nervis, et ossibus, ut dentes ipsi fiant sensus participes; ut dolor dentium, frigidæ aquæ stringor, et lapis asper subito de pane expressus satis ostendunt. Insuper, dum Animæ sint ita omnibus partibus Corporis intextæ, vix credibile est illas exire posse integras, et sese salvas exolvere e nervis omnibus, ossibus, et articulis. Si vero existimes Animam extrinsecus infusam per omnia Corporis nostri membra diffundi, exinde sequetur eam mortalem esse et perire, quod enim diffunditur per aliquod Corpus, dissolvitur, atque ideo perit; nam dispergitur per omnes meatus Corporis: ut cibus cum per omnes artus distribuitur, propriam suam naturam amittit, et aliam substantiam a se prorsus diversam constituit, sic Anima quamvis integra in Corpus ingressa est dum per omnes meatus Corporis diffunditur, dissolvitur; quoniam per omnes istos meatus ad singula membra deferuntur particulæ e quibus componitur hæc Anima, quæ nunc in Corpore nostro dominatur, nata ex illa Anima quæ tunc periit, cum per singulos artus fuerit distributa:

NOTÆ.

693. *Stringor aquaï*] Frigus aquæ quo dentes perstringuntur, cum aqua frigida bibatur.

694. *Et lapis oppressus, &c.*] Omnes codd. *Oppressus subitis e frugibus*: Unde quidam *subito de frugibus*. Faber, *subitis offractibus*. Legi tamen potest,

Et lapis expressus *subito de frugibus asper*.

698. *Quod si forte putas, &c.*] Decimum octavum, v. 15. Formetur igitur extra Corpus, ut isti volunt, Anima, et demum infundatur; dum per varios flexus et meatus Corporis diffusa sit, necesse est ut mutetur, situs et ordo partium mutetur, tota denique substantia distrahatur. Quælibet enim res tot fistulas, tot meatus et foramina quot in corpore sunt, permanet, eamque multis modis distractam senties? alimentum considera, dum per venas, aliosque ductus ad singula Corporis membra defertur, deposita priori forma aliam prorsus diversam induit: credendum ideo Animam quoque parem mutationem subiturum esse, et proinde mortalem.

700. *Tanto quæque*] *Tanto nempe*, Faber.

710. *Peritat*] Al. *periit*.

Quapropter neque natali privata videtur
Esse die natura Animæ, neque funeris expers.
Semina præterea linquuntur, necne, Animaï
Corpore in exanimo? quod si linquuntur, et insunt,
715 Haud erit, ut merito immortalis possit haberi;
Partibus amissis quoniam libata recessit.
Sin ita sinceris membris ablata profugit,
Ut nullas parteis in Corpore liquerit ex se:
Unde cadavera rancenti jam viscere vermeis
720 Expirant? atque unde animantum copia tanta
Exos, et exsanguis tumidos perfluctuat artus?
Quod si forte Animas extrinsecus insinuari
Vermibus, et privas in corpora posse venire
Credis, nec reputas cur millia multa Animarum
725 Conveniant, unde una recesserit: hoc tamen est ut
Quærendum videatur, et in discrimen agendum;
Utrum tandem Animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur ubi sint,
An jam corporibus perfectis insinuentur.
730 At neque, cur faciant ipsæ, quareve laborent,
Dicere suppeditat, neque enim, sine corpore cum sunt,
Sollicitæ volitant morbis, algoque, fameque.
Corpus enim magis his vitiis adfine laborat;

Quapropter Anima (nascitur et moritur) neque originis neque mortis expers est. Præterea, in exanimi Corpore quædam particulæ Animæ remanent, necne? Si remanent in cadavere, non dicendum est Animam esse immortalem, cum amissis quibusdam et in cadavere relictis partibus deminuta exierit; si vero cum omnibus suis partibus adeo integra recesserit, ut nullas particulas in cadavere reliquerit, unde cadavera vermiculos e visceribus jam putridis effundunt, unde tanta multitudo animalium quæ nec ossa, nec sanguinem habent per membra tumescentia repunt, et volvuntur? Quod si forsan existimes Animas extra formatas in vermiculos infundi, et singulas singulis corporibus conjungi, nec consideres quam ob causam multa Animarum millia illuc convenirent, unde una tantum recesserit; illud tamen inquirendum et discutiendum videtur, utrum Animæ singula semina vermiculorum inquirant, et ipsæ sibi ædificent domicilia, ubi vivant; vel infundantur in Corpora jam perfecta et absoluta. Nulla vero est ratio cur ipsæ sibi ædificent domicilia, et laborent, non enim, cum sint sine Corpore, morbis, fame, aut frigore afficiuntur; his enim malis Corpus solum proprie afficitur,

NOTÆ.

713. *Semina præterea linquuntur, &c.*] Decimum nonum, v. 28. Si Anima discedens e Corpore quasdam sui particulas in eo relinquat, dissolubilem arguunt delibatæ particulæ: si non relinquat, reddi causa nequeat quamobrem tot vermes gignantur in cadavere; cum dicere quidem tot Animas eo confluere extrinsecus unde una excesserit, perabsurdum sit, ac magis adhuc, dicere unamquamque aut deligere semina, ex quibus fabricetur sibi Corpus proprium, ut ea patiatur incommoda, quæ sine Corpore esse nequeunt, aut subire in Corpus jam elaboratum, cum quo connecti intime, et consentire non valeat.

717. *Sinceris membris*] *Sincera ex membris;* Faber: non enim id agitur nunc, *utrum cum Anima abit, integra manent membra,* (quis enim ea de re unquam dubitet?) *sed utrum Anima, cum abit, deminuta sui parte, et libata recedat.*

732. *Algoque*] Ita Nonius, contra quem alii pro *Algu* pugnant.

733. *Vitiis adfine*] Cicero, affinis *facinori et turpitudini. Noxæ* affinis; *Livius.*

Et mala multa Animus contage fungitur ejus.
735 Sed tamen his esto quamvis facere utile Corpus,
Cum subeant; at qua possint, via nulla videtur:
Haud igitur faciunt Animæ sibi corpora, et artus.
Nec tamen est ut jam perfectis insinuentur
Corporibus: neque enim poterunt subtiliter esse
740 Connexæ; neque consensu contagia fient.
20. Denique cur acris violentia triste Leonum
Seminium sequitur; dolu' Volpibus, et fuga Cervis
A patribus datur, et patrius pavor incitat artus?
Et jam cætera de genere hoc, cur omnia membris
745 Ex ineunte ævo ingenerascunt, inque genuntur,
Si non certa suo quia semine seminioque
Vis Animi pariter crescit cum corpore toto?
Quod si immortalis foret, et mutare soleret
Corpora, permistis animantes moribus essent:
750 Effugeret Canis Hyrcano de semine sæpe
Cornigeri incursum Cervi, tremeretque per auras

Animusque illius contagione multa incommoda patitur: sed concedatur utile esse istis Animabus ædificare Corpus quod incolerent, via tamen nulla videtur, qua id possint facere. Animæ igitur sibi Corpora non fabricantur; nec in Corpora jam perfecta et absoluta infunduntur, tum enim non tam accurate essent singulis partibus unitæ, neque ita Corpus et Anima consentirent, et motus vitales sibi invicem mutuo impertirent. Denique cur sæva feritas omni leonis proli insit, cur astutia vulpibus a parentibus datur, cur fuga cervis, et cur pavor a parentibus derivatus eos in fugam conjicit? Cur, inquam, hæ, similesve affectiones omnibus animalibus a tenera ætate competunt, et innatæ videntur, si non quia certa Anima ex certo semine nascitur, et una cum toto Corpore crescit? Si vero Anima esset immortalis, et ab uno in aliud Corpus transire soleret, tum ejusdem generis Animalia haberent diversos mores; canis Hyrcanus sæpe fugeret cervi cornigeri impetum,

NOTÆ.

734. *Contage*] Seu *contagi*, perinde est. Sic lib. 4. v. 336. *Quæ* contage *sua palloribus omnia pingunt.*

735. *Quamvis—utile*] Quantumvis utile.

736. *Cum subeant*] *Quod subeant:* Faber; recte: olim enim ita scriptum, inde *quom*, et tandem *cum*.

741. *Denique cur acris violentia, &c.*] Vigesimum, v. 29. Si Animæ istæ immortales toties hactenus commutassent animalium Corpora (Pythagoram et Platonem urget), deberet sensim esse immutata animalium indoles: sicque jam leo esset non ferox, cervus non timidus, vulpes non dolosa, jam canis cervum fugeret, accipiter columbam, bruta saperent, et homines desiperent; quippe anima columbæ accipitri, anima bruti homini, et vice versa, sæpe jungeretur. Siquis vero dicat Animarum indolem una cum Corporibus mutari, easque cujuscunque generis sint, inducre eos mores, qui istis Corporibus conveniant, nihil amplius requirimus: quicquid enim mutari potest, illud mortale est, cum in omni mutatione sit partium trajectio, atque ideo dissolutio. Sin vero affirmet Animas, exempli causa, Humanas immigrare solum in humana Corpora, cur illa Anima, quæ modo in homine adulto sapiens vixit, in puerum infusa desipit? An in tenero Corpore tenerascit Animus? tum mutatur; et nemo sanus asseret rem tantopere mutatam immortalem esse.

741, 742. *Triste—seminium*] Crudele, noxium; Virgilius, Ecl. 3.

Triste *lupus stabulis, maturis frugibus imbres.*

745. *Inque genuntur*] Ita Lambinus: codd. tamen *ingenioque*. *Ingeneruscunt* habet aliquid latius, et quod ad speciem magis pertinet; at *ingenuntur* ad singularia, seu individua, ut vocant; *Faber*.

747. *Corpore toto*] Rectius ille qui legit, *Corpore quoque*, ut v. 770.

Aëris Accipiter fugiens veniente Columba:
Desiperent Homines, saperent fera sæcla Ferarum.
Illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt,
755 Immortalem Animam mutato Corpore flecti.
Quod mutatur enim, dissolvitur: interit ergo.
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant:
Quare dissolvi quoque debent posse per artus,
Denique ut intereant una cum Corpore cunctæ.
760 Sin Animas hominum dicent in Corpora semper
Ire humana, tamen quæram cur e sapienti
Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus;
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis?
Si non certa suo quia semine, seminioque
765 Vis Animi pariter crescit cum Corpore toto.
Scilicet in tenero tenerascere Corpore Mentem
Confugient; quod si jam fit, fateare necesse 'st,
Mortalem esse Animam, quoniam mutata per artus
Tantopere amittit vitam, sensumque priorem.
770 Quove modo poterit pariter cum Corpore quoque
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis Animi, nisi erit consors in origine prima?

et accipiter columbam per aëra delapsam timeret, et evitare conaretur: homines sine ratione viverent, bruta vero saperent. Illud enim falsum et absurdum est quod dicunt, Animam immortalem mutato Corpore mutari, nam quod mutatur, dissolvitur, et proinde perit; partes enim transponuntur, et situm mutant, quare debent quoque dissolvi posse per artus, denique ut intereant una cum Corpore cunctæ. *Sin autem dicant Animas Humanas semper migrare in Corpora Humana: tum inquiram, quare Anima modo sapiens repente fit stulta, et quare nullus puer sit prudens; et quare pullus equæ non sit tam doctus quam fortis equus? si non quia certa Anima ex certo semine nascatur, et pariter crescat cum unoquoque Corpore. Forsan vero dicent mentem teneram fieri in tenero Corpore; si vero id sit, necesse est ut fateare Animam mortalem esse, quoniam dum in Corpus infunditur mutata virtutem et sensum quo ante fruebatur, amittit. Aut quo denique modo cuperet Anima, una cum Corpore adolescere, et ad summum ætatis florem pervenire, nisi una cum Corpore nasceretur?*

NOTÆ.

758. *Quare dissolvi quoque, &c.*] Deletis duobus hisce versibus, integra foret sententia, et argumentum satis explicatum.

767. *Confugient*] Al. *confingent*: Lambinus, *non fugient*, id est, non poterunt negare. Hoc enim significat Lucretius, non poterunt negare mentem esse teneram in tenero Corpore, verbi causa, mentem pueri bimuli, aut trimuli non poterunt negare esse teneram et imbecillam: quod si verum sit, mentem modo robustam in tenero Corpore teneram fieri; ergo mortalis est. Et hæc suadent, ut malim, *non fugient*, ferri tamen potest *confugient*; cum enim alii dicant, v. 755. *Animam mutato Corpore flecti*, cur non alii ut vim argumentorum evitarent, *Animum in tenero Corpore tenerascere*, docerent? Et ista voce *scilicet* sæpe utitur Poeta cum adversario effugium velit præcludere.

770. *Quove modo poterit, &c.*] Post pugnam summis viribus magnaque Animi intentione depugnatam, et fugatos, uti opinatur, adversarios, argumenta quædam levis armaturæ tanquam ad prædam colligendam emittit. Primum autem, v. 7. inquirit unde Anima adultum Corpus tam impotenter deperiret, et votis suis omnibus optaret? Unde etiam membra senio confecta fugeret, et exire properaret? Immortalis enim sit, et nunquam teneri Corporis imbecillitatem, aut senescentis ruinam metuet.

772. *Vis Animi, &c.*] Hunc versum quidam codd. non agnoscunt.

Quidve foras sibi vult membris exire senectis?
An metuit conclusa manere in Corpore putri?
775 Et domus ætatis spatio ne fessa vetusto
Obruat? at non sunt Immortali ulla pericla.
2. Denique connubia ad Veneris, partusque ferarum
Esse Animas præsto, deridiculum esse videtur;
Et spectare immortaleis mortalia membra
780 Innumero numero, certareque præproperanter
Inter se quæ prima, potissimaque insinuetur:
Si non forte ita sunt Animarum fœdera pacta,
Ut, quæ prima volans advenerit, insinuetur
Prima, neque inter se contendant viribus hilum.
3. 785 Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes esse queunt, nec Pisces vivere in arvis,
Nec Cruor in lignis, nec saxis Succus inesse;
Certum ac dispositum 'st, ubi quicquid crescat, et insit:
Sic Animi natura nequit sine Corpore oriri
790 Sola, neque a nervis, et sanguine longius esse.
Hoc si posset enim, multo prius ipsa Animi vis
In Capite, aut Humeris, aut imis Calcibus esse
Posset, et innasci quavis in parte soleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret.

Aut quam ob causam e membris senio confectis exire cupit et properat? An metuit, ne in putri Corpore inclusa jaceret, ne domicilium quod incolit longa ætate dehiscens obrueret? At quod Immortale est, est omnis periculi immune. Deinde ridiculum prorsus videtur dicere, Animas præsto esse ad coitus, partus ferarum observare, et cum immortales sint catervatim expectare mortalia membra, et vehementer inter se contendere, quæ prima ingrederetur; nisi forte istæ Animæ hæc inter se fœdera inierint, ut quæ prima advolaverit, prima etiam ingrederetur, ideoque inter se minime certarent. Denique in aëre arbor, in profundo mari nubes non possunt esse, pisces in agris vivere nequeunt; nec sanguis in ligno, nec succus in saxis esse potest. Certum et definitum est ubi unaquæque res crescat, et existat. Sic Anima non potest sine Corpore sola oriri, neque a nervis et sanguine separata existere. Hoc enim si possit, anima potius in capite, humeris, aut imis calcibus, imo in quavis parte Corporis oriri videretur, et tandem per totum hominem diffundi.

NOTÆ.

773. *Membris—senectis*] Sic lib. 5. v. 884.

Sic ubi equum validæ vires ætate senecta
Membraque deficiunt——

Et v. 894.

—*Neque proficiunt ætate* senecta.

Salustius,

Omnes quibus senecto *Corpore Animus militaris erat.*

776. *Non sunt immortali*] Al. *Non sunt jam immortali.*

777. *Denique connubia ad Veneris, &c.*] Secundum, v. 8. docet ridiculum esse credere Animarum quasi examen circumstare ad coitus, partusque Animalium, et de insinuatione in Corpus inter se mutuo contendere, nisi forte conventum sit, ut primo advenientis sit conditio potior.

785. *Denique in æthere non Arbor, &c.*] Tertium, v. 16. observat, quod ut certa nascendi, crescendi, existendique regio definita sit rebus cæteris, ita quoque Animo ipsi, ac proinde non magis possit extra Corpus, in quo nascitur, crescit et existit, degere, quam piscis extra aquam, quam arbor in aëre, aut in mari nubes. Quod vero cum toto Corpore nascatur, crescat, et existat Anima, minime dubitandum est, quippe alias Anima modo in capite, modo in humeris, imo calcibus formari, et inde per totum Corpus sensim diffundi sentiremus.

790. *Longius*] Al. *longiter.*

794. *Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret*] Hunc versum neg-

795 Quod quoniam in nostro quoque constat Corpore certum
Dispositumque videtur, ubi esse, et crescere possit
Seorsum Anima, atque Animus: tanto magis inficiandum
Totum posse extra Corpus durare, genique.
Quare, corpus ubi interiit, periisse necesse 'st
800 Confiteare animam distractam in Corpore toto.
Quippe etenim Mortale Æterno jungere, et una
Consentire putare, et fungi mutua posse,
Desipere 'st: quid enim diversius esse putandum 'st,
Aut magis inter se disjunctum, discrepitansque,
805 Quam, Mortale quod est, Immortali, atque perenni
Junctum, in concilio sævas tolerare procellas?
Præterea, quæcunque manent Æterna, necesse 'st,
Aut quia sunt Solido cum corpore respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
810 Dissociare intus parteis; ut Materiaï
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante;
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,

Quoniam vero certum et definitum sit in nostro Corpore ubi seorsum Anima et Animus oriri et crescere possit, eo vehementius negandum est Totum (Animam et Animum) produci posse atque existere extra Corpus: qua propter confitendum est, ubi Corpus periit, Animam etiam perire per totum Corpus diffusam, et una cum illo dissipatam. Præterea, affirmare Rem Mortalem Immortali connecti, mutuo agere, mutuoque pati posse, est plane ineptire; quid enim absurdius, quid ineptius dici aut excogitari potest, quam rem Mortalem Immortali et Æternæ rei unitam esse multis incommodis obnoxiam? Præterea, quodcunque æternum et immortale est, necesse est ut vel perfecte solidum sit, ita ut nulla vis frangere, nulla inter partes ejus se insinuare et earum unionem dissolvere valeret; qualia sunt Prima Materiæ Corpora (Atomi) quorum naturam superius docuimus: aut ideo æternum est quia est intactile,

NOTÆ.

ligunt interpretes, Faber legit,

Tandem in toto homine, aqua ut in toto *vase maneret.*

Est quidem in illo versu anapæstus, sed ejus libertatis tot exempla sunt apud Lucretium, Virgilium, cæterosque Poetas, præsertim vetustiores, ut iis proferendis supersedendum existimem. Ratio autem ita legendum suadet, cogit; nam ex falsa suppositione, *Anima primo in capite, humeris, aut imis calcibus esset, tandem in toto homine, uti aqua in toto vase maneret.* Quemadmodum aqua quæ infunditur primo partem infimam vasis, mox mediam, denique totum vas impleret. Hæc Faber. Quæ ingeniose quidem excogitata a veterum codd. scriptura quam maxime absunt; et rejiciendus potius est iste versus, qui nihil profecto hic loci agit, quam talis emendatio admittenda. Aliquis tamen legit,

Tandem in eodem homine, atque in eodem vase manere;

viz. *soleret manere in eodem vase,* id est, in capite, humeris, aut calcibus: omnia displicent.

801. *Quippe etenim Mortale, &c.*] Quintum, v. 6. asserit summam esse dementiam putare res adeo diversas ac sunt Immortale et Mortale conjungi posse, et Rem Mortalem (Corpus) quæ cum separata sit a Re ista immortali (Anima) nullis incommodis aut malis objiciatur, unitam immortali tot doloribus et molestiis, quot homines quotidie experiuntur, affici.

807. *Præterea, quæcunque manent, &c.*] Sextum, v. 23. ita se habet. Nihil est Æternum et Immortale, nisi aut ob soliditatem, ut Atomus; aut quia plagæ est expers, ut Inane; aut quia nullus est locus ex quo Corpora advenientia diffringant, aut in quem partes illius solutæ excedant, ut (τὸ πᾶν) Universum. Anima vero tale nihil est; nam res est composita e seminibus, atque ideo non perfecte solida: non est Inane, quia afficit Corpus, et ab illo vicissim afficitur: animam vero τὸ πᾶν (Universum) esse nemo dixit; Anima igitur est mortalis.

Plagarum quia sunt expertia, sicut Inane 'st;
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
815 Aut ideo, quia nulla loci sit copia circum,
Quo quasi res possint discedere, dissoluïque;
Sicut Summarum Summa 'st æterna, neque extra
Quis locus est, quo diffugiat, neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et valida dissolvere plaga:
820 At neque (uti docui) Solido cum corpore Mentis
Natura 'st, quoniam admistum 'st in rebus Inane:
Nec tamen est ut Inane: neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Proruere hanc Mentis violento turbine molem,
825 Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porro natura Loci, spatiumque Profundi
Deficit, exspergi quo possit vis Animaï,
Aut alia quavis possit vi pulsa perire:
Haud igitur lethi præclusa 'st janua Menti.
7. 830 Quod si forte ideo magis Immortalis habenda 'st,
Quod lethalibus ab rebus munita tenetur;
Aut quia non veniunt omnino aliena salutis;
Aut quia quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulsa prius, quam, quid noceant, sentire queamus:
835 Scilicet a vera longe ratione remotum 'st.
Præter enim quam quod morbis tum Corporis ægrit,

et ictui non obnoxium; quale est Inane: aut ideo æternum quia nullum est ex ulla parte spatium in quod partes illius solutæ dispergi possunt; quam ob causam Universum (τὸ πᾶν) Immortale est; extra quod nullum est spatium quo partes solutæ fugiant, neque ulla sunt Corpora quæ in illud incidere, suoque violento impetu diffringere valerent. At vero, ut superius docui, Animus non est res perfecte solida, quoniam in omnibus rebus compositis Inane est admixtum: neque Inane est: neque desunt Corpora quæ ex Infinito advenientia suo impetu periculum Animo inferre, ejusque substantiam distringere, aut dissipare possint: neque deest spatium quo Animæ partes dispergi possint; aut quo alia qualibet vi pulsa interire potest: Animæ igitur janua mortis minime præclusa est (Anima est mortalis). Quod si ideo magis dicenda est immortalis, quod ab rebus perniciosis defenditur, aut quia res illius saluti inimicæ ad illam usque non pertingunt, vel quia quæ ad illam usque pertingunt aliqua ratione recedere cogunfur, priusquam aliquid mali et cladis, quod sentire possumus, inferant: nimirum hæc omnia sunt falsissima. Ut enim mittam Animum cum Corpore ægrescere,

NOTÆ.

814. *Neque ab ictu fungitur hilum*] Ita Lambinus; nec *frangitur* admittendum.

818. *Quo diffugiat*] Viz. summa summarum; alii, *diffugiant*; viz. partes summæ summarum.

824. *Proruere*] Codd. *corruere*. Lambinus *proruere*, quoniam *corruere* non usurpatur ἐνεργητικῶς. Alii Lambino non credunt; dum vero eadem sit sententia, de syllaba litigent Grammatici.

830. *Quod si forte ideo, &c.*] Septimum, v. 12. continetur. Siquis vero dicat Animum vel esse adversus contraria munitum, vel quæ contraria adveniunt ad ipsum usque non pertingere, vel si pertingant priusquam noceant repelli; id refutent Corporis morbi quibus ipse etiam Animus laborat: adde curas, metus pœnarum post mortem, conscientiam quæ impios fatigat, insaniam denique et lethargum, et fateberis Animum a rebus perniciosis munitum non esse, at ab illis misere oppressum.

831. *Quod lethalibus*] Alii, *vitalibus*, inepte; ut et *plena salutis* in sequenti versu.

836. *Præter enim quam quod morbis tum Corporis ægrit*] Ita Lambinus, ali-

Advenit id, quod eam de rebus sæpe futuris
Macerat, inque metu male habet, curisque fatigat:
Præteritisque admissa annis peccata remordent.
840 Adde furorem Animi proprium, atque oblivia rerum,
Adde quod in nigras Lethargi mergitur undas.
Nil igitur Mors est, ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura Animi mortalis habetur:
Et velut anteacto nil tempore sensimus ægri,
845 Ad confligendum venientibus undique Pœnis;
Omnia cum belli trepido concussa tumultu
Horrida contremuere sub altis ætheris auris;
In dubioque fuit sub utrorum regna cadendum
Omnibus humanis esset, terraque marique:
850 Sic ubi non erimus, cum Corporis, atque Animaï
Discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti,
Scilicet haud Nobis quicquam, qui non erimus tum,
Accidere omnino poterit, sensumque movere:
Non si terra mari miscebitur, et mare cœlo.

sæpe sollicita est de rebus futuris, tum metu male afficitur, et curis fatigatur; criminumque olim commissorum recordatio illum pungit et lacerat. Adde, quod aliquando delirat Animus, nonnunquam omnium rerum obliviscitur, et aliquando lethargo immersus jacet et sopitus. Nihil ergo mors est, neque ad nos omnino pertinet, cum Anima sit Mortalis: et sicut olim nihil ægri sensimus cum Africæ populi undique Romanos lacesserent; cum totus orbis trepido belli tumultu jactatus sub cælo tremuit; et in dubio fuit utrius populi imperio terra, mare, omnes denique humanæ res subjicerentur: sic quando non erimus, cum Corporis et Animæ, e quibus conjunctis compositi sumus, fuerit separatio, nihil, inquam, nobis, qui tum non erimus, poterit accidere, et sensum afficere; nihil profecto, si terra mari miscebitur, et cœlo mare.

NOTÆ.

quando legebat,

Præter enim quod tum Morbi est, cum Corpori ægre est.

Alii,

Præter enim quam quod morbi est cum Corpu' ægrotat.

839. *Præteritisque admissa annis*] Rejice vero,

Præteritisque admissa malis:

Et,

Præteritisque male admissis.

842. *Nil igitur mors est, &c.*] Quid vero si Anima mortalis, si aliquando nata, olim etiam peritura foret, quid inde lucri? Respondet Lucretius, v. 13. Mortem ipsam, et pœnas post mortem, quas vulgus hominum tantopere timet, nos toti mortales non amplius metuemus. Ut enim nos nondum natos pugnæ, tumultus, punica denique bella non turbarunt, sic etiam mortuos, quoniam Anima æque ac Corpus interit, bella, tumultus nulla solicitudine afficient. M. Tull. lib. 1. Tuscul. Quæst. *Qui enim satis viderit id quod est luce clarius, Animo et Corpore consumpto, totoque animante deleto, et facto interitu universo, id Animal quod fuerit factum esse nihil; is plane perspiciet, inter hippocentaurum, qui nunquam fuerit, et regem Agamemnonem, qui fuit, nihil interesse: nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum quam illo vivo ego fecerim Romam captam.* Συνίθιζε δὲ σεαυτὸν ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον, ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν τῇ αἰσθήσει, στέρησις δ' ἐστὶν αἰσθήσεως ὁ θάνατος, ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον. Epicurus apud Laertium.

847. *Auris*] Alii, *oris*: sequentem versum recte edidit Lambinus, licet codd.

In dubioque fuere *utrorum* ad *regna*: Unde Gifanius,

In dubioque fuerit *utrorum ad.*

851. *Uniter apti*] Festus, *comprehendere vinculo antiqui* apere *dicebant*, unde *aptus* is qui *convenienter alicui junctus est.* Catullus, Ep. 38.

Aptis sarcinulis et expeditis.

855 Et si jam nostro sentit de Corpore, postquam
Distracta 'st Animi natura, Animæque potestas:
Nil tamen hoc ad Nos, qui cœtu, conjugioque
Corporis, atque Animæ consistimus uniter apti.
Nec, si materiam nostram conlegerit ætas
860 Post obitum, rursumque redegerit, ut sita nunc est;
Atque iterum Nobis fuerint data lumina vitæ,
Pertineat quicquam tamen ad Nos id quoque factum,
Interrupta semel cum sit repetentia nostra.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
865 Qui fuimus, nec jam de illis Nos afficit angor,
Quos de materia nostra nova proferet ætas:
Nam cum respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium, tum motus Materiaï
Multimodi quam sint; facile hoc adcredere possis,
870 Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta:
Nec memori tamen id quimus deprendere mente.
Inter enim jecta 'st vitaï pausa, vageque
Deerrarunt passim motus ab Sensibus omnes.
Debet enim, misere quoi forte ægreque futurum 'st,

Imo si Anima nostra, postquam a Corpore separetur, sentiat, hoc tamen nihil ad nos, qui e Corpore atque Anima conjunctis sumus compositi. Nec si post mortem particulæ omnes aliquando collectæ, et in eundem ordinem, in quo nunc sunt, redactæ fuerint, et vita nobis iterum concederetur, id quidem ad nos omnino pertinet; cum recordatio nostra semel fuerit interrupta. Et nunc quidem non soliciti sumus de iis qui olim fuimus; neque anxii de iis quos futura ætas e nostra materia componet: nam cum consideres infinitum tempus præteritum, et quam varii sunt seminum motus, facile etiam credes semina in eodem ordine, in quo nunc sunt, sæpe fuisse posita; istius vero recordari non possumus. Morte enim vita fuit interrupta, motusque omnes quibus jactata erant semina, erant a sensiferis motibus plane diversi. Cui aliquid mali venturum est,

NOTÆ.

855. *Et si jam nostro sentit, &c.*] Deinde, v. 19. hæc addit. Quinetiam licet supponatur, Animam secretam aliquid sentire, nihil hoc ad nos spectat, qui non sola Anima, sed quidpiam ex Corpore et Anima compositum sumus. Imo supponatur, nos eosdem, qui jam existimus, redituros; ob varios viz. motus concursusque atomorum, quas ad idem Corpus rursus constituendum iterum cogi nihil repugnet, nihil tamen seu nos, qui jam sumus, seu qui tum erimus, attinebit: quemadmodum viventes jam nihil soliciti sumus aut de iis qui olim fuerimus, aut de iis qui olim sumus futuri; id nimirum, quia nobis dissolutis, ea sit extandi interruptio, post quam nulla memoria viget status ejus in quo fuerimus; ut neque jam ulla præsensio illius, in quo futuri sumus.

859. *Materiam nostram*] Seu *nostri*, ut et in v. 866. legas, perinde est.

863. *Repetentia nostra*] Optima Lambini emendatio. Intelligit, contra quam alii interpretantur, abruptam esse συνέχειαν actionis, atque adeo nihil ad nos, &c. Id ipsum est quod mox dicit,

Inter enim jecta 'st vitaï pausa, vageque
Deerrárunt passim motus ab Sensibus omnes.

Aliæ explicationes a scopo abeunt: *Faber.* Lambinus tamen ipse interpretatur *repetentiam* ἀνάμνησιν, recordationem, e v. 871.

Nec tamen id quimus memori reprehendere mente.

Gifanius, *retinentia*; viz. cum semel desiimus retineri, manere, esse: alii, *repetentia*; id est, vitæ cursus.

874. *Debet enim, misere quoi, &c.*] V. 9. Idem argumentum fusius explicat. Is qui forte miser futurus est, debet existere in eo tempore quo mala et ægritudo premant; at mortuus desinit esse, nec unquam a sepulchro revertetur.

Vestigia nulla retrorsum:

Ideo mortuus nullo modo miser esse potest.

875 Ipse quoque esse in eo tum tempore, cum male possit
Accidere: at quoniam mors eximit im, prohibetque,
Illum, cui possint incommoda conciliari
Hæc eadem, in quibus et nunc Nos sumus, ante fuisse;
Scire licet Nobis nihil esse in morte timendum:
880 Nec miserum fieri, qui non est, posse; neque hilum
Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,
Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.
Proinde ubi se videas hominem miserarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putrescat corpore pôsto;
885 Aut flammis interfiat, mālisve ferarum:
Scire licet, non sincerum sonere, atque subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum, quamvis neget ipse
Credere se quemquam sibi Sensum in morte futurum.
Non (ut opinor) enim dat, quod promittit, et inde
890 Nec radicitus e vita Se tollit, et eicit;

ille debet in illo tempore existere, in quo malum illud possit advenire: at quia mors non permittit, ut ille, cui hæc incommoda quibus nunc laboramus, antea fuerit, certi esse possumus, nobis in morte nihil timendum esse; illumque non posse esse miserum, qui non est; idemque plane esse ac si nunquam natus fuerit ille cui vitam mortalem ademit mors immortalis. Proinde, cum videas hominem sortem suam miseram existimare, quod post mortem aut in terra putrescet, absumetur ab igne, aut a feris devorabitur, inde colligere potes illum non recte sapere, et inani aliquo timore agi, quamvis ipse neget se credere aliquem sibi mortuo futurum esse sensum. Non enim, ut opinor, id vere credit quod se credere profitetur, neque se totum periisse

NOTÆ.

876. *Eximit im*] Id est, *eum*: Plautus, Epidico, *Ita non omnes poterunt e cruciatu* eximere *Epidicum*. Alii tamen e codd. *Eximit, esseque prohibet*, quibus, si Salmasio credimus, nihil est aptius.

878. *In quibus et nos nunc sumus*] Alii, *quibus ægri nunc sumus*. Inepte vero Gifanius cum suis codd. *Quibus e nunc nos sumus*.

881. *Differre*] Lambinus, *referre*.

882. *Mors immortalis*] Ut apud Catullum.

Nox est perpetua una *dormienda*.

883. *Proinde ubi se videas, &c.*] V. 24. Increpat quosdam homines de sepultura nimis solicitos, eamque solicitudinem ex opinione de Animi Immortalitate natam asserit: quid enim ille, qui nihil sensurum se post mortem credit, cadaver curaret? Respexisse autem videtur ad tritum illud de Diogene, qui rogatus quemadmodum curari vellet, cum mortuus foret, projici se inhumatum jussit, et causantibus quod a feris et volucribus laniaretur, apponi ad manum jussit baculum, quo posset illas abigere, et excipientibus quod non posset, viz. ut sensu sic motu privatus; *quid igitur*, inquit, *si sensu caruero, mea intererit quomodocunque mecum agatur?*

883. *Miserarier ipsum*] Alii, *indignarier*: istud ament quibus placet.

884. *Corpore pôsto*] Corpore humato, et in terra condito, Lambinus; alii: ego vero, *Corpore pôsto*, ut a volucribus laceretur; qui enim pondere terræ est obtritus, v. 906. ille proculdubio est in terra conditus et humatus: Quid igitur timeret *putrescere Corpore pôsto*, qui *pondere terræ opprimi* non timeat?

885. *Aut flammis interfiat*] Abeat vox ista *flammis*, nisi forsan aliquis doleret se *flammis absumi* posse, qui v. 903. se *ignibus* imponi patienter ferat: si alia vox occurreret, apponerem, interim lege e v. 893. et v. 901. *Aut interfiat* morsu *malisve ferarum*.

Ibid. *Interfiat*] Lib. 2. v. 1068. et lib. 5. v. 889. *confieri*.

886. *Sincerum sonere*] Lib. 3. v. 157. *sonere* autem veteres.

889. *Quod promittit, et inde*] Alii, *promittit abunde*.

890 *Eicit*] Ejicit.

Sed facit esse Sui quiddam super inscius ipse.
Vivus enim Sibi cum proponit quisque, futurum
Corpus uti volucres lacerent in morte feræque,
Ipse Sui miseret: neque enim Se vindicat hilum,
895 Nec removet satis a projecto corpore; et illud
Se fingit, sensuque suo contaminat adstans.
Hinc indignatur se Mortalem esse creatum,
Nec videt, in vera nullum fore morte alium Se;
Qui possit vivus sibi Se lugere peremptum,
900 Stansque jacentem, nec lacerari, urive dolore.
Nam si in morte malum 'st malis morsuque ferarum
Tractari, non invenio quî non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis;
Aut in melle situm suffocari, atque rigere
905 Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi;
Urgerive superne obtritum pondere terræ.
At jam non domus accipiet te læta, neque uxor

sed quiddam sui superesse stultus putat. Cum enim aliquis dum vivit secum cogitat futurum esse ut volucres et feræ cadaver suum lacerarent, et suam sortem miseram existimat, Se *non satis perpendit, neque distinguit a cadavere, fingit illud* Se *esse, suoque sensu adstans contaminat. Hinc indignatur se mortalem fuisse natum, neque considerat in vera morte nullum fore alium* Se, *qui vivus* Se *mortuum, qui stans* Se *jacentem, lugere, aut qui lacerari, aut ullo dolore affici possit. Si vero mortuo malum sit, dentibus ferarum lacerari, non video cur non sit malum rogo imponi, et flammis absumi, in melle immergi, et frigore rigere cum plano marmori impositus jaceat, vel cum terra ingesta sepultus opprimatur. At nunc familia nunquam iterum te læta recipiet, non optima uxor,*

NOTÆ.

894. *Miseret*] Democritum insimulavit Epicurus, quasi diceret post mortem in Corpore sensum fuisse: (Tull. lib. 1. Tuscul. Quæst.) et eundem Philosophum Lucretius hic loci castigat.

894. *Se vindicat*] Alii, *dividit*, quæ vox veteris lectionis vestigiis, *neque enim se vidit*, magis insistit.

895. *Removet satis*] Feras, et Aves; Fayus; lepide: cadaver viz. feras et volucres abigeret: tam bellum interpretem Diogenes, satis scio, castigaret.

896. *Sensuque suo contaminat adstans*] Id est, dum credit *se* post mortem cadaver illud futurum, sensum suum in id quodammodo transfert. *Faber.*

903. *Ignibus impositum, &c.*] Tres modos sepulturæ tangit, qui cremabantur, qui terra obruebantur, et qui in lapideis arcis cum melle condebantur, quos ait in gelidi æquore saxi cubare; hæc breviter Salmasius ad Solinum, p. 850. Forsan vero Lucretius castigat Heraclidem Ponticum, et Democritum, de quibus Varro. Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle servarent, quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possimus. Indigna enim philosophis tam putida sepulchri cura: fortius et sapientius ipse Petronius: at enim fluctibus obruto non contingit sepultura, tanquam intersit periturum Corpus quæ ratio consumat, ignis, an fluctus, an mora; quicquid feceris hæc omnia eodem ventura sunt; feræ tamen Corpus lacerabunt; tanquam melius Ignis accipiat.

907. *At jam non domus accipiet, &c.*] Quoniam vulgo habetur malum, privari istis rebus quibus in vita fruimur, et actionibus quibus fungimur, vanam hanc opinionem deridet Lucretius, v. 18. dum vulgaria refert lamenta, quibus mortuos Amici prosequi solent, quasi illi hæc, quæ moriendo demiserunt, desiderent. Mortuus jacet sensus et cupiditatis expers, nihil optat, petit, aut indiget, quid igitur defendus? Socrates in Dialogo qui apud Platonem Axiochus inscribitur, Ἤδεται δὲ ποτὶ καὶ τοῦ Πρόδικου λέγοντος, ὅτι ὁ θάνατος ὁ μὲν περὶ τοὺς ζῶντάς ἐστιν, ὁ δὲ περὶ τοὺς μετηλλαχότας· ὅτι περὶ μὲν τοὺς ζῶντας ἐστιν, οἱ δὲ ἀποθανόντες

Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, et tacita pectus dulcedine tangent;
910 Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque
Præsidio: Miser! ô miser! aiunt, omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.
Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum
Jam desiderium insidet rerum insuper unâ.
915 Quod bene si videant animo, dictisque sequantur;
Dissolvant animi magno se angore, metuque.
Tu quidem ut es letho sopitus, sic eris ævi
Quod superest, cunctis privatu' doloribus ægris:
At nos horrifico cinefactum te prope busto
920 Insatiabiliter deflebimus, æternumque
Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærendum 'st, quid sit amari
Tantopere, ad somnum si res redit, atque quietem,
Cur quisquam æterno possit tabescere luctu?
925 Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant, Brevis hic est fructus homullis:

nec dulces liberi oscula præripere festinabunt, magnaque voluptate tuum animum afficient: non poteris fortitudine et virtute tua tibi tuisque auxilio et præsidio esse: Miser! O Miser! inquiunt, unus malignus dies tot bona et voluptates vitæ ademit. Non vero adjiciunt istarum rerum desiderium tibi non jam inesse: quod si istud bene considerarent, omnem metum deponerent, doloremque animo ejicerent. Tu quidem ut es morte sopitus, sic per omne futurum tempus jacebis omni ægritudine et dolore expers: at nos Te in cineres redactum sine modo deflebimus, nullusque dies æternum nostrum dolorem sedabit. Igitur ab illo quærendum est, si mortem perpetuus sopor et quies sequatur, unde tantum mali in morte esse potest, ut aliquis se æterno mœrore maceret? Imo homines cum genio indulgent, cum discumbunt, manu tenent pocula, et capita coronis velant, serio et ex animo dicunt, hæc est brevis vitæ hominum voluptas;

NOTÆ.

ἐκ ἀεὶν, ἔστι ἐ περί σι νῦν ἔχω, (ἐ γὰρ τέθνηκας) ἔστι, ὅτι πάθοις, ἔχει περί σι, σὺ γὰρ ἐκ ἔχῃ. Μάταιος ὢν ἡ λύπη περὶ τῦ μὴ ὄντος, μήτι ἐσομένου περὶ Ἀξίοχον· Ἀξίοχον ἐδύρεσθαι, καὶ ὅμοιον, ὡς εἰ περὶ τῆς Σκύλλης, ἢ τῦ Κενταύρου τὶς ἐδύρετο, τῶν μήτι ὄντων, μήτι ὑστερον περὶ τὴν τελευτὴν ἐσομένων. Τὸ γὰρ φοβερὸν τοῖς ὖσιν ἔστι, τοῖς δὲ ὐκ ὄσι πῶς ἂν εἴη;

Ibid. *At jam non domus*] Vetus Gronovii codex, *vim non jam domus*, unde Salmasius conjicit legendum *quin*, seu potius *im* pro *eum*; ut *is tu, is ipse*, id est, qualis hic es, non talem accipiet ibi domus læta. Tandem vero dicit optime legi, *I, non jam domus*. Frustra hæc omnia, et nihil profecto putidius Salmasio cum Lucretium interpretetur.

910. *Non poteris factis tibi, &c.*] Alii,

Non poteris factis florentibus esse cuiquam:

Gifanius vero,

Non poteris factis florentibus esse tuis. Quos versus amat! In sequenti versu quidam, *misero misere.*

914. *Desiderium insidet rerum insuper*] Alii,

Desiderium rerum super insidet.

922. *Ab hoc*] Gifanius, *ob hoc*; et forsan melius.

925. *Hoc etiam faciunt ubi, &c.*] Stolidi quidem isti qui mortuos insatiabiliter lugent, Stolidiores vero, qui commessationibus indulgentes, etiam inter pocula mortis memoriam refricant, quasi siti inexpleta conficiendi essent, aut alicujus alius rei desiderio vexarentur, postquam e vita migraverint. Somno sopiti nihil cupiunt, nec re aliqua indigent; quid igitur stulti timeant desiderium in morte, quæ magis disjicit animæ principia quam somnus, et eorum motus a sensu reddit magis alienos?

927. *Brevis hic est fructus homullis*]

Jam fuerit, neque post unquam revocare licebit.
Tanquam in morte mali cumprimis hoc sit eorum
930 Quod sitis exurat Miseros, atque arida torreat,
Aut aliæ cujus desiderium insideat rei.
Nec sibi enim quisquam tum Se, Vitamque requirit,
Cum pariter Mens et Corpus sopita quiescunt;
Nam licet æternum per nos sic esse soporem;
935 Nec desiderium nostri nos adtigit ullum:
Et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus
Longe ab sensiferis Primordia motibus errant;
Quin conreptus homo ex somno se conligit ipse.
Multo igitur mortem minus ad Nos esse putandum,
940 Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus.
Major enim turbæ disjectus Materiaï
Consequitur letho, nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitaï pausa secuta.
Denique si vocem rerum Natura repente

jam frui licet, posthac nunquam fas erit revocare, tanquam hoc maximum timerent i malum quod miseros sitis arida exureret et torreret, aut alius cujusvis rei desiderium sil veret: nemo enim, cum Mens et Corpus somno pariter sopita jacent de se suaque vita est (licet enim æternus foret sopor, minime soliciti essemus dum somno sopiti sumus), nega alicujus rei desiderium nos afficit; tum tamen semina animæ in corpore agitantur mot longe diversis ab iis qui sensum faciunt: imo homo e somno excitatus subito vires suas s recolligit. Credendum igitur est mortem multo minus *ad nos esse, si potest esse* minus *quod* nihil *esse certi sumus; in morte enim major est dissipatio principiorum quam in So quisquam expergiscitur, cujus vita frigida morte semel interrupta est. Denique si* Rer tura *repente vocem*

NOTÆ.

Homulli, Faber: Quia nisi *homulli* legatur tum solœcismus in oculos involabit [*Jam fuerit*]; alioque scribendum erat [*Jam fuerint*] Homulli viz. Totius enim loci hæc est sententia; bene et volupe faciamus, genium memorem brevis ævi nunc placandi tempus est, seu corollas ille, seu vina, sermonesve suaves, et mollicules escas, seu quid etiam est jucundius, malit: si nescis, hæc vera vitæ gaudia sunt, sed eheu! quam cito prætervolant! Manum itaque injice, *brevis hic est fructus homulli*, horæ momento *fuerit* (id est *perierit*, ut, *fuit Ilium*), *neque post unquam revocare licebit.*

930. *Torreat*] *Terra*, Lambinus, frustra: in sequenti versu alii legunt *res*; ita enim veteres.

934. *Nam licet æternum*, &c.] Hunc versum sequenti subjicit Salmasius, et cum in cod. Gronovii invenerit *præmo* pro *soporem*, legit,

Nam licet æternum per nos sic esse suprema, Per nos, inquit, licet sic esse suprema, mortem nempe ipsam, ut est ille somnus: vel etiam fortasse,

Sic esse supremo.
Supremo nempe sopore vel somno, esse per nos æternum, ut et isto qu quo requiescimus. Ita laborant i bus nihil placet præter difficiles nu

942. *Expergitus*] Ab alio ex quem solemus dicere expergefactu *tus*. Expergo pro expergefacio; *I* et Aulus Gellius, lib. 6. c. 10. *tum v ime juvenis animos ista re* experge

943. *Pauso*] Virgilius inseruit o et Græca verba, sed hac licentia usi sunt veteres, quippe illi dixerun *sam*, *Machæram*, *Asotiam*, et *A* Macrobius.

944. *Denique si vocem rerum* &c.] Ut magis valeret contra t mortis disputatio, Naturam indu quentem, suaque argumenta Perso toritate sustentat, v. 21. Si rebus usus fuisti (Naturam audis), reced et quietem tandem disce pati: si pr tum bonis illis, quæ tam benigne contentus abi; nova ne expectes, porum sic etiam rerum omnium co iisdem semper eadem succedunt:

945 Mittat, et hoc aliquoi nostrum sic increpet ipsa:
Quid tibi tantopere 'st, Mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam si grata fuit tibi vita anteacta, priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
950 Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitæ Conviva, recedis;
Æquo animoque capis securam, Stulte, quietem?
Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa,
Vitaque in offensu 'st; cur amplius addere quæris,
955 Rursum quod pereat male, et ingratum occidat omne:
Nec potius vitæ finem facis, atque laboris?
Nam tibi præterea quod machiner, inveniamque
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis Corpus jam marcet, et artus
960 Confecti languent: eadem tamen omnia restant,
Omnia si pergas vivendo vincere sæcla;
Atque etiam potius, si nunquam sis moriturus.
Quid respondeamus, nisi justam intendere litem
Naturam? et veram verbis exponere causam?
965 At qui obitum lamentetur miser amplius æquo,
Non merito inclamet magis, et voce increpet acri?
Aufer ab hinc lacrymas, Barathro, et compesce querelas.

emitteret, et nostrum aliquem ita objurgaret. Quid tibi, O mortalis, vis? quid insano luctui indulges? quid gemis mortem? et te moriturum esse doles? Nam si vita qua usus fuisti, tibi jucunda fuerit, si non omnia illius bona in te, veluti in vas pertusum infusa, perfluxerunt, et te nulla voluptate afficientia perierunt, cur, O fatue, non recedis, ut conviva vita saturatus, et lubenti animo altam securamque quietem capis? Sin ea, quæcunque accepisti, bona profusa perierunt, et vita jam tibi ingrata sit, cur quæris addere, quod iterum tibi male pereat, et sine aliqua jucunditate effluat? Quare non potius vitæ simul et laboris finem facias? Nulla enim alia bona excogitare aut invenire possum, quæ tibi grata forent, Omnia sunt semper eadem. Si Corpus et Membra tua non languent senio confecta, omnia tamen erunt semper eadem, si multas ætates vivendo superes, et magis si nunquam moriturus sis. Quid huic objurgationi respondeamus, nisi Naturam justam litem nobis intendere, jureque increpare? Illum vero qui obitum amplius æquo lamentetur, nonne merito acrius objurget, et voce vehementi increpet? Stulte, aufer abhinc lacrymas, et questus tuos reprime.

NOTÆ.

tuas senectus nondum confecerit, bona omnia quæ tibi proponere possum percepisti; si senex sis, quid est quod moraris emori?

962. *Atque etiam potius*] Hunc versum quidam improbe rejiciunt.

965. *At qui obitum, &c.*] Modo Natura mitius egit cum vitæ cupidis, jam omnes immodeste appetentes, et præsertim senes, v. 26. acrius castigat: singulis hominibus, ut in scena, suæ sunt partes; nec immodestius Persona, quæ nihil agat, quam senex in hac vita moratur. Abi, fatue, aliis concede locum, nihil habes quod amplius agas, ideoque agas animam. Quid horres? Quies alta et sopor æternus te manent; quid sedes infernas, et pœnas post mortem? Fabulas times; poetarum figmenta ista nihil quidem veri in se continent, et jam vivi patiuntur homines mala, quæ futura inepte metuunt.

967. *Barathro*] Qui Barathro dignus est; videndus est Aristophanis Scholiastes in duobus locis; *Faber*. Apud Ammonium Moschopulum, et alios Grammaticos invenies, Βάραθρος ὄρυγμά τι εἰς ὃ τοὺς κακούργους ἐνίεσαν ἀπὸ τούτου λέγεται καὶ ἄνθρωπος βάραθρος, ὁ ἀλίθρου ἄξιος. Alii tamen *barde*, id est, stulte, fatue; alii, *baro:* qua voce utitur Tullius de Divinat. lib. 2. et Persius, Sat. 5. Heinsius autem ad tertiam elegiam

Grandior hic vero si jam, Seniorque queratur;
Omnia perfructus vitaï præmia, marces?
970 Sed quia semper aves quod abest, præsentia temnis,
Imperfecta tibi elapsa 'st, ingrataque vita,
Et nec-opinanti Mors ad caput adstitit ante
Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte,
975 Æquo animoque, agedum, jam aliis concede: necesse 'st.
Jure (ut opinor) agat, jure increpet, incilietque;
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas,
Semper et ex aliis aliud reparare necesse 'st:
Nec quidquam in barathrum, nec tartara decidit atra.
980 Materies opus est, ut crescant postera sæcla;
Quæ tamen omnia Te vitâ perfuncta sequentur:
Nec minus ergo ante hæc, quam nunc, cecidere, cadentque.
Sic alid ex alio nunquam desistet oriri,
Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.
985 Respice item quam nil ad Nos anteacta vetustas
Temporis æterni fuerit, quam nascimur ante.
Hoc igitur speculum nobis Natura futuri
Temporis exponit post mortem denique nostram:
Num quid ibi horribile apparet? num triste videtur
990 Quicquam? nonne omni somno securius exstat?

At si ætate provectus et senex queratur; quid tu qui usus est omnibus vitæ bonis tandem doles? Sed quia semper desideras absentes voluptates, præsentes contemnis; vita nondum omnes jucunditates quas cupiebas tibi afferens te fugit, et inopinanti tibi mors ad tuum caput adstitit antequam expletus et saturatus voluptatibus æquo Animo e vita excedas. Jam vero mitte omnia quæ ætati tuæ non conveniunt, agedum, jam lubenti animo aliis cede; necesse est. Jure, ut opinor, Rerum Natura *cum illo agat, jure increpet, et objurget; veteres enim res novis supervenientibus cedant necesse est, et aliæ res ex aliis reparari debent: nec quidquam tui ad inferos descendit, opus enim materiæ est e qua res futuræ fiant et augeantur; quæ tamen omnes res vita peracta brevi te sequentur, olim ante te perierunt, et post te peribunt: atque ita res alia nunquam cessat oriri ex alia, vitaque nulli datur mancipio, usu omnibus. Considera quam nihil ad nos fuit tempus illud æternum, quod ante nos natos effluxit, et in hoc intueri potes quam nihil ad nos tempus post mortem nostram futurum. An quid post mortem horribile apparet? Num triste aliquid videtur? nonne omni somno major altiorque quies?*

NOTÆ.

tertii lib. Amorum Ovidii,

Aufer, abi, *hinc lachrymas*, Balatro, *et compesce, &c.*

Balatronem autem videntur veteres sumsisse pro homine nihili et nugaci, quo significatu etiam apud Varronem occurrit lib. 2. de *re rustica*. Vid. etiam Festum in *Balatrones*.

976. *Incilietque*] Increpet: *probris incilians;* Attius. *Si quis hac me oratione inciliet, quid respondeam?* Pacuvius, atque alii.

979. *Decidit*] Quidam agnoscunt, *deditur*, et v. 982.

Quam tu pro *quam nunc*, legunt. Gifanius,

Nec minus ergo ante hæc quam quæ cecidere cadentque.

984. *Vitaque mancupio*] Ea *mancipio* accepisse dicimur, quorum dominium est nobis acquisitum. *Quis tibi hanc dedit* mancipio, *aut unde emisti?* Plautus: et apposite Arnobius, *usufructu illis est vita non* mancipio *tradita.*

989. *Ibi*] In tempore præterito; Lambinus. Alii, in tempore post mortem futuro.

Atque ea nimirum, quæcunque Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis.
Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut fama 'st, cassa formidine torpens:
995 Sed magis in vita Divum metus urget inanis
Mortaleis, casumque timent, quemcunque ferat Fors.
Nec Tityon Volucres ineunt Acherunte jacentem,
Nec quod sub magno scrutentur pectore, quidquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto,
1000 Quamlibet immani projectu Corporis exstet,
Qui non sola novem dispensis jugera membris
Obtineat, sed qui Terraï totius orbem:
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,
Nec præbere cibum proprio de corpore semper:
1005 Sed Tityos nobis Hic est, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor;
Aut alia quavis scindunt cuppedine curæ.

Ea etiam omnia quæ dicuntur apud inferos cruciare, nobis hanc vitam degentibus contingunt. Nec, ut Poetæ narrant, infælix Tantalus metuit ingens saxum in aëre pendens, vano metu torpens; sed potius in hac vita inanis et ineptus Deorum timor homines premit, et casum quemcunque fortuna ferat, metuunt: nec vultures fodiunt Tityum Acherunte jacentem, nec profecto invenire possunt aliquid quod per omne ævum in ingenti illius pectore lacerarent, licet maxima foret illius corporis moles, imo tanta, ut non solum novem jugera extensis suis membris occuparet, sed totius terræ orbem. Nec tamen æternum dolorem ferre poterit, nec suo de Corpore alimentum istis volucribus in perpetuum præbere; sed Ille est Tityus, quem prostratum amore volucres lacerant, et acris penetransque anxietas exedit, aut alia quacunque cupiditate curæ scindunt.

NOTÆ.

991. *Atque ea nimirum, quæcunque, &c.*] Ut mortis metum hominum animis penitus evelleret, v. 46. Poetarum fabulas, de Tantalo, v. 6. de Tityo, v. 11. de Sisypho, v. 8. de filiabus Danaï, v. 8. de Cerbero, Furiis, et lacu sulphuris, v. 13. commode explicat et illustrat: quippe istæ fabulæ narrantur de vivis. Superstitiosus est Tantalus; Tityus vero ille qui fœda libidine captus, et victus ducitur: Sisyphus repræsentat illum qui imperia et magistratus impotenter ambit, nec unquam est voti compos. Filiæ Danaï sunt cupidi, et insatiabiliter avari. Cerberum autem, Furias, et id genus reliqua inter carnifices requiras; seu potius in ipsa, maximo isto tortore, impiorum conscientia.

993. *Impendens—aëre saxum*] Ista, ut quibusdam Poetis placuit, apud Inferos Tantali pœna; Eurip. in Oreste,

Κορυφῆς ὑπερτίλλοντα δυμαίνων σίτρον
Ἀίρι κρεμᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην.

996. *Casumque*] Lusus quidem et scomma in ista voce, et *casus* saxum impendens et casurum respicit: iste lusus forsan puerilis, sed maximi viri ingenio nonnunquam abutuntur.

1000. *Projectu*] Ad hæc verba Virgilii,
—Projectaque *saxa Pachini*
Radimus:
Projecta, si secundum consuetudinem dicatur, intelligitur *abjecta:* si secundum veteres, *projecta* porro jacta, ut alibi ait,
—Projecto *dum pede lævo*
Aptat se pugnæ— Macrobius, Saturn. lib. 6. cap. 4. Frustra vero hæc, nec ad veteres fugiendum. Livius, lib. 22. c. 20. *Nec continentis modo* projectas *oras prætervecta.*

1001. *Qui non sola novem, &c.*] Nota Tityi moles,
Viscera præbebat Tityus lanianda, novemque
Jugeribus distractus erat. Ovidius.
—*Per tota novem cui jugera corpus*
Porrigitur. Virgilius.
Ibid. *Dispensis*] Alii, *dispersis;* imperite.

1007. *Cuppedine*] Gifanius, *torpedine* e codd. quibus etiam ego crederem, si bonus ille vir acutam aliquam *torpedinem*, qua *curæ scindant*, demonstraret.

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasceis, sævasque secureis
1010 Imbibit; et semper victus, tristisque recedit:
Nam petere imperium, quod inane 'st, nec datur unquam,
Atque in eo semper durum sufferre laborem,
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum
1015 Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.
Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus, satiareque nunquam,
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Cum redeunt; fœtusque ferunt, variosque lepores,
1020 Nec tamen explemur Vitaï fructibus unquam:
Hoc (ut opinor) id est, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertusum congerere in vas;
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.
Cerberus et Furiæ jam vero, et lucis egenus
1025 Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus,
Hæc neque sunt usquam, neque possunt esse profecto.
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis, scelerisque luela
Carcer, et horribilis de saxo Jactu' deorsum,

Ille etiam Sisyphus ante oculos nostros in hac vita versatur, qui sibi penitus induxit in animum fasces, sævasque secures (potestatem et imperium) a populo petere, rejectus tamen semper recedit, et tristis: nam petere imperium quod frustra petitur, nec unquam datur, et in eo petendo improbum laborem semper sustinere, id profecto est conari saxum volvere adverso monte, quod tamen saxum a summo montis cacumine rursum volvitur, et planum campum, aut subjectam vallem pernici celeritate petit. Deinde semper pascere ingratum animum, illum vero bonis rebus nunquam explere et satiare, quod tamen quotannis fit, cum redeuntes anni varias delicias fructusque referunt, vitæ autem deliciis nunquam explemur: hoc, uti existimo, id est, quod poetæ canunt, quasdam viz. florenti ætate virgines aquam fundere in vas perforatum, quod tamen nullo modo repleri potest. Jam vero Cerberus, et Furiæ, et Tartarus tenebricosus faucibus suis horrendas flammas eructans nusquam sunt, neque profecto esse possunt; sed in hac vitæ metus pœnarum pro sceleribus insignibus est insignis, criminis præmium Carcer, horribilis de Saxo jactus,

NOTÆ.

1009. *Fasceis, sævasque secureis*] Honores et magistratus, proprie consulatum.

1010. *Imbibit*] Sic lib. 6. v. 71.

Ut ex ira pœnas petere imbibat *acreis.*

M. Tullius; *Quod si facere nolit, atque* imbiberit *ejusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere.* Et *combibere* eodem sensu utitur Arnobius.

1023. *Potestur*] Plautus,

Demum igitur, cum senex sis, tunc in otium
Te colloces, dum potestur.

Pacuvius apud Nonium,

Siqua potestur *investigari via.*

Et Ennius apud Diomedem,

Nec retrahi potestur *imperiis.*

1028. *Scelerisque luela*] A fugio et caveo, *fugela, cautela,* ita *luela* a luo. Alii legunt, *numella: numella* autem est machinæ genus ligneum, ad cruciandos noxios comparatum, quo et collum et pedes immittunt; *Nonius.* Est genus vinculi quo quadrupedes ligantur; *Festus.* Plautus in Asin; *Nervos, Catenas, Carcerem,* Numellas, *Pedicas, Boias.*

1029. *De saxo Jactu' deorsum*] Saxum Tarpeium; Horat. Sat. 6. lib. 1.

—Audes
Dejicere e saxo *cives; aut tradere Cadmo?*

1030 Verbera, Carnifices, Robur, Pix, Lamina, Tædæ:
Quæ tamen et si absunt, at Mens sibi conscia facti
Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis;
Nec videt interea, qui terminus esse malorum
Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis;
1035 Atque eadem metuit magis hæc ne in morte gravescant:
Hinc Acherusia fit Stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi Tute interdum dicere possis:
Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quam Tu, fuit, Improbe, rebus.
1040 Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occidĕrunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
Ille quoque Ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit super ire lacunas:
1045 Et contemsit, aquis insultans, murmura ponti,
Lumine ademto, animam moribundo corpore fudit.

Verbera, Carnifices, Robur, Pix, Lamina, Tædæ; quæ tamen si absint, at Mens sceleris sibi conscia hæc omnia metuit quoniam meruit, et inde cruciatus sibi adhibet, et flagellis se urit; nec interea videt qui finis pœnarum esse possit, quis terminus malorum; imo metuit ne post mortem hæc mala augeantur, et pœnæ fierent graviores; et inde denique fit ut stolidorum vita non minus molesta sit, quam eorum conditio quos apud inferos cruciari Poetæ fingunt. Tu ipse etiam (quicunque es) hoc tibi ipsi potes dicere; bonus Ancus morti succubuit, qui tamen te, O querule, multo melior fuit; multi etiam reges atque imperatores, qui potentibus populis imperaverunt, idem fatum subierunt. Ille etiam ipse Xerxes, qui olim per mare magnum viam sibi stravit, deditque legionibus suis ire iter super altum mare, pedibusque incedere super saltas oceani abyssos, et fluctibus illudens murmura et iras ponti spevit, ademto lumine, animam e moribundo corpore effudit.

NOTÆ.

1030. *Robur, Pix, Lamina, Tædæ*] Varia tormentorum genera: *de Robore præcipitati sunt;* Val. Maximus, lib. 6. cap. 3. *Atra Pix te agitet apud carnificem, et capiti tuo illuceat;* Plautus in Capt. *Laminas* autem ardentes, et *Tedas* quis nescit?

1037. *Hoc etiam tibi tute, &c.*] Demum, v. 29. vulgus hominum, numerum istum, ut loquitur Horatius, et fruges consumere natum increpat. Quid enim isti sibi aliisque prorsus inutiles indignarentur se iisdem legibus necessitatis subjici, quibus maximi imperatores, conditores legum atque urbium, scientiarum authores, et ingenio artibusque illustres viri jam tenentur, et olim tenebantur: deterior debet esse eorum conditio, et tamen de æqua queruntur immodesti! Ancus Martius, quartus Romanorum rex, v. 5. Xerxes ille Persarum imperator, v. 5. Scipio Africanus, v. 2. olim obierunt. Poetæ omnes, et eorum Pater Homerus, v. 3. Democritus denique, v. 3. Atque Epicurus reliquis omnibus præstantior philosophus interiit, v. 3. Abi igitur tu, quicunque es, nec deplora istam sortem, quam tales tantique viri, præcipue Democritus et Epicurus læti subierunt.

1038. *Lumina sis oculis*] Viz. *Suis oculis;* nam *sis, sos,* sas, pro *suis, suos, suas;* veteres. Ennius;

Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas: Nævius,

Sis *Pœni contremiscunt artubus.*

Frustra igitur quidam legunt, *lumina sic etiam solis.*

1038. *Bonus Ancu'*] De quo Livius; *Avitæ gloriæ memor, medium erat in eo ingenium, et Numæ et Romuli memor, cuilibet superiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par.*

1042. *Ille quoque ipse*] Xerxes, qui Hellesponto juncto (Tullii verbis in lib. 2. de Fin. utor), mare ambulavit.

1045. *Aquis insultans*] Ita recte Lambinus. *Insultare solo,* Virgilius. *Insultare busto,* Horatius. Gifanius vero, *equis insultans,* cui favet Salmasius; quasi id ageret Lucretius, ut sciremus Xerxem Hellesponto juncto tam equites quam pedites trajecisse.

Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum, atque leporum,
1050 Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete 'st.
Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit memorem motus languescere Mentis,
Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse.
1055 Ipse Epicurus obît decurso lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio superavit, et omneis
Præstinxit, stellas exortus uti ætherius Sol.
Tu vero dubitabis, et indignabere obire,
Mortua quoi vita est prope jam vivo, atque videnti?
1060 Qui somno partem majorem conteris ævi?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Sollicitamque geris cassa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid sit tibi sæpe mali, cum
Ebrius urgeris multis Miser undique curis,
1065 Atque animi incerto fluitans errore vagaris?

Scipio ipse belli fulmen, et quem horruit Carthago, ossa sua humo reddidit, perinde ac vilissimus fuisset Servus. Adjunge scientiarum et versuum inventores, adde poetas musarum comites, quorum primus et princeps Homerus eodem somno mortis, quo alii, sopitus jacet. Denique postquam Democritus senserat vires mentis suæ præ longa senectute debilitari et languidas fieri, se morti sponte sua et libenter obtulit. Ipse Epicurus absoluto vitæ suæ cursu quiescit, ille Epicurus, qui genus humanum ingenio superavit, et omnes alios luce sua obscuravit, ut splendidus sol exortus stellas suis radiis obscurat. Tu vero dubitabis, tu mori indignabere, cui vita jam vivo et videnti tantum non mors est (qui dum vivis tantum non mortuus es), qui maximam vitæ tuæ partem in somno ignave consumis, qui dum vigilas dormis, vanis insomniis semper illusus, mentemque circumfers inani metu agitatam, et concussam? nec dignoscere queas quo malo læsus es, cum miser atque ebrius multa undique sollicitudine urgeris, incertoque mentis errore agitatus huc et illuc fluctuas?

NOTÆ.

1048. *Famul*] Oscorum vox pro *famulus:* Ennius;

Mortalem summum Fortuna repente
Reddit, ut ex summo Regno famul *infimus esset:*

Idem *debil* homo pro *debilis*. Varro, *facul* et *difficul; quod utrum sit magnum, an parvum, facul,* an *difficul.*

1050. *Unus Homerus*] Alii, *avus,* imperite.

1052. *Denique Democritum, &c.*] Hermippus apud Laertium hunc locum explicat; Democritus cum jam senio confectus, et propinquus morti videretur, mœrentem sororem, quod illo ἐν τῇ τῶν διεμφορείων ἡμέρᾳ morituro, ipsa Deæ vota exsolvere nequiret, bono animo esse jussit, panesque calidos sibi quotidie afferre; eos igitur cum naribus admovisset, vivum se donec ea celebritas transiret, servavit; ubi vero dies illi transierunt (tres autem erant), ἀλυπότατα τὸν βίον τελείωσε. Diogenes Laertius, lib. 9. in vit. Democriti.

1055. *Ipse Epicurus*] Quidam huc retrahunt præcedens *ipse*, ita ut sit *ipse ipse Epicurus*, et pro *lumine* legunt *limite*.

1057. *Præstinxit*] Hanc vocem multis contra barbaros, ut loquitur, defendit Lambinus: e contra Salmasius; *lego e scriptis* restinxit, *ubi perperam* Lambinus, præstinxit, contra fidem librorum, et latine *loquentium usum*. Epicurus omnes ingenio suo superavit, *et extinxit, sive restinxit, ut sol adventu suo stellas restinguit, cum lumen suum illis adimit;* sic lib. 5.

Præclarumque velit solis restinguere *lumen.*

Tertullianus; *reaccenduntur stellarum radii, quos matutina succensio* extinxerat. Attamen post tanta certamina, tam *restinxit*, quam *præstinxit* sine ullo incommodo legamus.

Si possent Homines, proinde ac sentire videntur,
Pondus inesse Animo, quod se gravitate fatiget,
Et quibus id fiat causis cognoscere, et unde
Tanta mali tanquam moles in pectore constet;
1070 Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus:
Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere semper,
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit sæpe foras magnis ex ædibus Ille,
Esse domi quem pertæsum 'st, subitoque revertit:
1075 Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam Hic præcipitanter,
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans;
Oscitat extemplo, tetigit cum limina villæ:
Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quærit,
1080 Aut etiam properans urbem petit, atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit: at, quem scilicet, ut fit,
Effugere haud potis est, ingratîs hæret, et angit,
Propterea, morbi quia causam non tenet æger:
Quam bene si videat; jam, rebus quisque relictis
1085 Naturam primum studeat cognoscere rerum,

Quod si revera sentirent homines, ut videntur sentire, ipsi animo inesse pondus quod se fatiget gravitate, et novissent e quibus causis id fiat, et unde tanta moles (audaci translatione utor) mali in suo pectore constaret, non talem agerent vitam qualem eos plerumque agere nos sentimus; quilibet non nesciret quid sibi vellet, non semper veluti dubius et incertus vagaretur, aut sedes commutaret, quasi onus quo premitur, dejicere potuerit. Ille quem tædet esse domi splendidas domos relinquit, et peregre proficiscitur, subito autem redit; quia experitur vitam non minus molestam esse foris quam domi. Alter incitatis equis ad villam suam ex urbe tendit, nec minus properat quam si tectis ardentibus auxilium ferre festinaret: vix vero, ingressus villam statim præ tædio oscitat, aut se dat somno, et villæ æque ac urbis oblivisci cupit; aut, non minori celeritate quam ab illa recedebat, repetit et revisit urbem. Hoc modo unusquisque studet seipsum fugere: at quod, aliter enim fieri non potest, evitare non valet, ingratis adhæret, et vexat; quoniam iste qui æger est non novit morbi causam: quam tamen bene si perspiceret, jam unusquisque relictis aliis studiis et occupationibus naturam rerum penetrare, eamque cognoscere conaretur;

NOTÆ.

1066. *Si possent homines, &c.*] Mortis timorem, fontem et originem omnis ægritudinis supra docuit Lucretius: idem jam agit, v. 23. Nec aliunde tumultus et instabilitas in vita hominum; modo in villam tendunt, modo in urbem revertuntur, hæc jam appetunt, deinde eadem fugiunt, in omni conditione cura atque ægritudo, quippe hunc metum, omnesque cupiditates ex illa natas secum ferunt: veram autem philosophiam, Epicuri viz. sapientiam sequantur, Animum mortalem esse discant homines, et deponet quisque sarcinam, quam gravem sentit.

1068. *Et quibus id fiat causis cognoscere*] Alii,

E quibus id fiat causis quoque noscere.

1078. *Oscitat extemplo*] Oscitatio quippe hominis est fastidientis quæ adsunt, et quæ absunt desiderantis.

1082. *Ingratis*] Præter voluntatem: *ingratiis;* Vossius: sic Plautus in Casina:

Vobis invitis, atque amborum ingratiis:

et in Mercatore,

Tuis ingratiis:

infra, lib. 6. v. 215.

—*Cadant* ingratis *illa necesse est*
Semina, quæ faciunt fulgorem.

1084. *Rebus—relictis*] Idem valet ac *rebus omnibus aliis relictis:* sic Plautus,

Ego relictis rebus *Epidicum operam quærendo dabo.*

Terentius;

Herus me, relictis *rebus, jussit Pamphilum*
Hodie observare.

Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Ætas post mortem, quæ restat cumque, manenda.
Denique tantopere in dubiis trepidare periclis
1090 Quæ mala nos subigit vitaï tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat,
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.
Præterea, versamur ibidem, atque insumus usque:
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.
1095 Sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur
Cætera: post aliud, cum contigit illud, avemus;
Et sitis æqua tenet vitaï semper hianteis:
Posteraque in dubio 'st fortunam quam vehat ætas,
Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.
1100 Nec prorsum, vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
Quo minus esse diu possimus morte peremti.
Proinde licet quot vis vivendo condere Sæcla,
Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:
1105 Nec minus Ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitaï fecit, et Ille
Mensibus, atque annis qui multis occidit ante.

inquiritur enim non de brevis temporis, viz. de unius horæ, sed de æterni statu, in quo viz. transigenda est ætas omnis hominum, quæcunque est post mortem. Denique quæ tanta mala vitæ cupiditas cogit nos tantopere trepidare in dubiis periculis? Certus vitæ terminus omnibus hominibus statuitur; nec mors evitari potest, quin moriendum necesse est. Præterea in iisdem voluptatibus hæremus semper et versamur, nec longa ætate ullæ novæ procuduntur deliciæ; verum dum illud quod cupimus abest, id aliis omnibus quæ adsunt præstare videtur, deinde ubi illud consecuti sumus, aliud desideramus; et idem impotens desiderium urget homines vitæ appetentes; nescimus omnes quam fortunam, quid infortunii futura ætas feret, et qui finis nos maneat. Nec longam ætatem vivendo brevius reddimus tempus mortis, nec ab illo spatium ita detrahere possumus, ut non tandem simus diu mortui. Licet igitur per plurima secula vitam tuam producas, illa tamen mors erit nihilominus æterna; nec ille qui hodie moritur jam non existet minus diu, quam ille qui ante multis annis et mensibus occubuit.

NOTÆ.

1089. *Denique tantopere in dubiis*] Demum, v. 4. stulte id fugimus, quod evitare non possumus; imo si multas ætates viveremus, eadem tamen nos teneret cupiditas Vitæ, v. 7. quæ nullam novam voluptatem afferret, quæ incerta semper, et malis obnoxia: et v. 8. mors erit æque immortalis et æterna, si hodie, ac si cras occupet.

1091. *Certa quidem*] Rectius quam *certe equidem*.

1098. *Vehat*] Alii, *ferat*.

1101. *Delibrare*] Rectius, *delibare*, Faber.

1102. *Morte perempti*] Virgilius,

—*Indigna morte peremti.*

Et,

—*Cæde peremtis.*

CUM de Materia, ejusque motibus (si modo opiniones quæ providentiam impugnent excipias), disputet Lucretius, quis philosophorum prudentius, aut rei ipsi accommodatius? De rebus vero a sensu remotis, de Anima, ejusque facultatibus disserente nemo vanior aut ineptior; qualem vero sibi Animam effingit? En ipsa adest; substan-

tis Corporea tenuis, composita e minutis et volubilibus particulis Auræ, Aëris, et Caloris, quæ ita per totum Corpus sitæ sunt, ut parvis intervallis sint a se invicem disjunctæ; his tribus addas quartum nescio quid innominatum persubtile, et maxime mobile, quod in pectore situm sit sensus principium, et imagines ab omnibus rebus venientes percipiat, et tum perfecta et consummata erit Epicuri Anima. Breviter, Concipe araneum in pyxide, per totam istius pyxidis cavitatem telam texat, mediamque ipse incolat; advolent deinde muscæ, et fila moveant, quo motu excitatus araneus filamenta tractet, muscas irretiat, et captas devoret: hæc concipe, et habebis imaginem Epicureæ Animæ captantis εἴδωλα, qua nulla unquam fuerit similior. Hæc vero digna sunt Philosopho commenta!

Animam non esse Corporis Harmoniam a v. 94. ad v. 136. satis probatum. Inde usque ad v. 162. frustra Animum, Dominum viz. vili servo Animæ conjungit: vehementi metu concusso Animo, laborat Anima, fateor, sic tremente citharædo debitos sonos cithara non reddit. Pari successu usque ad v. 177. Animum Corporeum esse evincere conatur, quod enim argumentis confirmare debuit, id tanquam certum sibi sumit; pertinaciter enim affirmamus contactum posse esse sine Corpore.

Dum vero Animam Corpoream esse nondum probaverit, quid de illius subtilitate usque ad v. 231. inquiramus? Fatendum tamen Poetam evidenter demonstrasse Animæ particulas (si modo Corporea foret) debere esse subtiles et volubiles; nec de compositione Animæ usque ad v. 323. litigemus, nam ex Aëris, Auræ, et Caloris seminibus non minus apte componat Animum quam ex alicujus alius materiæ particulis: quod vero v. 280. tribus hisce rebus quartum aliquod innominatum addat, ideo confitetur nullum genus Corporis concipi aut excogitari posse, quod sensus sit principium.

Prudenter autem tenuis Animi salutem denso validoque Corpori commendat usque ad v. 350. et usque ad v. 370. Corpori etiam facultatem sentiendi largitur: Quid autem stultius? quid a communi sensu remotius? Quid denique ipsius placitis minus accommodatum? Unde enim Corpus sit sensus particeps cui nihil quartæ istius innominatæ rei immiscetur? Deinde ad v. 396. contra Democritum feliciter disputet, nec repugno, non enim inquiro utra sententia potior sit, dum utraque est absurda; et ut modo Animum Corpori conservandum credidit, sic ad v. 417. Corporis custodiam vicissim Animo commendet: istam tutelam non invideo; argumenta vero quibus ipsum Animum expugnat, consideremus.

Primum, a v. 425. ad v. 445. tenuem et subtilem Corpoream Substantiam, qualem Animum supponit esse, distrahit et dispergit: atque id fiat per me licet, Corporeus sit Animus, et quamvis crassus, et e particulis implexis conjunctus sit, eum tamen dissolubilem fatebor.

Secundum, a v. 445. ad v. 459. Tertium, a v. 460. ad v. 464. et Quartum, a v. 464. ad v. 473. nihil efficiunt: Animum enim una cum Corpore nasci, adolescere, et senescere minime sentimus; Corpus nasci, adolescere, atque senescere sentimus, in Animo neque decrementum neque incrementum experimur; at vero in infante non viget Animus, in sene deficit: quo argumento? nempe ineptus est puer, et senex desipit. Similiter artificem peritissimum in machina colloces, aliæ vero partes istius machinæ nimis rigescant, aliæ sint æquo flaccidiores, deterantur aliæ, aliæ autem nimis turgescant; et deinde stulte expectabis ordinatos motus, licet maxime elaboret peritissimus ille artifex. Deinde curas, luctumque suscipit Animus; ergo est dissolubilis: quia, viz. (alia non jam occurrit ratio) Luctus *penetrans* et Curæ *edaces* alibi appellantur. Digna mortali et Corporeo Animo ista ratiocinatio! Quarto autem argumento eadem responsio, quæ secundo, satisfacit.

Tribus sequentibus argumentis a v. 475. ad v. 524. medici respondeant, quanquam nil opus est responso. Crura vacillent, tardescat lingua, et natent oculi, quid hæc ad Animum? Jurgia denique gliscant; neque id quidem mirum, quemadmodum quantumlibet alioquin peritus fuerit Citharistes, non poterit tamen non dissonantes cantilenas exprimere, si perturbate intenderis, ac distenderis chordas citharæ, quæ harmonice ante pulsabatur. Similiter in morbo epileptico ater ille humor organa deturbat, atque inde isti motus incompositi. Cum vero organa tantum afficiat, et debilitet morbus, quid aliud restituat Medicina? Septimum, a v. 525. ad v. 546. asserit Animam hominis membratim morientis sensim deficere atque interire; quasi frigescere non possunt Artus nisi Anima etiam frigescat: hoc vero argumentum supponit Animam Corpoream esse et per totum Corpus diffusam, quod nondum probavit, et certo scio nemo unquam demonstrabit.

Octavum, a v. 547. ad v. 556. nihil agit. Neque enim ab alio intelligendi aut

ratiocinandi vim habet Anima, quemadmodum auris audiendi, aut oculus videndi mutuatur, verum a seipsa id habet; ac idcirco mirum non est, si sejuncta a Corpore auris non audiat, neque sejunctus oculus videat, secreta autem a Corpore Mens intelligat ac ratiocinetur.

Nono, a v. 557. ad v. 578. hoc modo respondendum: ut dum videmus militem gladio, aliisque armis pugnantem, non dicimus tamen illum armis destitutum non posse plagam ullam inferre, cum manus adhuc suppetant quibus infligere ictus possit; sic cum Anima membris undique, ut panoplia quadam induatur, organisque adeo corporeis varias functiones obeat, dicendum tamen non est, ubi istum omnem quasi militarem apparatum exuerit, nullam ipsi neque intelligendi neque sentiendi superesse functionem.

Decimi argumenti, a v. 579. ad v. 590. vires nemo agnoscet, nisi qui senserit Animum esse quasi fundamentum totius animalis, et Corpus Animo tanquam sale aliquo condiri, ne fœteat et putrescat.

Undecimum, a v. 591. ad v. 605. nihil aliud est quam in verbo lusus; ideo enim vim aliquam videtur habere, quia ista spirituum defectio appellatur *Animi* deliquium.

Duo sequentia, a v. 606. ad v. 623. negant Animam exire posse integram nisi per fauces expiretur, nec absurde quidem, si Corporeus foret Animus: addunt insuper Animam futuram dissolutionem metuentem ægre atque invite exire: Respondet apud Ciceronem Cato, *Quid quod sapientissimus quisque æquissimo Animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur Animus is, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci; ille autem cujus obtusior acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi; neque vero eos solum convenire aveo, sed illos etiam, de quibus audivi, et legi, et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem, haud scio quis facile retraxerit; quod si quis Deus mihi largiatur ut ex hac ætate repuerascam, et in cunis vagiam, valde recusem; nec vero velim, quasi decurso spatio, a calce ad carceres revocari.* Demum affirmant Animum, quoniam in pectore hominis semper situs est (si Epicurum viz. audiamus), extra pectus non posse integrum manere, quasi aves in nido natæ extra illum versari nequeant.

Decimum quintum, a v. 624. ad v. 633. ejusdem est cum reliquis farinæ, et vulgus sapit: nec decimum sextum, a v. 634. ad v. 669. tam fuse explicasset Poeta, si motum animalem, eaque instrume isti perficiendo inserviunt persp Sequenti, a v. 670. ad v. 678. P Pythagoras respondeant, istos eni premit, et alia jam ago: decimu timum et octavum, a v. 679. ad supponunt Animum Corporeum pe Corpus diffundi, et cunctis illius p alligari, quo nihil falsius, aut abs in capite, tanquam princeps in sc sidet, ibique dominatur.

Quam futilis sit ista a v. 713. ad de vermibus observatio omnes se qui vermes in terra, planta, caseo profecto nunquam animatis genit runt.

Qui Animarum transmigration fendunt, isti effugiant nodos quos Poeta a v. 741. ad v. 769. Et dein 770. ad v. 776. Absurdus foret Anim si cuperet Corpus vividum et vigen retque senio confectum. De sequ a v. 777. ad v. 784. isti videant, sint, qui Pythagoricas nugas aliqu putent: quoniam vero vigesimum tum, a v. 785. ad v. 800. idem e decimo quarto, ideo non alia hic q lic adhibenda est responsio.

A. v. 801. ad v. 806. rem imm rei mortali conjungere præstantissi losophis nondum visum fuit incon aut absurdum: deinde contra, a v. v. 829. quartum genus rerum co incorporeas, viz. substantias imm idque impudenter negabit Epicur Deos suos æternos et indissolubil stituerit. Demum a v. 830. ad Luctu penetranti affici, et curis e vexari Animum, et, Corpore mort busdam correpto, illum debitas fun exercere non posse confitemur, Animum inde fieri mortalem pert negamus.

Jam vero copiosius ostenderem hæc omnia argumenta congerere e care Lucretium; mortis enim met tollunt; quippe iis qui bonis pr que rebus utuntur, quid calamitos morte, quæ sit εἰρηνεὶς ἀιεθήσιος? e ris talem mortem proponere qua guantur penitus, sicque miseriarum nis, perinde est ac si jactato tempe sævitia proponatur naufragium, q mersus suffocatusque procellam d sensurus non sit: hoc est egregium præstant Epicuri dogmata, solatium tamen, quale quale est, bonis omn piis invisum ac ingratum, et im los, quos nulla Philosophia curare juvabit.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER QUARTUS.

LIBRI QUARTI

ARGUMENTUM.

I. *QUA supra libro primo usus est comparatione* Lucretius, *ut* Memmii *sui animum tantisper a contentione relaxaret; eadem hunc librum quartum a v.* 1. *ad v.* 26. *auspicatur, ut auditorem sibi docilem reddat, et attentum.* II. *Libri hujus proponit argumentum, quod ex industria cum superioribus connectit. Cum enim primo et secundo Libro abunde docuerit, quæ, et qualia sint rerum* Primordia, *quibus figuris distincta, quo motu ferantur, ac cæteras res procreent; Libro vero tertio* Animæ *atque* Animi *naturam fusius explicaverit, merito sane a v.* 26. *ad v.* 46. *hanc aliam subnectit disputationem de sensatione tam vigilantium quam dormientium. Quam disputationem ut ex ordine absolvat, a* Simulachris *exorditur, quibus omnem sensationem fieri contendit. Docet itaque,* III. *a rerum superficie tenuia quædam et subtilissima* Simulachra *mitti quæ passim per Aëra volitant, sigillatim tamen sub visum non cadunt, nisi a speculis aut aqua repulsa in oculos incurrant, a v.* 46. *ad v.* 108. IV. *Subtilitatem horum* Simulachrorum *demonstrat, et subinde exiguitatem* Primordiorum *confirmat, ad v.* 129. V. *Simulachrorum duplex distinguit genus, alterum eorum, quæ sponte sua generantur in Aëre, qualia nonnunquam videmus fieri in nubibus, quæ modo Gigantum, modo Montium aut Belluarum imagines imitantur; alterum eorum quæ a rerum superficie avolant, quasi tenues rerum Exuviæ: et deinde a rerum superficie has Exuvias perpetuo oriri docet, et ea motus celeritate per Aëra ferri ut Luminis solaris jactum facile superarent, a v.* 129. *ad v.* 217. VI. *Quia* Visus *Omnium sensuum primus habetur, ab eo exorditur, quem ex* Simulachrorum *seu* Imaginum *incursu fieri docet; interim autem explicat ea omnia quæ ad* Visus *causas spectant, variaque de* Visu *problemata proponit, quæ rite solvit et explicat, a v.* 217. *ad v.* 471. VII. *Ne vero aliquis ex problematibus modo explicatis sensus fallaciæ arguat, illorum dignitatem copiose adstruit, a v.* 471. *ad v.* 524. *et subinde* Scepticos, *præcipue a v.* 471. *ad v.* 479. *refutat; et demum asserit omnem Veritatem fidei sensuum inniti.* VIII. *His ita de* Visu *disputatis, cæteros sensus aggreditur, ac primum docet* vocem *ac* sonum *corporeas esse Imagines, quæ aurem pariter feriant et auditum faciant; vocis naturam atque formaturam explicat: Cur eadem vox percipiatur a multis rationem reddit; quid sit* Echo, *quomodo fiat, a v.* 524. *ad v.* 619. IX. *Deinde de* Sapore, *et* Gustu, *de* Odore, *et* Olfactu *docet; quid nempe sit* Sapor, *quid* Odor, *et cur non ab omnibus sentiantur. Cur* Cibus *idem aliis dulcis, aliis amarus fiat; cur* Odor *alius aliis*

sit magis aptus, et Vox *aliis terrorem incutiat, quæ alios juvet, saltem non terreat, a v.* 619. *ad v.* 726. X. *de* Imaginatione *atque* Cogitatione *agit, quas per tenuissima rerum* Simulachra *seu imagines quæ in mentem incurrant, fieri pariter ait; inde varia de cogitationibus problemata proponit et explicat; cur v. g. videamur in Somnis videre illos, qui jam mortui sunt; cur* Simulachra *rerum seu Imagines videantur nobis morari dum cogitamus ea. Cur subito quisque cogitat quæ lubuerit; cur in Somnis cernimus moveri, a v.* 726. *ad v.* 820. XI. *A v.* 821. *ad v.* 905. *docet* Linguam, Oculos, Aures, Nares, *omnia denique sensationis Organa prius nata esse quam eorum usum, secus vero in artificiosis rebus, quæ pendent ex prævisa indigentia.* XII. *De* Somno, *ac* Insomniis *agit, imprimisque docet qua ratione fiat Somnus in nobis, et in cæteris Animantibus; Somniorum varias assignat causas: et demum ad res Venereas delapsus, a v.* 1050. *usque ad finem libri, de* Amore, Sterilitate, Fœcunditate, *&c. liberius forsan et apertius quam par erat, (sed Philosophi in hisce rebus sibi maxime indulgent) disputat.*

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER QUARTUS.

AVIA Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo; juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire: juvatque novos decerpere flores,
Insignemque Meo capiti petere inde coronam,
5 Unde prius Nulli velarint tempora Musæ.
Primum quod magnis doceo de rebus, et arctis
Relligionum animos nodis exsolvere pergo;
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Museo contingens cuncta lepore:
10 Id quoque enim non ab nulla ratione videtur.
Nam veluti Pueris absinthia tetra Medentes,
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flavoque liquore;
Ut Puerorum ætas improvida ludificetur

INTERPRETATIO.

Peragro avias sedes Musarum nullius olim pedibus calcatas; placet adire fontes illibatos, et inde aquas haurire: placet novos flores legere, et ex iis locis nobilem mihi coronam decerpere, e quibus Musæ nullius unquam caput ornarunt. Primum quod de rebus maximi momenti cano, animosque hominum arctis religionis vinculis eximo; deinde quod de rebus tam obscuris tam lucida scribo carmina, Musæo lepore cuncta contingens; neque hoc temere videtur fieri: verum ut medici cum amara absynthia pueris conantur dare, poculi oras dulci flavoque melle circumlinunt, ut incauti pueri ludificentur

NOTÆ.

1. *Avia Pieridum*] Istos 25. versus, quibus attentum sibi Memmium suum aut alium quemvis lectorem reddere conatur, vid. lib. 1. v. 925.

2. *Integros*] Terentius, Prol. Adel.
——*cum Plautus locum*
Reliquit integrum.

9. *Lepore*] Quidam codd. *liquore;* imperite: lib. 1. v. 29.
Quò magis æternum da dictis, Diva, leporem.

15 Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali tactu recreata valescat.
Sic Ego nunc, quoniam hæc Ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
20 Volgus abhorret ab Hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Museo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
25 Naturam rerum, ac persentis utilitatem.
Sed quoniam docui, cunctarum Exordia rerum
Qualia sint, et quam variis distantia formis
Sponte sua volitent æterno percita motu,
Quoque modo possint res ex his quæque creari;
30 Atque, Animi quoniam docui natura quid esset,
Et quibus e rebus cum Corpore compta vigeret;
Quove modo distracta rediret in Ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, esse ea, quæ rerum Simulacra vocamus;

labrorum tenus, at interim amarum absynthii succum epotent, atque ita decepti non damnum aliquod hac fraude patiantur, sed ut hausto medicamine recreati convalescant: sic ego, quoniam hæc nostra Philosophia videtur horrida et tristis illis omnibus, quibus nondum fuerit perspecta, vulgusque hominum eam maxime aversatur; dulci carmine Tibi (Lector) *nostra dogmata explicare, illaque suavi Musarum melle quasi circumlinere volui; si forsan tali commento in meis libris mentem tuam detinere possim, donec totam Naturam rerum penitus habeas perspectam, istiusque cognitionis utilitatem percipias. Quoniam vero docui qualia sunt rerum cunctarum principia, et quam variis figuris a se invicem distincta æterno motu agitata sponte sua volitant, et quo modo res omnes ex illis fieri et componi possunt; quoniam etiam docui qualis sit Animi natura, e quibus principiis composita, et quo modo Corpori conjuncta vigeat, et quo modo a Corpore separata in sua principia redeat et dissipetur: nunc incipiam demonstrare (et hæc pars operis reliquis partibus mire convenit) esse ea, quæ appellamus* Idola *rerum,*

NOTÆ.

17. *Tactu*] Alii pro *pacto* contendunt; *tractu*, id est *haustu*, Gifanius: non tanti.

25. *Persentis*] Ut, in præcedente versu, *perspicis: præsentis* Lambini admitti non debet.

26. *Sed quoniam docui, &c.*] V. 7. breviter recenset ea quæ in præcedentibus libris disputaverat: primo et secundo libro *Atomorum* naturam, affectiones, motus denique et concilia absolverat; in tertio, principia animæ, animamque ipsam tam Corpori conjunctam, quam a Corpore separatam consideraverat; et deinde, v. 13. hujus libri quarti argumentum complectitur, viz. aget de simulachris, quæ, veluti membranæ corticesque corporum, a rerum superficie perpetuo fluunt, nobisque illarum species et figuras deferunt; si sincera integraque adveniant, tum res veras percipimus; si mutilata, inversa, aut cum aliis conjuncta, inde centaurorum, et aliorum id genus monstrorum phantasmata; aliquando etiam (namque Animæ cum Corporibus intereunt), mortuorum spectra.

31. *Cum Corpore compta*] *Cŏpta*, seu *coapta*, Faber; ut et lib. 3. v. 260.

—*Quibusque*
Cŏpta modis *vigeant*—.

32. *Ordia prima*] Primordia.

34. *Rerum Simulacra*] Intelligit species rerum, quas vulgo intentionales vocant, εἴδωλα, τύπους, ὑμένας, membranulas, effluvia ex superficie corporea, quæ ex omnibus omnino rebus perpetuo emanant, et animos impellunt. Latinis *spectra, figuræ, imagines, effigies: quarum incursu*, ut inquit Cicero ex Epicuro, 1. de Fin. *non modo videmus, sed etiam cogitamus,*

35 Quæ quasi Membranæ summo de corpore rerum
Dereptæ volitant ultro citroque per auras:
Atque eadem nobis vigilantibus obvia menteis
Terrificant, atque in somnis, cum sæpe figuras
Contuimur miras, simulacraque luce carentum,
40 Quæ nos horrifice languenteis sæpe sopore
Excierunt: ne forte Animas Acherunte reamur
Effugere, aut Umbras inter vivos volitare;
Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Cum Corpus simul, atque Animi natura perempta,
45 In sua discessum dederunt Primordia quæque.
Dico igitur, rerum Effigias, tenueisque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum;
Quæ quasi Membrana, vel Cortex nominitanda 'st,
Quod speciem, ac formam similem gerit ejus Imago,
50 Quojuscunque cluet de corpore fusa vagari.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde:
Principio, quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffusa solute,
Robora seu Fumum mittunt, ignesque Vaporem;
55 Et partim contexta magis, condensaque, ut olim

quæ veluti pelliculæ de summo Corpore detractæ huc et illuc per aëra vagantur; quæ aliquando in nos vigilantes incursantia animos nostros terrent, aliquando in nos somno sopitos, cum formas horrendas intueri videamur, et mortuorum Idola, *quæ nos somno sopitos maximo cum horrore sæpe excitant: ne forte credamus animas e Tartaro evolare, aut umbras inter vivos volitare; ne etiam credamus aliquid nostri relinqui posse post mortem, cum et corpus et anima consumpta in sua primordia redierunt. Dico igitur simulachra, tenuesque figuras rerum mitti a summo rerum Corpore (superficie) quæ Membrana vel Cortex istarum rerum bene dici possit, quod formam fert ejus rei a qua emissa volitat. Hoc autem, quamvis rudis tibi sit animus et minus attentus, ex his quæ dicturus sum facile percipies. Primo quoniam multæ res (ad sensum provoco) corpora e se emittunt, partim rara, nec compacta, sic Ligna mittunt Fumum, et Ignis Vaporem; partim densa magis et compacta,*

NOTÆ.

40. *Horrifice*] Lib. 2. v. 608, 609.

Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice *fertur divinæ Matris imago.*

41. *Ne forte Animas*] Huc tendit Lucretius, nam ex instituto Epicuri τὰ φυσικὰ perlustranda existimabat, ideo tantum, ut hominum animi religionis vinculis expediri possint facilius: *Faber.*

46. *Dico igitur, rerum Effigias*] Quæ v. 34. *simulachra*, jam *effigias rerum, tenues figuras, membranam*, et corticem appellat; eaque mitti a rerum superficie v. 5. asserit; et deinde v. 19. hoc modo probat. Res multæ (idque ipsi oculi agnoscunt) e se mittunt Corpora, quædam rara et tenuia, sic lignum fumum, calorem ignis; quædam spissa magis et compacta, sic cicadæ et serpentes pelles suas; quis autem tenuia quædam *simulachra* avolare a rerum superficie dubitet, cum videat spissa magis et solida deponi? Præsertim cum sint minuta corpuscula in rerum superficie seu prima fronte collocata, quæ facile sese expedire possunt, et avolare. Epicurus ipse, *καὶ μὲν καὶ τύπα ὁμοιοσχήμονας τοῖς περιεχομένοις εἰσὶ, λεπτότητι ἀπίχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων, τύπους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν. Effigias* vero ut apud Plautum; *hæc est Veneris* effigia.

47. *Summo de corpore*] Recte, si unquam alias, Lambinus Gifanium cum suo *cortice* e codd. desumpto castigat. *Effigies*, viz. *de rerum cortice*, nominanda est *cortex*: quid ineptius? Epicurus autem hæc *simulachra* excitat ἀπὸ τοῦ σωμάτων ἐπιπολῆς. Vid. etiam v. 35. et v. 62.

Cum veteres ponunt tunicas æstate Cicadæ:
Et Vituli cum membranas de corpore summo
Nascentes mittunt, et item cum lubrica Serpens
Exuit in spinis vestem; nam sæpe videmus
60 Illorum spoliis vepreis volitantibus auctas.
Hæc quoniam fiunt, tenuis quoque debet Imago
Ab rebus mitti summo de corpore earum:
Nam, cur illa cadant magis, ab rebusque recedant,
Quam quæ tenuia sunt, hiscendi 'st nulla potestas.
65 Præsertim cum sint in summis corpora rebus
Multa minuta, jaci quæ possint ordine eodem
Quo fuerint, veterem et formæ servare figuram;
Et multo citius, quanto minus endopediri
Pauca queunt, et sunt in prima fronte locata.
70 Nam certe jaci, atque emergere multa videmus.
Non solum ex alto, penitusque, ut diximus ante,

ut cum cicadæ veteres tunicas in æstate deponunt, et cum vituli nascentes pelliculas de summo corpore deponunt, et cum serpens lubrica tunicam in vepribus exuit; sæpe enim videmus vepres tenuibus illorum exuviis ornatos. Quoniam vero certum est hæc corpora emissa esse, tenue quoque et subtile simulachrum *a summo rerum Corpore (superficie) mitti debet; cur enim illa quæ densa sunt et compacta potius a corpore recederent, quam ea quæ sunt tenuia et subtilia, nulla omnino ratio reddi potest. Præcipue cum in rerum superficie multa sunt minuta corpora, quæ emitti possunt eo ordine quo in corpore sita erant, et formam figuramque rei retinere; imo tanto citius mitti possunt quanto pauca corpora et ea quæ sunt in superficie rei locata minus impediri possunt, quam ea quæ plura sunt, et interius locata. Nam profecto videmus multas res non solum ex interioribus partibus corporis, ut modo docuimus,*

NOTÆ.

56. *Veteres*] *Teretes*, alii: et pro *æstate*, *ætate*, frustra.

61. *Hæc quoniam*] *Quæ quoniam*.

64. *Hiscendi 'st nulla potestas*] Ne hiscere quidem licet; nulla omnino ratio reddi potest: ita ex optimis codd. Lambinus; et vani isti qui *ostendi* præferunt.

67. *Veterem et formæ*] Alii, *solitam*: quidam *et consimilem*, seu *et conformem*. Gifanius,

Et con *formæ servare figuram*;

viz. *conservare*: *forma* autem secundum Epicurum est id quod in corporis superficie continenter remanet, ipsa imagine tanquam spolio continenter avolante: aliquid viz. coloris solido inhæret, aliquid derasum transfertur, quod sit simulachrum.

69. *Pauca queunt*] Ait Poeta, *summis in rebus multa minuta corpora esse* quæ jaci possint, &c. Et revera longe plurima esse ea debent, alioqui unde tandem perenne illud specierum effluvium? Vides eam esse Lucretii sententiam, corpora *multa* minuta esse in summis rebus, quæ quanquam sint *multa*, tamen tanto citius jaciuntur, quanto minus impediri possunt *pauca*: id autem dicere, non modo inconstantis hominis est, sed ejus etiam, qui rei physicæ imperitissimus sit. Itaque non *pauca* legi, sed *parva* necesse est; pergit enim, et ut probet *multa* corpora profundi ex rebus, hos versus subjicit:

Nam certe jaci, atque emergere multa *videmus*,
Non solum ex alto, penitusque, ut diximus ante,
Verum de summis, &c. Faber.

Pro *et sunt*, Gifanius, *ut sunt*.

70. *Nam certe jaci*, &c.] V. 15. confirmat quod superiori argumento assumserat, idque probat experimento, quo constat *colores* ita delibrari a summis corporibus ut *imaginum* quoque direptionem arguant: quippe vela theatris intenta totum Scenæ apparatum, Populumque spectantem suo colore perfundunt.

Nam jacier certe, *atque emergere*; Gassendus:

Alii, *Nam certe jaci* ac tergeri; vel
Nam detergeri *atque emergere*.

Verum de summis ipsum quoque sæpe colorem :
Et volgo faciunt id lutea, russaque Vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta Theatris
75 Per malos volgata, trabeisque trementia flutant,
Namque ibi consessum Caveaï subter, et omnem
Scenaï speciem, Patrum, Matrumque, Deorumque,
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore ;
Et quanto circum mage sunt inclusa Theatri
80 Mœnia, tam magis hæc intus perfusa lepore
Omnia conrident conrepta luce diei.
Ergo Lintea de summo cum corpore fucum
Mittunt, Effigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque, ex summo quoniam jaculantur utræque.
85 Sunt igitur, jam formarum vestigia certa,
Quæ volgo volitant subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri.
Præterea, omnis Odos, Fumus, Vapor, atque aliæ res
Consimiles, ideo diffusæ rebus abundant,
90 Ex alto quia dum veniunt intrinsecus ortæ,
Scinduntur per iter flexum ; nec recta viarum
Ostia sunt, qua contendunt exire coortæ :
At contra, tenuis summi membrana Coloris
Cum jacitur, nihil est, quod eam discerpere possit,
95 In promptu quoniam 'st in prima fronte locata.

emergere, sed de superficiebus ipsum colorem emitti. Et vela lutei, russi, aut ferruginei coloris id sæpe faciunt, cum spatiosis theatris intenta per malos et trabes dispansa fluitant ; namque totum in cavea consessum, scenam omnem, Patres, Matronas, atque Deos tingunt, suoque colore fluitare cogunt : et quanto magis theatra sunt hujusmodi velis obducta, tanto magis venusto colore, qui seipsum luci adjungit, omnia lepide perfunduntur. Igitur cum vela de superficie sua colorem mittant, quælibet res debent tenuia simulachra mittere, quoniam a superficie utraque mittuntur. Sunt igitur certæ rerum imagines, quæ tenues subtilesque per aëra volitant, quæ tamen sigillatim, et separatæ videri nequeunt. Præterea, omnis Odor, Fumus, Vapor, atque aliæ ejusdem generis res idcirco raræ et dispersæ e rebus emergunt, quia dum in partibus interioribus natæ ex alto veniunt, nec viæ sunt rectæ per quas egredi conantur, per obliquos et tortuosos meatus ascendentes discerpuntur : e contra vero cum summi coloris tenuis membrana mittitur, nihil est quod eam possit scindere, quoniam est in rei superficie locata.

NOTÆ.

75. *Volgata*] Volitantia: sic lib. 2. v. 163. et 346. *pervolgant*, et jam infra v. 209. et lib. 5. v. 1161.

77. *Deorum*] Nam ibi Deorum Simulachra, quippe ludi id genus religionis pars erant.

85. *Sunt igitur, &c.*] His 3. v. concludit ex disputatis et probatis hactenus esse ista, de quibus agitur, rerum Simulachra: Pro *certa* quidam legunt *cæca*, quos ego non sequor.

88. *Præterea, omnis Odos, &c.*] Supra v. 66, 67. docuit, *Simulachra jaci ordine eodem*

Quo fuerint, veterem et formæ servare figuram.

Jam v. 8. ostendit se non inepte illud docuisse, ideo enim eundem ordinem servant, quoniam avolant a corporis superficie, unde omnes *Simulachrorum* partes æque facile se expediunt, inde per nullos meatus, et viarum anfractus feruntur, ut Odor, Fumus, Vapor, et id genus alia quæ e rerum partibus interioribus fluunt, et eam ob causam confusa volitant, et dispersa.

Postremo, in Speculis, in Aqua, Splendoreque in omni
Quæcunque apparent nobis Simulacra necesse 'st,
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,
Esse in imaginibus missis consistere eorum :
Nam cur illa cadant magis, ab rebusque recedant
Corpora res multæ quæ mittunt Corpore aperto
Quam quæ tenuia sunt, hiscendi 'st nulla potestas.
Sunt igitur tenues formarum, consimilesque
Effigiæ, singillatim quas cernere nemo
Cum possit ; tamen assiduo, crebroque repulsu
Rejectæ, reddunt Speculorum ex æquore visum :
Nec ratione alia servari posse videntur
Tantopere, ut similes reddantur quoique figuræ.
Nunc age, quam tenui natura constet Imago,
Percipe ; et imprimis quoniam Primordia tantum
Sunt infra nostros sensus, tantoque minora,

Postremo, ut illa omnia simulachra quæ in speculis, in aqua, omnique re plana et [illegible] *apparent nobis, sint e missis imaginibus composita necesse est, quoniam formam rerum et fi*[illegible] *referunt : nam cur illa corpora quæ sub sensum cadunt potius a rebus mitterentur, quæ* [illegible] *plurima nos videmus mitti, quam illa quæ tenuia et subtilia sunt, nulla profecto ratio* [illegible] *potest. Sunt igitur tenues rerum imagines rebus ipsis similes, quas cum nemo sigillatim videre, tamen a lævi et æquabili speculo jugiter rejectæ oculos movent, et sub visum ea* [illegible] *nec alia ratione videtur fieri posse ut simulachra a speculis rejecta essent rebus ipsis tam si* [illegible] *earumque formam et figuram ostenderent. Nunc vero disce quam tenuia et subtilia sint i* [illegible] *mulachra ; et imprimis quoniam rerum semina (atomi) sunt infra nostros sensus, atque minora*

NOTÆ.

96. *Postremo, in speculis, &c.*] Denique probat, v. 13. dari imagines e rerum superficie dereptas ; *simulachra* quæ a nobis cernuntur in speculis, in aqua, et in re qualibet plana et lævigata, simillima sunt iis rebus quarum sunt *simulachra*. Ergo necesse est ista *simulachra* ex imaginibus ab ipsis rebus dereptis componi ; nam nulla alia causa reddi potest tam exactæ similitudinis, nisi cortex summus ille, qui toti rei dudum hærens, quasi membrana separatur, et appellit in speculum, aut aquam : notabis autem singulas rerum imagines, quæ in speculis aut in aquâ cernuntur non unas esse, sed multas, quæ jugi repulsu ad oculos rejectæ non plures, sed quasi una imago videantur. Sane experientia monstrat imagines ex ipsis usque corporibus in specula transmitti ; quando illis præsentibus appellunt in speculum, re quapiam interposita a progressu in speculum arcentur ; ac si moveantur corpora, moventur et ipsæ, si invertantur, invertuntur ; si discedant, abeunt ; si absint, sunt nullæ.

99. *Esse—eorum*] Τὸ εἶναι, ἡ οὐσία.

102. *Hiscendi 'st*] Ita supra v. 64. idem ac v. 128, 129,

——Dicere nemo 'st
Qui possit, neque eam rationem re
dictis.

109. *Nunc age, quam tenui, &c.*] H
imaginum affectiones explicaturus, p
v. 13. docet summam tenuitatem, [illegible]
quidem quæ vix concipi possit, illis c
nire : res ut declaretur, cogita dun
nihil esse aliud imagines quam atom
tenuissimas, pellicularum instar, co
turas ; at quanta sit atomorum subti
quarum innumeræ myriades neces
sunt minutissimo animalculo, *Acari*,
membrulove etiam ejus compingendo
nempe satis est ut intelligas, si imag
stiterit ex ejusmodi atomis, quæ non
βάθος, quod est Epicuri verbum, coh
cant, esse debere imaginem multis n
dum myriadibus ipsa unius *Acari* pa
læve ejus crassitudine tenuiorem. E
rus ipse, καὶ μὲν καὶ τύποι ἐμφωσχήμον
τεμνίοις εἰσὶ, λεπτότητι ἀπίχοντες μ
τῶν φαινομένων, τούτους δὲ τοὺς τύπους
προσαγορεύομεν : et alibi, ὅτι τὰ εἴδωλα
λεπτότητιν ἀνυπερβλήτοις πίχεται, ὅθεν
μαρτυρεῖ τῶν φαινομένων.

Quam quæ primum oculi cœptant non posse tueri.
Nunc tamen id quoque uti confirmem, Exordia rerum
Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.
115 Primum Animalia sunt jam partim tantula, eorum
Tertia pars nulla ut possit ratione videri.
Horum Intestinum quodvis quale esse putandum 'st?
Quid? Cordis globus aut Oculi? quid? Membra? quid? Artus?
Quantula sunt? quid? præterea Primordia quæque,
120 Unde Anima, atque Animi constet natura necessum 'st,
Nonne vides, quam sint subtilia, quamque minuta?
Præterea, quæcunque suo de corpore odorem
Exspirant acrem, Panaces, Absinthia tetra,
Abrotonique graves, et tristia Centaurea;
125 Horum unumquodvis leviter si forte ciebis,
Quamprimum noscas rerum Simulacra vagare
Multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu:
Quorum quantula pars sit Imago, dicere nemo 'st
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
130 Sed ne forte putes ea demum sola vagare,

quam corpora illa, quæ propter exiguitatem primum aciem oculorum fugiunt. Ut vero obiter demonstrarem subtilitatem et exiguitatem atomorum, hæc breviter. Primum sunt quædam animalia tam minuta ut eorum tertia pars nullo modo videri possit; quam minutum putandum est quodvis horum animalium intestinum? cordis globus, aut oculi, membra atque artus quam minuta sunt? Nonne etiam intelligis quam subtilia et minuta debent esse singula illa semina e quibus illorum animalium anima componatur? Præterea, quæcunque corpora gravem odorem exspirant, qualia sunt panaces, amara absynthia, graveolentes abrotoni et amara centaurea, si horum corporum unumquodvis leviter motitabis, facile cognosces multa rerum simulachra multis modis vagari, nulla vi, et sensu cassa; quorum simulachrorum quantilla pars imago sit nemo potest dicere, aut illius subtilitatem dictis explicare. Ne vero forsan credas ea tantum simulachra quæ

NOTÆ.

112. *Quam quæ primum oculi*] Summum cacumen concretorum; *Faber*. Vid. lib. 1. v. 593.

122. *Præterea, quæcunque suo, &c.*] Horum 8. v. sensus est. Cum tanta corpusculorum copia ex hisce herbis graveolentibus exhaletur, ut vicinum aërem compleat, dici non potest quantula sit pars quæ ex superficie deripitur, ac proinde cum imago sit ex iis duntaxat quæ ex superficie dimanant, et cum visus sensorio habent analogiam, excedere fidem quantæ tenuitatis esse imago debeat, et maxime, cum post multum tempus nihil quod sensibile sit exhalatum deprehendatur; mira sane tenuitas vaporis odoriferi, ac proinde corpusculorum ex quibus vapor totus constat, cum v. g. ex pomo per aliquot menses continuos emanat; et pomum tamen nihilo factum minutius observetur. Cogita porro quam crassus sit iste vapor respectu imaginis, et agnosces *imagines*, quæ per plures annos funduntur, si compositæ fuerint, non effecturas tantam molem, quanta est vaporis uno momento temporis effluentis.

125. *Ciebis*] Alii, *movebis:* Vossius vero ad Catullum p. 270. *revolvas*; et in sequenti versu e veteris scripturæ vestigiis, *Quin potis es noscas.*

127. *Cassaque sensu*] Alii interpretantur, *privata sensu*, ut *aër lumine cassus; cassum anima corpus*, &c. quasi id ageret Lucretius, ne hæc simulachra sensum non habere nesciamus: at vero *nulla vi, cassaque sensu* melius interpreteris; *quæ* vi tam debili feruntur, ut organa movere, sensumque excitare non possunt.

130. *Sed ne forte putes, &c.*] Post expositum familiarem illum, ac præcipuum modum generationis imaginum quas ἀποφάσεις et ἀποῤῥοίας vocat Epicurus, quia fiunt

Quæcunque ab rebus rerum Simulacra recedunt:
Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, et ipsa
Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aër;
Quæ multis formata modis sublime feruntur,
135 Nec speciem mutare suam liquentia cessant;
Et quoiusquemodi formarum vertere in ora.
Ut nubeis facile interdum concrescere in alto
Cernimus, et mundi speciem violare serenam,
Aëra mulcenteis motu: nam sæpe Gigantum
140 Ora volare videntur, et umbram ducere late:
Interdum magni montes, avolsaque saxa
Montibus anteire, et solem succedere præter;
Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.
Nunc ea quam facili, et celeri ratione genantur,

a rebus ipsis emittuntur per aëra vagari, sunt etiam quædam simulachra, quæ sponte sua gignuntur, et in hoc nostro inferiori cœlo, qui aër dicitur, coalescunt; quæ quidem multis modis mire formata in altum feruntur, et cum tenuia sint et minus compacta formam suam subinde mutant, et cujuslibet figuræ speciem induunt. Ut aliquando videmus nubes facile in alto concrescere, et per aërem delatas serenam cœli faciem sua nigredine deturpare; sæpe enim videmus species gigantum per altum ferri, et latam umbram explicare; aliquando magni montei, aut saxa montibus avulsa præcedere solem, aut subire; et post hæc ferarum monstra in nubibus vagari et tenebras facere videntur. Nunc autem percipe quam facili celerique ratione ista simulachra generentur,

NOTÆ.

continua quadam direptione avolationeque tenuium quasi membranularum ab extimis corporibus; v. 14. explicat aliud genus imaginum, quas *συστάσεις* vocat Epicurus, quia sunt quasi quædam coagmentationes sponte sua in medio aëre natæ, tanquam nubes, neque e rebus ipsis revera profluunt. Inde gigantes, montes, urbes, et id genus alia inter nubes sæpe videmus, et stulti admirantur; Diodorus Siculus spectra commemorat formari sponte solita in Africæ regionibus, quæ sunt ultra Syrtes, et Cyrenen sitæ: *περὶ γάρ τινας καιροὺς καὶ μάλιστα κατὰ τὰς νηνεμίας Συστάσεις ὁρῶνται κατὰ τὸν Ἀέρα παντοίων ζώων ἰδέας ἐμφαίνουσαι· τούτων δὶ αἱ μὲν ἠρεμοῦσιν, αἱ δὲ κίνησιν λαμβάνουσι, καί ποτε μὲν ὑποφεύγουσι, ποτὲ δὲ διώκουσι*, &c. Epicuri voce *Συστάσεις* utitur Diodorus, ipse Epicureus. Similia habet Pomponius Mela, de Mauritania quæ retro Atlantem: similia Plinius de Scythiæ regionibus quæ infra Imaum. Nota etiam sunt, quæ de *Morgana*, seu celebri illo Rheginorum spectaculo prodidit Kircherus: et in omni fere regione istiusmodi spectra plurimi vident, saltem putant se vidisse.

139. *Aëra mulcenteis motu*] Alii, *Aëre mulcentes motum:* Gifanius, *Aëra* mulgentes *motu*, id est, impellentes, vel agitantes. Sic Enniùs,

Mulserat *huc navem compulsam fluctubus Pontus.*

Cicero in Arati Phænomen.

At propter se aquila ardenti cum corpore portat
Igniferum mulgens *tremebundis aëra pennis.*

Alii, Aëra *mulcantes* motu: *mulcare* autem verberare, et pene mutilare est; modo autem dixit,

Cœli faciem violare *serenum.*

Decem hi versus sunt in codd. misere turbati, in aliquem saltem ordinem redegit Lambinus, forsan non in optimum. Versum igitur 143.

Inde alios trahere atque inducere bellua *nimbos,*

loco suo motum versui 138.

Mundi speciem violare serenam,

subjungas, et cum Gassendo legas,

Inde alios trahere, atque inducere nubila *nimbos.*

Nihil tamen muto.

144. *Nunc ea quam facili, et celeri, &c.*] Perpetuo et jugi fluore et omni temporis momento simulachra a rebus mitti v. 18. probat, argumento a *speculis* ducto; profer speculum, cujuslibet rei objectæ imago subito apparet, quod tamen non fieret, nisi istius rei imago ab ipso corpore fluens ab isto speculo rejiceretur: si inqui-

145 Perpetuoque fluant ab rebus, lapsaque cedant.
Semper enim summum quidquid de rebus abundat,
Quod jaculentur: et hoc alias cum pervenit in res,
Transit, ut in primis Vestem; sed in aspera Saxa,
Aut in materiem ut Ligni pervenit; ibi jam
150 Scinditur, ut nullum Simulacrum reddere possit.
At cum, splendida quæ constant, oppôsta fuerunt,
Densaque, ut in primis Speculum 'st; nihil accidit horum,
Nam neque uti vestem possit transire, neque ante
Scindi, quam meminit lævor præstare salutem:
155 Quapropter fit, ut hinc nobis Simulacra genantur;
Et quamvis subito, quovis in tempore, quamque
Rem contra Speculum ponas, apparet Imago:
Perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
Texturas rerum tenueis, tenueisque figuras.
160 Ergo multa brevi spatio Simulacra genuntur,
Ut merito celer his rebus dicatur origo.
Et quasi multa brevi spatio summittere debet
Lumina Sol, ut perpetuo sint omnia plena;
Sic a rebus item simili ratione necesse 'st
165 Temporis in puncto rerum Simulacra ferantur

jugique fluore a rebus avolantia recedant. Semper enim præsto est aliquod extremum in rerum superficie quod istæ res emittant; et hoc ita emissum cum pervenit in alias res, ut cum in vestem v. gr. pervenerit, illas permeat: sed ubi in aspera saxa, lignumve pervenerit, ibi frangitur et discerpitur, ita ut rei ipsius e qua emittitur imaginem reddere nequeat. At cum polita densaque corpora illi opposita sunt in quæ incidat, quale corpus speculum præcipue est, tum nihil horum accidit (neque permeat, neque frangitur), non enim potest permeare ista corpora tanquam vestem, neve frangitur et discerpitur priusquam lævo speculum integrum reddit et illæsum; et inde fit quod imagines ad nostros oculos ferantur; et repente licet, quovis etiam temporis momento rem aliquam ponas contra speculum, illius rei imago apparet: unde manifestum est tenues rerum texturas, et veluti cortices jugi fluore avolare. Brevi ergo temporis spatio multa simulachra generantur, et merito dicitur illa celeri ratione nasci. Et ut sol debet brevi temporis spatio multam lucem emittere, ut cœlum omne sit illa perpetuo repletum; sic etiam necesse est ut rerum multa simulachra in puncto temporis a rebus

NOTÆ.

ras, cur aliæ res non repellant imagines? respondet, alias esse raras, quas *simulachra* permeant; alias porosas aut asperas esse quibus scinduntur imagines et dissipantur; in læve vero, et æquabile corpus impingant, quale est speculum, subito ad oculos reflectuntur. Epicurus apud Laertium, ἡ γίνεσις τῶν εἰδώλων ἅμα τῷ νοήματι συμβαίνει, καὶ γὰρ ῥύσεις ἀπὸ τοῦ σωμάτων ἐπιπολῆς συνεχὴς συμβαίνει, σώζουσα τὴν ἐπὶ τῷ στερεμνίῳ θέσιν, καὶ τάξιν τῶν Ἀτόμων ἐπὶ πολὺν χρόνον, εἰ καὶ ἐνίοτε συγχεομένη ὑπάρχει.

152. *Nihil accidit horum*] Gifanius, *Nihil occidit*, viz. Nihil Simulachrorum tum perit: hæc quidem ferri potest lectio, sed altera probabilior.

158. *Perpetuo fluere*] Ea enim est Epicuri sententia; imaginem, quæ in speculo cernitur non esse quid unum constans, certum, stabile, et idem, sed alias atque alias imagines, alteram in alterius locum, deinceps et sine ulla interruptione succedentes.

159. *Texturas*] Meursius, *exturas rerum*.

162. *Et quasi multa brevi*, &c.] Perpetuum jugemque Imaginum fluorem v. 7. illustrat et confirmat: ut luce plena sint omnia, radii a sole perpetuo mittendi sunt; pari ratione simulachra a rebus avolent necesse est, quocunque enim obvertas speculum apparet rei oppositæ imago, nec, quamdiu res situm suum servat, ista disparet imago.

Multa modis multis in cunctas undique parteis :
Quandoquidem Speculum queiscunque obvertimus oris,
Res ibi respondent simili forma, atque colore.
Præterea, modo quom fuerit liquidissima cœli
170 Tempestas, perquam subito fit turbida fœde
Undique, uti tenebras omneis Acherunta rearis
Liquisse, et magnas cœli complesse cavernas :
Usque adeo tetra nimborum nocte coorta,
Impendent atræ formidinis ora superne ;
175 Quorum quantula pars sit Imago, dicere nemo 'st
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quam celeri motu Simulachra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita sit, longo ut spatio brevis hora teratur,
180 In quemcunque locum diverso numine tendunt,
Suavidicis potius, quam multis versibus edam :
Parvus ut est Cycni melior canor, ille Gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Principio, persæpe leveis res, atque minutis

in omnes undique partes jaciantur : quocunque enim speculum obvertimus, in illo apparent res ea forma eoque colore quo revera sunt. Præterea, cum cœli facies modo fuerit maxime serena, subito fœdis densisque tenebris ex omni parte obducitur, ita ut putes omnes tenebras inferos reliquisse, et spatiosa cœli loca replevisse ; tam atra et horrenda nox e coactis nubibus coorta impendet desuper, et terret. At istarum nubium quantilla pars Imago *sit, nemo potest dicere, aut illius exiguitatem verbis explicare. Nunc autem age, quanta celeritate simulachra hæc moventur, et quam celer sit eorum transitus cum aëra pervolant, ita ut immensum loci spatium brevi temporis spatio emetiantur, in quemcunque locum vario motu singula ferantur, suavibus potius quam multis versibus explicabo ; ut parvus brevisque oloris cantus gratior est quam iste gruum magnus strepitus, qui longe per aëra diffunditur. Primo, sæpe videmus leves res, et factas e minutis*

NOTÆ.

167. *Queiscunque obvertimus oris*] Alii,
—Quocunque *obvertimus*, illuc
Res tibi respondent ; alii,
— *Speculum* quoicunque *obvertimus* Æris.
Lambinus maluit,
Quoicunque *obvertimus* oræ.
Alius vero nescio quis legit,
—Quocunque *obvertimus*, omneis
Res tibi *respondent.*

169. *Præterea, modo quom fuerit, &c.*] Aliud, sed id minus validum argumentum v. 8. sequentes continent ; serenum cælum videmus subito densis nubibus obductum, istæ vero nubes e terra aut e mari surgunt, spissa sunt graviaque corpora ; quid igitur tenues levesque imagines moretur ?

Ibid. Hos versus iniquo loco dispositos esse existimat Nardius, et superius collocari debere, qua de imaginum exilitate agitur ; sed quis iste Nardius ?

172. *Cœli complésse cavernas*] Varro,
Nubes aquaï frigido velo leves
Cœli cavernas *aureas subduxerant.*
Cicero in Arato,
Dicitur et late cœli lustrare cavernas.

177. *Nunc age, quam celeri, &c.*] V. 7. monet Lucretius, se de imaginum harum mobilitate breviter disputaturum ; nec profecto longa disputatione opus, cum simulachra vagari ea motus celeritate, qua nulla major potest concipi, specula demonstrant.

180. *In quemcunque locum*] *In quem quæque*, alii, melius ; et pro *numine* legunt *momine.*

184. *Principio, persæpe leveis, &c.*] V. 15. celeritatem trajectionis imaginum explicat, comparatione facta inter motum simulachrorum et radiorum solarium a cœlo ad terram tempore imperceptibili pertingentium. Unde enim ista radiorum solarium celeritas ? Nempe exigua sunt corpora et subtilia, facile emittuntur e corpore

185 Corporibus factas, celereis licet esse videre.
In quo jam genere 'st Solis lux, et vapor ejus,
Propterea quia sunt e primis facta minutis;
Quæ quasi truduntur, perque Aëris intervallum
Non dubitant transire, sequenti concita plaga:
190 Suppeditatur enim confestim lumine lumen,
Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.
Quapropter Simulacra pari ratione necesse 'st
Immemorabile per spatium transcurrere posse
Temporis in puncto: primum quod parvola causa
195 Est procul a tergo quæ provehat, atque propellat:
Deinde, quod usque adeo textura prædita rara
Mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res,
Et quasi permanare per Aëris intervallum.
Præterea, si, quæ penitus Corpuscula rerum
200 Ex alto in terras mittuntur, Solis uti lux,
Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese;
Perque volare mare, ac terras, cœlumque rigare

corporibus celeri motu ferri; cujus generis sunt lux solis, atque ejus calor, quia componuntur e minutis seminibus, quæ quasi protruduntur, et per interjacentem aëra transeunt ab alio calore et luce a tergo insequente propulsa: nam jugi fluore lux lucem sequitur, et perpetuo continuatoque impulsu splendor a splendore protruditur. Quapropter pari ratione necesse est Simulachra *momento temporis immensum, et quod vix concipi potest spatium pertransire posse; primo, quia est sufficiens vis quæ ista minuta a tergo provehat et protrudat, deinde quoniam tam tenuia et subtilia sunt, ut res quasvis facile penetrare queant, et interjacentem aërem quasi permanare. Præterea, si illa corpuscula rerum quæ ex interioribus rerum partibus e cœlo in terras mittuntur, qualia sunt lux et calor solis, momento temporis per totum cœli spatium se diffundunt; si per terras, cœlumque quod*

NOTÆ.

solari, ab aliis radiis perpetuo insequentibus protruduntur, et res tam subtiles aër interjacens non impedit; si vero hæc faciunt ut radii solares celerrime ferantur, eadem etiam efficient, ut simulachrorum trajectio sit celerrima.

189. *Non dubitant*] Properant, seu non cessant, sic lib. 6. v. 1189, 1190.

A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat.

191. *Et quasi protelo*] Lib. 2. v. 530, 531.

Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo *plagarum continuato.*

194. *Quod parvola causa*] Faber,

—primum quod plurima *causa*
Est, procul a tergo quæ provehat.

Videbit lector ipse (quid enim pluribus opus est?), quanta hic absurditas antea lateret, *Monstrum horrendum, ingens &c.* Et tamen hoc illud est quod omnes legebant, quod omnes probabant; nos, nisi fallimur, sanius: hæc quidem ille, satis arroganter. Non opus autem ista emendatione, si *parvola* non voci *causa*, sed *simulachra* jungas. Vid. v. 66.

199. *Præterea, si quæ penitus, &c.*] Modo probavit imagines pari celeritate cum solis radiis ferri, jam majorem v. 11. illis attribuit; quippe subtiliores sunt imagines, et, quod ad illarum celeritatem vehementer facit, fluunt a rerum superficie, et sese facile expediunt, dum calor et lux ab interioribus solis partibus mittuntur. Quidam legunt,

—Quæ penitus corpuscula rerum
Ex altoque foras *mittuntur.*

Et forsan rectius.

203. *Cœlumque rigare*] Per cœlum diffundi, et illud complere: Sic lib. 5. v. 593.

Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omneis, cœlumque rigando

Quod supera 'st; ubi tam volucri hæc levitate feruntur:
205 Quid? quæ sunt igitur jam prima in fronte parata
Cum jaciuntur, et emissum res nulla moratur,
Nonne vides citius debere, et longius ire:
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant lumina cœlum?
210 Hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
Quam celeri motu rerum Simulacra ferantur,
Quod simul ac primum sub divo splendor Aquaï
Ponitur, extemplo, cœlo stellante, serena
Sidera respondent in Aqua radiantia mundi.
215 Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago
Ætheris ex oris ad terrarum accidat oras?
Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare necesse 'st
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant:
Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores;
220 Frigus ut a fluviis, Calor a sole, Æstus ab undis
Æquoris, exesor mœrorum litora circum:
Nec variæ cessant Voces volitare per auras.

supra est, volent, et illud impleant propter celeritatem motus qua feruntur: quid? nonne manifestum est illa corpora quæ in promptu sunt in rerum superficie collocata, et quæ cum jaciuntur nulla res impedit quin libere avolent, debere celerius moveri, et majus loci spatium pertransire eodem tempore quo solis radii cœlum percurrunt? Hinc etiam sumas egregium specimen celeritatis istius motus quo Imagines *feruntur, quod simul ac aqua sub dio collocetur, extemplo, cœlo stellis fulgente, stellarum fulgentium imagines in ista aqua intuemur: nonne igitur jam vides quam brevi temporis spatio imagines a summo cœlo ad terras descendunt? Omnino igitur fatendum est a rebus mitti ista corpora quæ in oculos incurrunt, et lacessunt visum: a quibusdam rebus odores perpetuo fluunt; frigus insuper a fluviis, calor a sole, æstus (salsus vapor) ab æquore, qui exedit mœnia juxta oras maritimas posita: variæ etiam voces perpetuo volitant per auras.*

NOTÆ.

Compleat, *et calido perfundat cuncta vapore.*
Sic atomorum trajectiones Epicurus ad Pythoclem vocat ἰκαεδιώσεις.

206. *Emissum*] Emissionem, ejaculationem, ἀκόντιον.

208. *Multiplexque*] Alii, *multiplicisque.*

209. *Pervolgant*] Sic alibi, et lib. 4. v. 75. et lib. 5. v. 428. *volgata.*

210. *Hoc etiam in primis specimen, &c.*] Sibi in subsidium vocat experientiam. v. 7. Omnis visio per imagines, at speculum vel aquam sub dio ponas, et momento temporis omnium stellarum imagines a speculo isto aut aqua resilientes in oculos incurrunt: quanta igitur trajectionis istarum imaginum celeritas?

216. *Ad terrarum accidat*] Alii, in *terrarum incidat.*

217. *Quare etiam atque etiam, &c.*] Hic autem fluor imaginum ad oculos admittendus est, quoniam, v. 14. ad omnes alios sensus e rebus effluxus quidam allabuntur. Eodem argumento usus est Epicurus, teste Macrobio, Sat. lib. 7. c. 14. *In propatulo est quod decepit Epicurum; a vero enim lapsus est, aliorum quatuor sensuum secutus exemplum: quia in audiendo, gustando, et odorando, atque tangendo, nihil e nobis emittimus, sed extrinsecus accipimus quod sensum moveat, quippe et vox ad aures ultro venit, et auræ in nares influunt, et palato ingeritur quod gignat saporem, et corpori nostro applicantur tactu sentienda; hinc putavit et ex oculis nostris nihil foras proficisci, sed imagines rerum in oculos ultro meare.*

219. *Odores*] Vulg. *obortu*, imperite. *Obortu* vero in ultima editione rejicit Lambinus, et ridiculus est Fayus dum calumnias Parei impudenter recitat.

222. *Per auras*] Rectius quam *per aures*, ut patet ex v. 230.

Denique in os salsi venit humor sæpe Saporis,
Cum mare versamur propter; dilutaque contra
225 Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur undique parteis;
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi:
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
230 Cernere, Odorari licet, et sentire Sonorem.
Præterea, quoniam manibus tractata figura
In tenebris quædam, cognoscitur esse eadem, quæ
Cernitur in luce, et claro candore; necesse 'st
Consimili causa Tactum, Visumque moveri.
235 Nunc igitur, si Quadratum tentamus, et id nos
Commovet in tenebris; in luci quæ poterit res
Accidere ad speciem, Quadrata nisi ejus imago?
Esse in Imaginibus quapropter causa videtur
Cernendi, neque posse sine his res ulla videri.
240 Nunc ea, quæ dico, rerum Simulacra, feruntur

Denique cum juxta mare ambulemus, salsus sapor in ora nostra sæpe venit, et cum videamus tetra absynthia conteri et misceri, sapor amarus linguam afficit: ita res aliquæ ab omnibus rebus perpetuo fluunt, et in omnes undique partes dimittuntur; nec ullo temporis momento cessant a fluendo: siquidem perpetuo sentimus, et semper possumus videre rem quamlibet, odores etiam et sonos sentire. Præterea, cum figura aliqua in tenebris (noctu) manibus contacta cognoscitur eadem esse quæ in clara diei luce cernitur, necesse est tactum et visum pari causa moveri. Nunc igitur si figuram quadratam manibus tractamus, et illa nos in tenebris movet, facitque ut sentiamus quadratam esse, quænam res potest in luce illam figuram nostris oculis repræsentare, præter quadratam ejus imaginem? Causa igitur videndi simulachra sunt, neque sine illis potest ulla res videri. Nunc illa quæ dico rerum simulachra a rebus missa

NOTÆ.

225. *Tangit amaror*] Virgilius, Georg. lib. 2. v. 246.

At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.

Vid. A. Gellii Noct. Att. lib. 1. c. 21.

230. *Sentire sonorem*] Recte quidem, et id ipsum agnovit Lambinus, qui aliquando legit, *exaudire sonorem*: Gifanius tamen, *sentire sonare*.

231. *Præterea, quoniam, &c.*] Aliud, v. 9. continetur argumentum. Corpus aliquod, quadratum v. g. manu in tenebris tractemus, illud corpus quadratum esse cognoscimus, unde vero nisi ex figura ejus quadrata? Idem corpus in luce nostris oculis usurpemus, cognoscimus quadratum, unde vero nisi ex imagine quadrata?

236. *In luci*] Luce. *Accidere ad speciem*, interpretor *ad oculos pervenire*: et recte quidem, cum *species*, v. 243. oculos significet.

238. *Esse in imaginibus, &c.*] Hanc Epicuri sententiam ita explicat A. Gellius, Noct. Att. lib. 5. c. 16. *Epicurus autem affluere semper ex omnibus corporibus simulachra quædam corporum ipsorum, eaque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat.* Macrobius autem, Sat. lib. 7. c. 14. *Censet Epicurus ab omnibus corporibus jugi fluore quædam simulachra manare, nec unquam tantulam moram intervenire, quin ultro ferantur inani figura cohærentes corporum exuviæ, quarum receptacula in nostris oculis sunt, et ideo ad deputatam sibi a natura sedem proprii sensus recurrunt.* Epicurus ipse apud Laertium docet simulachra ἐνσείειν: et apud Plutarchum εἰδώλων εἴσκρισις, simulachrorum insinuatio; et apud Ciceronem εἰδώλων ἐμφάσεις occurrunt.

240. *Nunc ea, quæ dico, &c.*] V. 5. docet imagines a corporum superficie perpetuo fluentes ubique adesse, nosque circumstare, ita ut per ipsas videre nihil nos prohibeat, si oculos modo converterimus illis percipiendis solos destinatos. Δεῖ δὲ καὶ νομίζειν ἐνσείοντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἐξωθεν τὰς μορφὰς ἡμῶν, καὶ διανοεῖσθαι ὁ γὰρ ἂν ἀπο-

Undique, et in cunctas jaciuntur didita parteis;
Verum, nos oculis quia solis cernere quimus,
Propterea fit, uti, speciem quo vertimus, omnes
Res ibi eam contra feriant forma, atque colore.
245 Et quantum quæque a nobis res absit, Imago
Efficit ut videamus, et internoscere curat.
Nam cum mittitur, extemplo protrudit, agitque
Aëra, qui inter se cumque 'st, oculosque locatus;
Isque ita per nostras acies perlabitur omnis,
250 Et quasi perterget pupillas, atque ita transit.
Propterea fit, uti videamus quam procul absit
Res quæque; et quanto plus aëris ante agitatur,
Et nostros oculos perterget longior aura,
Tam procul esse magis res quæque remota videtur:
255 Scilicet hæc summe celeri ratione geruntur,
Quale sit ut videamus; et una quam procul absit.
Illud in his rebus minime mirabile habendum 'st,
Cur ea, quæ feriant oculos Simulacra, videri
Singula cum nequeant, res ipsæ perspiciantur:

in omnes undique partes feruntur; at vero quoniam solis oculis videre possumus, inde fit ut quoquoversum oculos vertimus, res eo modo quo figuratæ et coloratæ sunt in illos incurrant. Imago etiam efficit ut sentiamus et cognoscamus quantum res visa a nobis distat; nam cum a re mittitur imago, extemplo protrudit et propellit aërem omnem qui jacet inter se et oculos: omnis autem iste aër per oculos nostros perlabitur, pupillas quasi perterget, atque ita transit. Inde fit ut videamus quantum a nobis distant singulæ res visæ; et quanto plus aëris propellitur ante imaginem, et quanto longior aëris tractus nostros oculos perterget, tanto remotior res quæque visa a nobis videtur Hæc autem quam celerrime (uno eodemque momento) fiunt, ita ut simul sentiamus qualis sit illa res quæ videtur, et quam procul distat. Minime autem mirari debet, cur cum ea simulachra *quæ oculos feriant, nequeant singula videri, res ipsæ tamen cernuntur.*

NOTÆ.

σφραγίσαιτο τὰ ἔξω τὴν ἑαυτῶν φύσιν τῷ τι χρώματος, ᾗ τῆς μορφῆς, διὰ τοῦ ἀέρος τοῦ μεταξὺ ἡμῶν τι καρκίνων, ὅδε διὰ τῶν ἀκτίνων, ἢ οἷον δήποτε ῥευμάτων ἀφ' ἡμῶν πρὸς ἐκεῖνα παρεκχυνομένων· ὅτως, ὡς τύπων τινῶν ἱστησιόντων ἡμῶν ἀπὸ τῶν πραγμάτων ὁμοχρόων τε, καὶ ὁμοιομόρφων, κατὰ τὸ ἐνάρμοττον μέγεθος, ὡς τὴν ὄψιν, ἢ τὴν διάνοιαν, ὠκίως ταῖς φορᾶις χρωμένων. Epicurus ad Herodotum.

245. *Et quantum quæque a nobis, &c.*] Multa sunt, eaque insignia de visu problemata, quorum nonnulla proponit et explicat Lucretius. Primo certum est, nos non tantum colores formasque rerum cernere, sod una simul intelligere quantum res visæ a nobis distant. Qua autem ratione id efficiant imagines a rerum superficie fluentes? Respondet Poeta, v. 12. Imago in oculum contendens protrudit aërem ante se, prolixiorem quidem dum eminus appellit, compendiosiorem dum cominus: quo longior autem aut brevior sit iste aëris tractus qui ab imagine protrusus oculum perlabitur, eo longius breviusve intervallum inter rem objectam et oculum intercipi sentitur.

246. *Curat*] Efficit; sic infra, v. 821.
Quod ne miremur sopor atque oblivia curant.

249. *Omnis*] Ita necessario legendum, ut edidit Gifanius, etiam confitente Fabro, acri nimis et nonnunquam iniquo Gifanii censore: Lambinus, *omnes*.

256. *Quale sit*] Nisi malles, *Quali' sit*.

257. *Illud in his rebus, &c.*] Inquirat vero aliquis, cur res ipsæ cernantur cum imagines quæ oculos feriunt singulæ videri non possunt? Respondet pro more suo Lucretius, et v. 13. a pari confirmat illud esse minime mirabile. Singulas partes venti aut frigoris non sentimus, ipsum vero universum ventum seu frigus sentimus; imagines autem singulis partibus frigoris aut venti, res vero ipsas universo frigori aut vento pares existima, et rem declaratam habebis: idem de tactu duri lapidis dicendum.

260 Ventus enim quoque paullatim cum verberat, et cum
Acre ferit Frigus, non privam quamque solemus
Particulam Venti sentire, et Frigoris ejus;
Sed magis universum; fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in nostro, tanquam aliquæ res
265 Verberet, atque sui det sensum corporis extra.
Præterea, Lapidem digito cum tundimus, ipsum
Tangimus extremum Saxi, summumque colorem:
Nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
Duritiem penitus Saxi sentimus in alto.
270 Nunc age, cur ultra Speculum videatur Imago
Percipe; nam certe penitus remmota videtur.
Quod genus illa, foris quæ vere transpiciuntur,
Janua cum per se transpectum præbet apertum,
Multa facitque foris ex ædibus ut videantur.
275 Is quoque enim duplici, geminoque fit Aëre Visus:
Primus enim 'st, citra posteis qui cernitur Aër;
Inde fores ipsæ dextra, lævaque sequuntur;
Post extraria lux oculos perterget, et Aër
Alter, et illa, foris quæ vere transpiciuntur.

Nam cum ventus lenis flat, ejusque frigus vehemens ferit, non tamen singulas venti illius frigidi particulas sentimus; sed totam particularum congeriem potius sentimus, et tum percipimus quasi rem aliquam nobis ictus infligere, sensumque sui corporis quod extra nos est in nobis excitare. Præterea, cum lapidem digito tundimus, summam extremamque superficiem istius lapidis tangimus, nec tamen superficiem istam tactu sentimus, sed potius ipsam duritiem lapidis quæ per totum lapidis corpus diffusa est, et in intimis partibus sita. Nunc age, rationem audi, cur imago videatur ultra speculum; nam certe longe ultra speculum videtur: quod genus illæ res sunt quæ foris (extra januam) cernuntur, cum janua aperta liberum prospectum præbet, et permittit ut multæ res foris ex ædibus videantur. Visus enim iste fit duplici aëre; primus enim est aër qui citra januam videtur, post hunc valvæ dextra lævaque positæ sequuntur. Post istas lux extra januam et aër alter permulcet oculos, et tandem res illæ quæ ultra januam cernuntur:

NOTÆ.

261. *Privam*] Lambinus legit *primam*, et defendere conatur, sed frustra; *privam* enim rectius opponitur voci *universum*, v. 263. et lib. 3. v. 390.

Sentimus nec priva *pedum vestigia* quæque.

264. *Aliquæ res*] Ex antiqua Latinitate: alii, *aliqua*.

270. *Nunc age, cur ultra speculum*] Rerum imagines a speculi superficie repulsæ non videntur in ista superficie, sed intus quasi, et in profundo; hoc vero v. 23. explicat Poeta: quantum res visæ distant ab oculo cognoscitur per appulsum aëris ab imagine ad oculum protrusi; ubi igitur duplex aër protruditur, intervallum pnoque magis extendi et duplicari necesse est: imago autem speculi (speculum enim ipsum una cum re cujus imago reflectitur videmus) unum aëra propellit; imago repulsa alterum, ideoque non in superficie speculi, sed intus quasi et in profundo hæc imago apparet. Hanc explicationem illustrat allato exemplo rerum, quæ directe et procul cernuntur ex loco intra ædificium, simulachris aërem protrudentibus tum per extraria ad limen usque spatia, tum per interiora a limine ad oculum usque.

271. *Remmota*] Seu *remota* legas, perinde est: *semota* vero rejice.

278. *Extraria lux*] Externa, seu extranea. Terentius:

Nam hanc conditionem si cui tulero extrario.

Et Scriptor ad Herennium:

Assumtiva pars est, cum per se defensio infirma est, sed assumta extraria *comprobatur.*

280 Sic ubi se primum Speculi projecit Imago,
Dum venit ad nostras acies, protrudit, agitque
Aëra, qui inter se cunque 'st oculosque locatus;
Et facit, ut prius Hunc omnem sentire queamus,
Quam Speculum: sed ubi Speculum quoque sensimus ipsum
285 Continuo a nobis in id hæc, quæ fertur, Imago
Pervenit, et nostros oculos rejecta revisit;
Atque alium præ se propellens Aëra volvit,
Et facit, ut prius hunc, quam se, videamus: eoque
Distare a Speculo tantum remmota videtur.
290 Quare etiam atque etiam minime mirarier est par
Illis, quæ reddunt Speculorum ex æquore visum,
Aëribus binis, quoniam res confit utroque.
Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars est,
In Speculis fit ut in læva videatur, eo quod
295 Planitiem ad Speculi veniens cum offendit Imago,
Non convertitur incolumis; sed recta retrorsum
Sic eliditur, ut siquis prius arida quam sit
Cretea persona, adlidat pilæve, trabive:

sic ubi primum speculi imago se projecit, dum ad nostros oculos venit, protrudit et propellit aëra qui inter se et oculos jacet, et facit ut prius sentire possimus omnem istum aëra, quam speculum ipsum; sed quando ipsum quoque speculum sensimus, continuo imago ista quæ a nobis mittitur illud speculum attingit, et ad nostros oculos remissa redit, et ante se alium aëra protrudit, et facit ut istum alium aëra sentiamus prius quam se: et ob hanc causam esse tam procul ultra speculum videtur. Quapropter ista observatio de rebus, quarum imagines ab æquabili speculo remittuntur per duplicem aëra, minime admirabilis habenda est, quoniam per duplicem istum aëra commode explicari potest. Insuper, fit ut illa pars corporis, quæ nobis dextera est, in speculis cernatur in læva, quoniam imago lævi planoque speculo illisa non repellitur immutata, sed ita retrorsum invertitur, ut siquis larvam luteam, dum uda et mollis est, columnæ aut trabi allidat;

NOTÆ.

289. *Tantum remmota*] V. 271. *penitus remmota:* tantum enim ultra speculum imago apparet, quantum a nobis distat ipsum speculum.

290. *Quare etiam atque etiam, &c.*] Hos tres versus delendos censet Lambinus, nec sane video cur unquam censuræ pudeat, nam hic loci otiosi sunt, et nihil agunt.

293. *Nunc ea, quæ nobis, &c.*] Opinioni Epicuri repugnat, quod in speculis imago adversa contemplatorem suum respicit, cum debeat, siquidem a nobis orta recto meatu proficiscitur, posteram sui partem, cum discedit, ostendere, ut læva lævam, dextra dextram respiciat; nam et histrio personam sibi detractam ex ea parte videt, qua induit, viz. non faciem sed posteriorem cavernam. Hæc Macrobius, Saturnal. lib. 7. c. 14. Huic difficultati ut satisfaciat Poeta, illo exemplo, quo adversarii utuntur, suam sententiam tuetur. Personam (larvam) fictilem, non induratam quidem, sed madidam adhuc, ad trabem aut columnam aliquam allidas, ita ut retrorsum invertatur, et facies cavernam impleat, tum enim in persona videbis id factum quod jam in speculo miraris. Imagines autem, utpote res tenuissimas, ad speculum allisas ita retrorsum inverti posse non est dubitandum.

294. *Fit ut in læva*] *Fit uti læva:* Muretus.

298. *Cretea persona*] Nam è gypso aut luto figulari fiebat; ideo *cerea persona* rejicitur: Lambinus vero amat *cressam* seu *creteam personam*. Vetusti codd. quos Heinsius vidit, constanter exhibent, *cretea persona*. In Catalectis Petronianis;

Dum sumit creteam *faciem Sertoria, cretam*
Perdidit illa simul, perdidit et faciem.

298. *Pilæve*] Apuleius, *Pila* media quæ stabuli trabes sustinebat. Virgilius, Æn. 9. v. 710, 711.

Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea pila *cadit.*

Atque ea continuo rectam si fronte figuram
300 Servet, et elisam retro sese exprimat ipsa;
Fiet ut, ante oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc sit lævus, et e lævo sit mutua dexter.
Fit quoque, de Speculo in Speculum ut tradatur Imago;
Quinque etiam, sexve ut fieri Simulacra suërint:
305 Nam quæcunque retro parte interiore latebunt;
Inde tamen, quamvis torte, penitusque remota,
Omnia per flexos aditus educta licebit
Pluribus hæc Speculis videantur in ædibus esse.
Usque adeo e Speculo in Speculum tralucet imago,
310 Et cum læva data 'st, fit rursum dextera fiat:
Inde retrorsum reddit se, et convertit eodem.
Quinetiam, quæcunque latuscula sunt Speculorum
Adsimili lateris flexura prædita nostri,
Dextera ea propter nobis Simulacra remittunt;
315 Aut quia de Speculo in Speculum transfertur Imago,
Inde ad nos elisa bis advolat; aut etiam quod
Circumagitur, cum venit Imago, propterea quod

atque ista larva si rectam figuram fronte continuo servet, et seipsam retro elisam exprimat, fiet ut iste oculus qui ante fuit dexter, nunc sit sinister, et vicissim iste qui fuit sinister sit dexter. Fit quoque ut imago de speculo in speculum tradatur, ita ut quinquies aut sexies eadem imago repræsentari possit: nam quæcunque in interioribus ædium partibus collocata latent, licet longe et penitus a nostris oculis removeantur, tamen per plura specula hic et illic rite disposita e latebris suis veluti educta in ædibus esse cernuntur. Usque adeo e speculo in speculum imago traditur, et cum ab uno speculo alteri sinistra tradatur, ab illo rursum fit dextra; inde iterum retrorsum se reddit, et eodem convertit (fit læva ut prius): quinetiam quæcunque latera speculorum prædita sunt flexura simili nostri lateris, nobis reddunt imagines dextras, quoniam imago traditur a speculo in speculum, et inde venit ad nos bis elisa, aut quoniam imago, cum ad nos redit, circumagitur; nam

NOTÆ.

299. *Rectam si fronte*] Quidam legendum censent, *rectam si forte*.

302. *Mutua*] Mutuo; sic infra, v. 945.
Nec motu mutua *fungi*.

303. *Fit quoque, de speculo, &c.*] Imaginum elisionem atque inversionem ulterius, v. 9. confirmat, nam ex interiori ædium parte per specula rite disposita veluti educitur imago, et in quamlibet partem transfertur; illa autem imago quæ sinistram partem dextræ objecti parti in primo speculo oppositam exhibebat, in secundo speculo convertitur, et dextras partes dextris objecti partibus adversas refert.

304. *Quinque etiam, sexve ut fieri*] In quibusdam codd.
Quinque etiam sex ut fieri.
Horatius, Ep. 1. lib. 1.
Si quadringentis sex septem *millia desunt.*

311. *Inde retrorsum reddit se*] Gifanius, qui integros versus non amat, omittit *se*; quidam tamen codd.
Inde retroversum redit, &c.

312. *Quinetiam, quæcunque latuscula, &c.*] V. 7. subjungit de speculis quorum sunt latuscula (facieculæ) varia, instar viz. speculorum plurium ad dextram lævamque sic oppositorum, ut ex reflexione unius in aliud, et porro in oculum situs restituatur; aut potius quorum latera sint partes, regionesve ejusdem speculi concavi, e quo reflexa, et, post factam radiorum decussationem, spectata imago eo exhibeatur situ, ut dextra ad dextram, sinistra ad sinistram sit; tametsi aliunde pars superior inferior, et inferior superior evadit. *Gassendus.*

313. *Adsimili lateris, &c.*] Hoc est, exhibeant partes imaginis respondentes iisdem nostris partibus, nempe dextras dextris, lævas lævis; *Fayus:* imperite; ista enim *flexura adsimilis lateris nostri* ad ipsum speculum pertinet, et idem significat quod *flexa figura speculi*, v. 318.

Flexa figura docet Speculi convertier ad nos.
Indugredi porro pariter Simulacra, pedemque
320 Ponere nobiscum credas, gestumque imitari;
Propterea, quia de Speculi qua parte recedas,
Continuo nequeunt illinc Simulacra reverti:
Omnia quandoquidem cogit natura referri,
Ac resilire ab rebus ad æquos reddita flexus.
325 Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri:
Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas;
Propterea, quia vis magna 'st ipsius, et alte
Aëra per purum graviter Simulacra feruntur,
Et feriunt oculos turbantia compositurasa.
330 Præterea, Splendor, quicunque 'st acer, adurit
Sæpe oculos, ideo quod semina possidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.
Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum
335 Semina multa fluunt Simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mista,

flexa figura speculi demonstrat imaginem ad nos converti. Porro putes simulachra cum nos movemus pariter movere, gestumque nostrum imitari; quia cum ab aliqua parte speculi recedas, imagines non possunt remitti ab ista parte, lex enim naturæ statuit ut omnis reflexio fiat ad æquales angulos. Porro oculi splendida objecta fugiunt, nec intueri audent; imo si pertinaciter intendas oculum in solem, inde cæcitas, quia solis magna est vis, et illius imagines per purum aëra, qui minime impedit, cum impetu feruntur, oculos feriunt, illosque lacerant. Præterea, omnis vehemens splendor sæpe urit oculos, quia continet multa ignis semina, quæ incurrentia in oculos, eosque penetrantia dolorem excitant. Præterea, omnia objecta quæ icterici vident, videntur esse viridi pallore tincta, quia multa semina viridis istius palloris fluunt de eorum corpore, et venientibus rerum imaginibus fiunt obvia, multa etiam in ipsis eorum oculis cum istis imaginibus miscentur,

NOTÆ.

319. *Indugredi—pariter, &c.*] His v. 6. docet imagines in speculis videri nobiscum incedere, nostrumque gestum imitari, quoniam qua de parte speculi recedamus, statim ex ea imago nequeat reverti, nam quæcunque ab rebus simulachra mittuntur, ea ad æquos et pares angulos referuntur; itaque apposite id refert ad variatas speculi partes, ex quibus aliis ac aliis necessarium est reflexionem in oculum fieri, ac proinde imaginem progredi videri.

322. *Nequeunt illinc*] Lambinus, *nequeunt illuc*, quæ lectio admitti non potest: *remitti* Gassendus pro *reverti*.

325. *Splendida porro, &c.*] Splendida objecta oculi pati non possunt, et sol excæcat, quoniam, v. 8. splendidum objectum emittit multa ignis semina quæ oculos adurunt, vel est sensibile exuperans sensorium, atque ideo corrumpit, quod ipsius texturam solvens, debitam in eo temperiem commensurationemque perverat, ac destruat, adeo ut aliis sensibilibus deinceps excipiendis incapax evadat. Laberius apud Gellium, lib. 10. cap. 17.

Democritus Abderites, Physicus, Philosophus
Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut possit splendore æreo;
Ita radiis solis aciem effodit luminis.

326. *Tendere*] Oculos viz. Alii, *intendere*, et Gifanius, *cernere*.

333. *Lurida præterea, &c.*] Ictericis omnia objecta apparent lurida, quia viz. v. 5. lurida multa semina ab Ictericis fluunt, et venientia rerum simulachra tingunt, saltem in oculos intrantia inficiunt.

334. *Arquati*] Icterici, quorum color et oculi virent quasi in *arqui*, quem Poeta Irim vocant, similitudinem: Lucretius, lib. 6.

Tum color in nigris extabat nubibus arqui:

Nonius.

Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.
E tenebris autem quæ sunt in luce tuemur,
Propterea, quia cum propior caliginis Aër
340 Ater init oculos prior, et possedit apertos;
Insequitur candens confestim lucidus Aër,
Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras
Aëris illius: nam multis partibus hic est
Mobilior, multisque minutior, et mage pollens.
345 Qui simul atque vias oculorum luce replevit,
Atque patefecit, quas ante obsederat ater;
Continuo rerum Simulacra adaperta sequuntur
Quæ sita sunt in luce, lacessuntque, ut videamus.
Quod contra facere in tenebris a luce nequimus,
350 Propterea, quia posterior caliginis Aër
Crassior insequitur, qui cuncta foramina complet;
Obsiditque vias oculorum, ne Simulacra
Possint ullarum rerum conjecta moveri.
Quadratasque procul turreis cum cernimus urbis;
355 Propterea fit uti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus quia longe cernitur omnis,
Sive etiam potius non cernitur; ac perit ejus
Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus:

quæ omnia objecta visa inficiunt, et suo pallido colore tingunt. Nos autem in tenebris positi videmus illa quæ in luce posita sunt, quia cum tenebrosus aër qui propior est nostris oculis prior oculos ingressus est, et apertos occupavit, statim lucidus aër a tergo sequitur, ingreditur oculos, eos quasi purgat, dissipatque tenebras prioris aëris. Hic enim lucidus aër est altero aëre multo mobilior, multo minutior, et vi majori pollet; qui lucidus aër cum meatus oculorum luce implevit, et aperuit quos tenebrosus aër occupaverat, statim imagines rerum quæ in luce sitæ sunt sequuntur, feriunt oculos, et faciunt ut videamus. At vero e contra nos in luce positi non possumus videre objecta quæ in tenebris sunt; quia aër qui est tenebrosus et crassior priori lucido aëre istum lucidum aërem sequitur, omnia foramina et meatus oculorum occupat et implet, ut advenientes rerum imagines illos attingere, aut in eos ingredi nequeant. Denique cum procul videamus quadratas alicujus urbis turres, ideo fit ut turres istæ appareant rotundæ, quia omnis angulus, qui e longinquo cernitur, apparet obtusus, seu potius non omnino apparet; non enim sentimus illius ictum, neque ad nostros oculos unquam venit,

NOTÆ.

338. *E tenebris autem, &c.*] Deinde ex tenebris ea videntur quæ sunt in luce, non item in luce quæ in tenebris: id nempe fit, v. 16. propter protrusionem diversi aëris, nam cum lucidus aër tenebrosum sequitur, purgat meatus oculi, ita ut rerum simulachra intrare possint, aër enim lucidus est tenuior, mobilior saltem, et majori vi pollens; cum vero tenebrosus aër lucidum subsequatur, tum meatus oculi ab isto inerti aëre ita implentur, ut adventibus rerum simulachris excipiendis incapax evadat.

340. *Ater init*] Sive *init*, et *possidit*; et v. 346. *obsiderat*, ut *obsiditque vias*, v. 352. perinde est: omnino autem legendum *e luce*, non *a luce*, v. 349. et v. 353. *conjecta*, non *contecta*, ut Lambinus contendit, quoniam vox *adaperta* in v. 347. legitur.

354. *Quadratasque procul, &c.*] Turres quadratæ nobis procul aspicientibus apparent rotundæ, quia viz. v. 11. turris quadratæ imago dum procul ad nos per aëra advolat, sæpius percutitur aëre occursante, quo fit ut anguli illius deterantur, saltem ita obtundantur, ut cum ad nos pervenit, quasi tornata, et rotunda sub forma ferit oculos nostros, licet ista rotunditas non sit adeo distincta, ac si turris ipsa rotunda foret, et cominus spectaretur.

Aëra per multum quia dum Simulacra feruntur,
360 Cogit hebescere eum crebris offensibus Aër.
Hinc, ubi suffugit sensum simul angulus omnis,
Fit, quasi tornata ut saxorum structa tuantur;
Non tamen ut coram quæ sunt, vereque rotunda,
Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur.
365 Umbra videtur item nobis in Sole moveri,
Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari
(Aëra si credas privatum lumine posse
Indugredi, motus hominum, gestusque sequentem:
Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus
370 Aër, id, quod nos Umbram perhibere suemus);
Nimirum, quia Terra locis ex ordine certis
Lumine privatur Solis, quacunque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, uti videatur, quæ fuit Umbra
375 Corporis, e regione eadem nos usque secuta;
Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primaque dispereunt, quasi in ignem Lana trahatur:
Propterea facile et spoliatur lumine Terra;
Et repletur item, nigrasque sibi abluit Umbras.
380 Nec tamen hic Oculos falli concedimus hilum:

quia dum imagines feruntur per longum aëris tractum, aër crebro in illas offendens obtusiorem reddit: hinc fit, ut cum nullus angulus oculos pertingit, tota moles visa appareat rotunda; non tamen ita rotunda ut illa quæ cominus visa et vere rotunda sunt, sed quandam imperfectæ rotunditatis similitudinem præ se fert. Item umbra nostra videtur una cum nobis moveri, sequi vestigia, atque imitari gestum (si modo credere potes aëra luce privatum ambulare posse, et sequi motus et gestus hominum; id enim quod nos solemus appellare umbram, nihil aliud potest esse quam aër luce privatus); nimirum quia, dum nos ambulamus, certæ partes terræ, a quibus viz. nos ambulantes prohibemus radios solis, non luce illustrantur, illustrantur vero simul ac istas reliquimus, inde fit ut eadem umbra corpus e regione usque sequi et comitari videatur; novi enim radii a sole perpetuo mittuntur, et priora modo missa evanescunt, eo modo quo lanæ fila per ignem tracta: et hinc fit ut terra facile luce privetur, facile item rursus illustretur, nigrasque tenebras sibi abluat. Nec tamen in hoc casu concedimus oculos vel minimum falli,

NOTÆ.

362. *Saxorum structa*] Ut *strata viarum*, et *clausa domorum*: *tornata* vero rotunda, *tornare* rotundum efficere; Cicero in Timæo, *Atque ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius.*

365. *Umbra videtur item, &c.*] Non solum imago in speculis, sed umbra corporis videtur nobiscum incedere, et gestum imitari; quoniam viz. v. 15. umbra nihil aliud est nisi aër lumine privatus a corpore aliquo denso soli obverso, ideoque ut corpus istud densum moveatur, ut sese erigat aut inclinet, umbram etiam variari necesse est, quoniam ab isto corpore movente, erecto, inclinato, &c. alius aliusque aër alio alioque modo lumine privatur.

377. *Quasi in ignem lana trahatur*] Proverbium Græcum, quo usus est Plato, ξαίνειν εἰς πῦρ, de re inutili ἀνωφέλῳ, et quæ absolvi non possit: *Faber*. Et hæc optime conveniunt menti Poetæ, et perpetuum istum radiorum solis interitum satis apte exprimunt. Scaliger autem Obser. ad Tibullum legit,

Quasi carmine *lana trahatur.*

Carmen autem est instrumentum lanificum.

380. *Nec tamen hic oculos, &c.*] Absoluta de visu et visione disputatione, a duobus problematibus ultimo propositis occasionem arripit defendendi certitudinem sensuum, quam non tantum ista problemata, sed alia etiam, quæ usque ad v. 470. enumerat, labefactare videantur; quæ omnia

Nam, quocunque loco sit Lux, atque Umbra, tueri
Illorum est, eadem vero sint lumina, necne,
Umbraque, quæ fuit hic, eadem num transeat illuc,
An potius fiat, paullo quod diximus ante;
385 Hoc Animi demum Ratio discernere debet:
Nec possunt oculi naturam noscere rerum.
Proinde Animi vitium hoc Oculis adfingere noli,
Qua vehimur Navi, fertur, cum stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
390 Et fugere ad puppim colles, campique videntur,
Quos agimus præter navim, velisque volamus.
Sidera cessare ætheriis adfixa cavernis
Cuncta videntur; at adsiduo in sunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
395 Cum permensa suo sunt cœlum corpore claro:
Solque pari ratione manere, et Luna videtur
In statione, ea quæ ferri res indicat ipsa.
Exstantesque procul medio de gurgite Montes,
Classibus inter quos liber patet exitus, îdem
400 Apparent; et longe divolsi licet, ingens
Insula conjunctis tamen ex his una videtur.
Atria versari, et circumcursare columnæ
Usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi
Desierunt verti, vix ut jam credere possint,
405 Non supra sese ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte

oculorum enim officium est umbram lucemque intueri, quocunque loco sint; eadem vero sit lux, necne, et an umbra quæ fuit hic eadem illuc transeat, vel an potius illud accidat quod modo docuimus, ratio animi discernere debet, et definire: nec possunt oculi rerum naturam noscere; ideoque hunc animi errorem aut defectum ne oculis affingas. Navis illa qua navigamus movetur dum videtur stare, illa vero navis quæ in statione manet, creditur moveri; illique montes et campi præter quos remis agimur velisque ferimur a puppi recedere videntur et fugere. Cuncta sidera videntur in cœlo quiescere, at omnia motu assiduo feruntur; oriuntur enim, et postquam lucido suo corpore magnum cœli spatium permensa sunt, occasus longe distantes attingunt. Similiter etiam sol et luna videntur manere in statione, cum tamen motu celeri ferri res ipsa indicat. Montes denique procul medio de æquore extantes, inter quos numerosæ classes libere feruntur, apparent iidem; quamvis sint longe disjuncti, tamen ex iis conjunctis una insula fieri videtur. Deinde sæpe accidit, ut parietes domorum circumagi, et columnæ circumcursare usque adeo videantur pueris, cum ipsi pueri desierunt verti, ut vix possint credere omnia tecta non minari ruinam, et casura esse. Quando etiam natura incipit alte erigere rubrum jubar tremulis ignibus,

NOTÆ.

explicare non opus est, dum plana sint et familiaria: sensus vero certos esse ideo arguit, quia accipiunt rerum imagines, quales sibi deferuntur; non cognoscunt naturas rerum, non judicant, neque aliquid pronunciant, ideo nullus in iis error, omnes autem errores ex opinatu animi nascuntur.

389. *In statione*] Portu: Virgilius,
Statio *malefida carinis.*

399, 400. *Iidem apparent, et longe divolsi licet*] Quidam codd. non agnoscunt, et Lambinus rejicit.

406. *Jubar*] Varro, Festus, Servius ad 4. Æn.

It portis jubare *exorto delecta juventus,* docent *Jubar* Luciferum esse: hos sequitur Lambinus; at nihil certius quam unam eandemque rem in hoc versu *Jubar*, et v. 408. solem appellari.

Cum cœptat Natura, supraque extollere monteis;
Quos tibi tum supra Sol monteis esse videtur,
Cominus ipse suo contingens fervidus igni,
410 Vix absunt nobis missus bis mille sagittæ;
Vix etiam cursus quingentos sæpe veruti:
Inter eos, Solemque jacent immania ponti
Æquora, substrata ætheriis ingentibus oris;
Interjectaque sunt terrarum millia multa,
415 Quæ variæ retinent gentes, et sæcla ferarum.
At conlectus aquæ digitum non altior unum,
Qui lapides inter sistit per strata viarum,
Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terris quantum cœli patet altus hiatus:
420 Nubila despicere, et cœlum ut videare videre, et
Corpora mirando sub terras abdita cœlo.
Denique, ubi in medio nobis equus acer obhæsit
Flumine, et in rapidas amnis despeximus undas,
Stantis equi corpus transversum ferre videtur
425 Vis, et in adversum flumen contrudere raptim;
Et, quocunque oculos trajecimus, omnia ferri,
Et fluere adsimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quamvis est denique ductu,
Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis;
430 Longa tamen parte ab summa cum tota videtur,

(cum sol oritur) et supra montes evehere, isti montes supra quos sol extare videtur illis propinquus, suoque fervido corpore tantum non contingens, vix distant a nobis bis mille jactus sagittæ, vix aliquando quingentos jactus veruti; attamen revera inter eos et solem jacet immensus oceanus, vasto et infinito pene cœlo substratus; interjacent etiam longi multique terrarum tractus, quos variæ hominum gentes, et feræ possident. Aquæ etiam collectio quæ in publicis viis inter lapides stat, licet unum tantum digitum sit alta, præbet tamen despectum sub terris tantæ profunditatis quanta est inter summum cœlum et terram distantia; ita ut videaris nubes despicere, cœlum sub terras, et corpora in mirando isto cœlo abdita spectare. Denique cum in medio flumine fortis alicujus equus hæsit, et despexit ille in rapidas fluminis istius undas, impetus aliquis videtur ferre transversum corpus equi stantis, et magna vi in flumen adversum contrudere; et quocunque oculos transfert, omnia videntur pari modo fluere et moveri. Denique porticus quamvis sit in omni parte ejusdem dimensionis, et in longum extenditur æqualibus columnis sustentata, cum tamen ab una extrema parte tota porticus videtur,

NOTÆ.

411. *Veruti*] Verutum est telum breve et acutum; Salust. lib. hist. 3. *Saxaque ingentia, et axe vinctæ trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris* veruta *binum pedum*. Nonius.

421. *Corpora mirando, &c.*] Huic versui iniquus est Lambinus, et rejicit, emendat Faber, legitque,

Corpora mirando sub terras abdita pacto.

quippe quid sit istud *mirandum sub terras cœlum* ipse non intellexit, nec alios unquam intellexisse putat: quasi vero istud cœlum in collectione aquæ apparens non admirabile et sub terras videatur, cum tam profundus sit et admirabilis in istud cœlum despectus. Alii vero,

Corpora mirandi *sub terras abdita* cœli.

429. *Stansque in perpetuum*] In longum extensa: Servius ad Æneid. 7.

Perpetuis *soliti patres considere mensis*.

Perpetuis mensis, longis, ad ordinem exæquatis sedentum.

430. *Longa*] Alii, *longe*, id est, *procul*.

Paullatim trahit angusti fastigia coni,
Tecta solo jungens, atque omnia dextera lævis;
Donicum in obscurum coni conduxit acumen.
In pelago nautis ex undis ortus, in undis
435 Sol fit uti videatur obire, et condere lumen,
Quippe ubi nil aliud nisi aquam, cœlumque tuentur;
Ne leviter credas labefactari undique sensus.
At maris ignaris in portu clauda videntur
Navigia, aplustris fractis, obnitier undis.
440 Nam quæcunque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta 'st; et recta superne Guberna:
Quæ demersa liquore obeunt refracta videntur
Omnia converti, sursumque supina reverti;
Et reflexa prope in summo fluitare liquore.
445 Raraque per cœlum cum venti nubila portant
Tempore nocturno, tum splendida Signa videntur
Labier adversum nubeis, atque ire superne
Longe aliam in partem, quam quo ratione feruntur.
At si forte oculo manus uni subdita subter
450 Pressit eum, quodam sensu fit, uti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo;
Bina Lucernarum florentia lumina flammis,
Binaque per totas ædeis geminare Supellex,
Et duplices Hominum facies, et corpora bina.

paulatim trahit fastigia angusti coni (in conum contrahitur), summa tecta pavimento, dexterasque partes lævis conjungens, donec tandem in obscurum (tenue vel angustum) coni fastigium conduxit. Nautis in pelago sol videtur oriri ex undis, in undas etiam descendere, et in illis lumen condere, quippe illi nihil præter aquam et cœlum vident; ne temere credas sensum undique labefactari, aut fallaciæ argui. Illis qui maris ignari sunt naves in portu apparent mutilæ et fractis aplustris contra undas niti: nam illa remorum pars quæ est supra mare recta est, pars etiam gubernaculi quæ est supra aquam maris recta apparet, omnes vero partes quæ sunt infra maris superficiem videntur refractæ, sursum etiam flecti, et tantum non ad ipsam maris superficiem ascendentes in illa fluitare. Cum etiam venti nocturno tempore tenues nubes per cœlum agunt, tum luna stellæque splendidæ videntur moveri adversus nubes, et supra illas ferri in aliam longe partem quam quo revera feruntur a natura. At si forte manus una unius oculi inferiori parti applicita illum pressit, tum omnia quæcunque videmus objecta bina apparebunt; lucerna igne micans gemina apparebit, per totam domum singulæ partes supellectilis binæ, et quilibet homo videbitur duplici facie et gemino corpore instructus.

NOTÆ.

433. *Donicum in obscurum, &c.*] Nam cum tectum descendere, pavimentum surgere, et parietes concurrere videantur, in acutum conum prospectus desinat necesse est.

438. *Clauda*] Remos enim navigiorum crura pedesque existimes quibus per fluctus incedunt: ideo cum hi remi fracti appareant, navigia dicantur clauda.

Ibid. *In portu*] Legendum *in ponto*; quid enim navigia *in portu* obnitantur undis?

439. *Aplustris*] Aplustra proprie navis ornamenta; hoc autem loco omnes navigii partes, quæ aquis extant, significant, ut sequentia demonstrant.

440. *Rorem salis*] Aqua maris: Virgilius,

Spumas salis *ære ruebant.*

448. *Quam quo ratione*] Quidam codd. *ac vera ratione.*

450. *Pressit eum, quodam*] *Pressit, cum quodam*; Gifanius; et v. 452. pro *florentia* alii legunt *flagrantia*, quos non sequor.

455 Denique cum suavi devinxit membra sopore
Somnus, et in summa corpus jacet omne quiete;
Tum vigilare tamen nobis, et membra movere
Nostra videmur, et in noctis caligine cæca
Cernere censemus Solem, lumenque diurnum:
460 Conclusoque loco Cœlum, Mare, Flumina, Monteis
Mutare, et campos pedibus transire videmur:
Et sonitus audire, severa silentia noctis
Undique cum constent; et reddere dicta tacentes.
Cætera de genere hoc mirando multa videmus,
465 Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt;
Nequicquam: quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus Animi, quos addimus ipsi,
Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibu' visa.
Nam nihil egregius, quam res secernere apertas
470 A dubiis, Animus quas ab se protinus addit.

Denique cum somnus placido sopore devinxit membra, et totum corpus in summa quiete jacet, tum tamen videmur nobis vigilare, membra nostra movere, et in spissis noctis tenebris solem videre, et diei lumen: et licet in cubiculo parvo inclusi jaceamus, videmur tamen cœlum, mare, flumina, montes peragrando mutare, et campos pedibus transire; sonos insuper audire, cum quieta noctis silentia ex omni parte cingunt; loqui denique, cum omnino taceamus. Multa alia ejusdem generis sentimus et admiramur, quæ sensuum certitudinem tollere, eosque fallaciæ convincere conantur; frustra vero: nam in maxima parte harum rerum decipimur, quia illis applicamus animi opinionem, atque ideo sumimus pro visis ea quæ non sunt visa sensibus. Nihil autem magis egregium est quam distinguere res apertas (eas quæ sensibus apparent) a dubiis quas animus protinus ab se addit (ab opinionibus animi).

NOTÆ.

460. *Conclusoque loco*] Alii, *conclusique loco*.

461. *Mutare*] Notandum ab interpretibus fuerat; istud *mutare* imitatio Græci sermonis est, γῆν ἀμοίβειν, item ἄλλην ἄλλῃς ἀμείβων Plato, Plutarchus, Lucianus, &c. item apud Herodotum in Terpsichore, τὰς θύρας ἀμείβειν *Faber*. Vid. Fayi interpretationem, et ride.

462. *Severa silentia*] Non erat cur locum hunc mutari vellet Lambinus: nec enim est ut quidquam homini poetæ placeat magis quam severum illud noctis silentium: *Faber*. Lambinus, *sonora*, quod putidum est, aut *serena*.

464. *Cætera de genere*, &c.] Fallimur in iis rebus circa quas sensus versantur, id certum est, inde vero fallaces sensus quis arguat? cum isti, v. 7. rerum imagines accipiunt, quales sibi deferuntur; non cognoscunt naturas rerum, non judicant, neque aliquid pronunciant, ideo nullus in illis error, omnes autem errores ex opinatu animi nascuntur: repræsentant sensus, judicat ratio, sæpe autem temere et inconsiderate. Hæc ipse Epicurus ad Herodotum. Καὶ πᾶσα μὲν φαντασία εἴτε διανοίᾳ, εἴτε αἰσθήσει καταλαμβανομένη, ἢ μέν τοι διαλαμβανομένη, ἐστὶν ἀληθής· τὸ δὲ ψεῦδος, καὶ τὸ διημαρτημένον ἐν τῷ προσδοξαζομένῳ αἰεί ἐστιν, κατὰ τὴν κίνησιν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς συνημμένην μέν τινι φανταστικῇ ἐπιβολῇ, διάληψιν δὲ ἔχουσαν, καθ' ἣν τὸ ψεῦδος γίνεται, &c. Et apposite Cicero in Lucullo, *Timagoras Epicurus negat sibi unquam cum oculos torsisset* (vid. v. 450.) *duas ex lucerna flammulas esse visas, opinionis enim est mendacium, non oculorum.*

467. *Quos addimus ipsi*] Opinatum ita exprimit Epicurus ad Herodotum: κίνησις ἐν ἡμῖν αὐταῖς συνημμένη μέν τινι φανταστικῇ ἐπιβολῇ διάληψιν δὲ ἔχουσα.

469. *Nam nihil egregius*] Alii codd. *nam nihil ægrius est*, et recte: hos duos versus rejiciunt interpretes; improbe: v. 467. docuit *nos addere opinatus animi*: igitur in v. 470. pro *abdit* legatur *addit*, et tum omnia plana erunt et facilia: fallimur in omnibus istis exemplis quæ modo enumeravit, idque etiam admoniti; difficile enim profecto est non addere opinionem animi rebus a sensu delatis.

Denique, nil Sciri siquis putat, id quoque nescit,
An Sciri possit, qui se nil Scire fatetur:
Hunc igitur contra mittam contendere causam,
Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.
475 Et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
Quæram, (quom in rebus veri nil viderit ante)
Unde sciat, quid sit Scire, et Nescire vicissim:
Notitiam veri quæ res, falsique creârit;
Et dubium certo quæ res differre probârit?
480 Invenies primis ab Sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque Sensus posse refelli:
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte sua veris quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porro, quam sensus haberi
485 Debet? an ab sensu falso Ratio orta valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab Sensibus orta 'st?

Denique siquis credit nihil sciri posse, nescit quoque an id ipsum sciri possit, dum fatetur se nihil scire: non amplius igitur disputabo contra eum, qui ipse capite suo retro instituit vestigia. Tamen ut concedam illum hoc scire, id tamen inquiram, unde (cum nihil ante in rebus viderit unde cognitionem istam hauriat) sciverit quid sit scire, et quid sit nescire, et quæ res notitiam veri et falsi creavit, quæ etiam res docuit certum a dubio differre? Invenies autem a sensibus veri notitiam primum ortam esse, neque sensus refutari posse. Nam majori certitudine præditum existimandum est id quod per se et sua vi potest falsum, vero opposito, convincere. Quid etiam est quod majorem fidem quam sensus postulat? An ratio a falso sensu orta, cum tota ab illis sensibus pendeat, potest refutare illos sensus?

NOTÆ.

471. *Denique, nil sciri, &c.*] V. 9. Academicos novos quorum princeps fuit Arcesilas, aggreditur, et veteres qui Socratem sequuti sunt: Siquis enim dixerit *nihil sciri posse*, id etiam ipsum *nihil sciri posse* nesciat necesse est, alioquin aliquid sciret. Inde Metrodorus Chius apud Ciceronem in Lucullo; *Nego scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus, ne id ipsum quidem nescire, aut scire nos, nec omnino sit aliquid aut nihil sit.* Sed cum istiusmodi hominibus non est disputandum, qui quid sit verum, quid falsum, quid certum, quid incertum, quid sit scire, quid nescire, pariter ignorant, et se ignorare gloriantur.

472. *Qui*] Alii *quo*, et Gassendus, *quom*.

473. *Hunc igitur, &c.*] Hos duos versus omnes codd. agnoscunt, suspectos tamen habet Lambinus, tandem vero legit,

Hunc igitur contra quidnam *contendere* curem?

Alia est Fabri sententia, qui hæc habet: Locus est luculentissimus; Qui manibus ingrediuntur prono in terram capite, quod histrionum pueri vulgo faciunt, non nisi retro incedere possunt; quod facile ad explicandam Lucretii sententiam transferre possis. Transferamus igitur, et hæc sit sententia; Non est disputandum cum illo qui omnia pervertit, quod novos Academicos fecisse certum est.

480. *Invenies primis ab sensibus, &c.*] Jam tandem v. 22. sensus esse Criteria Veritatis demonstrat. Id enim Veritatis Criterion sit necesse est, quod falsum corrigere et refutare possit: Illud vero faciunt sensus. Ipsos autem sensus quid corrigat, aut refellat? An Ratio? Ratio autem a sensibus tota pendet. An alii sensus alios convincent? Hoc minime dicendum; nam singuli sensus circa propria sua objecta versantur, nec quid alii sensus agunt, curant, aut cognoscunt: An iidem igitur sensus seipsos emendent? Id fieri non potest, quoniam sensibus æqua fides est semper adhibenda. Simplici igitur sensuum repræsentationi (id est *primis sensibus*) fidendum. Epicurus docuit; Κριτήρια ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, διὸ εἶναι τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι

481. *Neque sensus*] *Sensibus*, Gifanius: imperite.

Qui nisi sint veri, Ratio quoque falsa fit omnis.
An poterunt Oculos Aures reprehendere? an Aureis
Tactus? an hunc porro Tactum Sapor arguet oris?
490 An confutabunt Nares, Oculive revincent?
Non (ut opinor) ita 'st; nam seorsum quoique potestas
Divisa 'st: sua vis quoique 'st; ideoque necesse 'st,
Quod molle, aut durum est, gelidum, fervensve, seorsum
Id molle, aut durum, gelidum, fervensve videri;
495 Et seorsum varios rerum sentire Colores,
Et quæcunque coloribu' sunt conjuncta, necesse 'st.
Seorsus item Sapor oris habet vim, seorsus Odores
Nascuntur, seorsum Sonitus: ideoque necesse 'st,
Non possint alios alii convincere Sensus.
500 Nec porro poterunt ipsi reprendere sese;
Æqua fides quoniam debebit semper haberi.
Proinde, quod in quoque 'st his visum tempore, verum 'st.
Et, si non poterit ratio dissolvere causam,
Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
505 Visa rotunda; tamen præstat rationis egentem
Reddere mendose causas utriusque figuræ,
Quam manibus manifesta suis emittere quæquam;
Et violare fidem primam, et convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur Vita, Salusque.

qui sensus nisi veri sint, omnis ratio quoque falsa sit necesse est? An poterunt aures reprehendere oculos? An tactus aures? An gustus denique refutabit tactum? vel an visus et olfactus erroris arguent? Non, uti puto, ita fiet: nam singulis sensibus sua propria vis et potestas distribuitur; atque ideo necesse est ut quod molle aut durum est, quod gelidum aut calidum est id ab uno tantum sensu molle aut durum, gelidum aut calidum sentiatur: Necesse est etiam ut unus tantum sensus percipiat varios colores, et ea quæ sunt coloribus conjuncta. Unicus etiam gustus sapores sentit, unicus olfactus odores, unicus auditus sonos, ideoque necesse est ut alii sensus non possint alios refutare. Neque iidem sensus possunt seipsos reprehendere, quoniam eidem sensui æqua fides est semper adhibenda: ideoque id verum est quod his sensibus quolibet tempore visum est. Et si forsan animus nequeat reddere rationem, cur ea corpora, quæ cominus visa quadrata videntur, eminus visa rotunda appareant; melius tamen ille, qui hanc difficultatem non valet explicare, falsas causas utriusque figuræ assignaret, quam manifesta et aperta e suis manibus emitteret, fidem primam violaret, et convelleret omnia ista fundamenta quibus vita salusque hominum innititur.

NOTÆ.

487. *Ratio quoque falsa fit omnis*] Πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται, πᾶσα δὲ αἴσθησις ἄλογος. Epicurus.

488. *An poterunt—Aures, &c.*] Οὔτε ἡ ὁμοιογενὴς αἴσθησις ὁμοιογενῆ διελέγξαι δύναται διὰ τὴν ἰσοσθένειαν, οὔτε ἡ ἀνομοιογενὴς τὴν ἀνομοιογενῆ, ἃ γὰρ τῶν αὐτῶν κρίνεται. Epicurus.

503. *Et, si non poterit &c.*] Cum vero sæpe fallimur, cum v. g. Turris quadrata eminus visa appareat rotunda, quid agendum est? Respondet Lucretius, v. 13. Satius esse negligere ista problemata, aut quamcunque causam assignare, quam sensibus diffidere, quibus tota vita et salus innitatur, nam sine illis salubria eligere, aut noxia, præcipitia, v. g. flammas, et ejusmodi alia vitare non possumus: hic vero tangit Scepticos, de quorum principe Pyrrhone Diogenes Laertius; Μηδὲν ἰστορούμενος, μηδὲν φυλασσόμενος ἦν, ἅπαντα ὑφιστάμενος, ἁμάξας, εἰ τύχοι, καὶ κρημνοὺς, καὶ κύνας, καὶ ὅσα τοιαῦτα, μηδὲν ταῖς αἰσθήσεσιν ἐπιστρέφων.

510 Non modo enim Ratio ruat omnis, Vita quoque ipsa
Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
Præcipiteisque locos vitare, et cætera, quæ sint,
In genere hoc fugienda ; sequi, contraria quæ sint.
Illa tibi est igitur verborum copia cassa
515 Omnis quæ contra sensus instructa, parata 'st.
Denique ut in Fabrica, si prava 'st Regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et Libella aliqua si ex parti claudicat hilum ;
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum 'st,
520 Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta ;
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.
Sic igitur Ratio tibi rerum prava necesse 'st,
Falsaque sit, falsis quæcunque ab Sensibus orta 'st.
525 Nunc alii Sensus quo pacto quisque suam rem
Sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta 'st.
Principio, auditur Sonus, et Vox omnis, in Aureis
Insinuata suo pepulere ubi corpore sensum :
Corpoream quoque enim Vocem constare fatendum 'st,
530 Et Sonitum, quoniam possunt impellere Sensus.

Non enim tantum ratio omnis corruat necesse est, sed ipsa etiam vita collabatur, nisi audeas credere sensibus, et ab illis monitus præcipitia fugere, et alia ejusdem generis noxia vitare, eaque sequi quæ sunt his contraria (innoxia) : omnia igitur argumenta quæ contra sensuum certitudinem colligere et explicare potes, vana sunt et futilia. Denique sicut in fabrica si prima regula prava sit, si normæ angulus non sit rectus, si sit aliquis in libella defectus, necesse est ut tota moles mendosa fiat et curvata, ut tecta prava sint, cubantia, prona, supina et absurda ; ita ut quædam ruitura videantur, et ruant ; cum omnia primis judiciis fallacibus sint prodita, ad falsas et mendaces regulas constructa. Pari modo necesse est ut ratio rerum falsa sit, quæ a sensibus falsis oritur. Jam vero explicare quo modo alii sensus quisque suum objectum sentiat, non erit opus difficile. Primo omnis vox et sonus auditur, quando in aures insinuata sensum auditus pulsarunt suo corpore: fatendum enim est vocem esse corpoream, ut et sonum, quoniam impellere possunt et movere sensus.

NOTÆ.

516. *Denique ut in fabrica, &c.*] Longam hanc disputationem, v. 9. concludit: sensus ii sunt, ad quorum fidem res omnes exigimus; ideoque si isti fallaces sint, de omni certitudine et scientia erit actum. Nec minus nos erraremus quam faber ille, qui fallaci regula, norma, et libella utitur.

519. *Obstipa*] Curvata, obliqua, inflexa; Cicero in Arati Phænomen.

Obstipum *caput, et tereti cervice reflexum.*

Horatius, Sat. 5. lib. 2.

——— *Davus sis comicus, atque*
Stes capite obstipo.

525. *Nunc alii sensus, &c.*] Hactenus de *Visu* et *Simulachris;* jam usque ad v. 618. de Voce et Auditu. Primo autem, v. 14. docet quid sit *audire*: audimus vero cum vox aures attingit, suoque corpore movet et impellit sensum Voci isti percipiendæ destinatum. Quod autem vox corporea sit id vero est manifestum; radit enim fauces, facit asperas et lædit, ideoque tangat necesse est, at quod tangit aut tangitur, est corpus. *Ἀλλὰ μὴν ἐξ τὸ ἀκούειν γίνεται ῥύμματός τινος φερομένου ἀπὸ τοῦ φωνοῦντος ἢ ἠχοῦντος, ἢ ψοφοῦντος, ἢ ὅπως δήποτε ἀκουστικὸν πάθος παρεκτυπούντος*. Epicurus ad Herodotum.

526. *Scruposa*] *Scrupi* dicuntur aspera saxa, et difficilia attrectatu, unde rem aliquam *scrupulosam* dicimus, quæ in se habet aliquid asperi : *Festus.*

Præterradit enim Vox fauceis sæpe, facitque
Asperiora foras gradiens arteria Clamor.
Quippe, per angustum turba majore coorta
Ire foras ubi cœperunt primordia Vocum,
535 Scilicet expletis quoque janua raditur oris
Rauca viis, et iter lædit qua Vox it in auras.
Haud igitur dubium est, quin Voces, Verbaque constent
Corporeis e principiis, ut lædere possint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, et quid
540 Detrahat ex Hominum nervis, ac viribus ipsis
Perpetuus Sermo nigraï noctis ad umbram,
Auroræ perductus ab exoriente nitore;
Præsertim si cum summo 'st clamore profusus:
Ergo corpoream Vocem constare necesse 'st,
545 Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Asperitas autem Vocis fit ab asperitate
Principiorum, et item lævor lævore creatur:
Nec simili penetrant Aureis primordia forma,
Quom Tuba depresso graviter sub murmure mugit,
550 Aut reboant raucum Retrocita cornua bombum;

Nam vox sæpe radit fauces, et clamor foras egrediens asperat os, et raucitatem facit: quippe cum vocum semina confertim magnaque turba foras egredi per angustum cœperunt, janua rauca oris ab istis seminibus angustas viaz nimis implentibus raditur, et vox lædit istum meatum quo foras egreditur. Minime igitur dubitandum est voces et verba e principiis corporeis constare, cum possint lædere. Nec omnino te latet, quantum corporis auferat, quantum e nervis ipsis hominum detrahat, ac vires diminuat perpetuus sermo, ab exoriente auroræ nitore usque ad umbram nigræ noctis perductus; præsertim si cum magno clamore sit prolatus: ergo necesse est ut vox sit corporea, quoniam ille qui multa loquitur aliquam partem sui corporis amittit. Vocis autem asperitas oritur ab asperitate principiorum, lævor autem a lævore seminum: nec vocis principia unius et ejusdem figuræ intrant aures, cum tuba sub depresso murmure graviter mugit, aut retrocita cornua raucum bombum reboant;

NOTÆ.

535. *Scilicet expletis*] *Expletis oris*, id est *locis*, Lambinus, qui versum sequentem rejicit: retineri autem potest, dum ad rem facit, et commodam interpretationem patitur.

539. *Nec te fallit item*] Priori argumento alium, v. 7. subjungit ab experientia ductum: aliquis magna contentione loquatur, debilis fiet et languidus. Non autem dubitabit vocem corpoream esse, cum magnam corporis sui partem, dum loquitur, detractam senserit.

546. *Asperitas autem vocis, &c.*] Jam aliud quoque argumentum v. 7. desumitur ex ipsa voluptate et molestia, qua nos sonus, prout concinnus, inconcinnusque est, afficit: siquidem censet Epicurus, quæ corpuscula subingrediuntur aurem, organumque afficiunt, certa ratione configurari, et omnem suavitatem aut acerbitatem soni non aliunde esse, quam ex eo quod hujusmodi corpuscula in organum subeuntia ipsum deliniant, exasperentve, pro conditione lævitatis, aut asperitatis qua configurantur.

550. *Aut reboant, &c.*] *Retrocita cornua;* alii, *barbara*: hunc versum Lucretio abjudicat Lambinus, sed Lucretius, si viveret, ad alios judices provocaret: interpres viz. non viderat, neque multi vident, quid tandem illud sit *retrocita barbara*, vel *cornua;* at ego videor firmare posse intelligi illud instrumentum musicum, Syriacæ, opinor, originis, quod *Sacbute*, vel *Saquebout* vocamus, a veteri voce Gallica *Saquer*, quod trahere est, et *bouter*, quod pulsare significat. Qui instrumentum illud musicum norunt, facile intelligent cur *Retrocita* dicatur a Lucretio. *Faber*. Vossius ad Catullum p. 227. dicit *retrocita* vulgo inepte legi, scribit autem;

Et reboat raucum Berecynthia barbara *bombum*.

Vallibus et Cycni gelidis orti ex Heliconis
Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Hasce igitur penitus Voces cum corpore nostro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,
555 Mobilis articulat verborum dædala lingua;
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Atque ubi non longum spatium 'st, unde illa profecta
Perveniat vox quæque, necesse 'st Verba quoque ipsa
Plane exaudiri, discernique articulatim:
560 Servat enim formaturam, servatque figuram.
At si interpositum spatium sit longius æquo;
Aëra per multum confundi Verba necesse 'st,
Et conturbari Vocem, dum transvolat auras.
Ergo fit, Sonitum ut possis audire, neque hilum
565 Internoscere Verborum sententia quæ sit,
Usque adeo confusa venit Vox, inque pedita.
Præterea, Edictum sæpe unum perciet aureis

et cum olore sex gelidis vallibus Heliconis orti (dulce canentes) flebilem querelam lugubri voce tollunt. Has igitur voces cum ex intimis nostri corporis partibus exprimimus, forasque emittimus recto ore, lingua mobilis verborum perita formatrix articulatas facit, et aliqua ex parte formatura labrorum figurat. Et cum intervallum non magnum est unde vox profecta ad aures nostras perveniat, necesse est verba quoque ipsa clare exaudiri, et discerni articulatim; vox enim ista servat formaturam et figuram istam quæ a labris et lingua donabatur. Si vero intervallum sit æquo longius, necesse est ut verba multum aëra permeantia confundantur, et figura ipsius vocis mutetur, dum auras pervolet: et inde fit quod sonum tantum audias, quænam vero verborum sit sententia novisse non potes, tam conturbata venit vox, et crebris aëris offensibus impedita. Præterea, sæpe unum edictum ab ore præconis

NOTÆ.

Berecynthia barbara, id est, tibia Phrygia; Αὐλὸς Βερεκύνθιος, ut habet Hesychius in βερεκύνθιος, &c.

551. *Vallibus et Cycni, &c.*] Mirifica, sicubi alias, circa hunc locum variantium lectionum multitudo est, nam in quibusdam legitur;

Vallibus et validis ne tortis ex Heliconis:
in aliis,

Vallibus et Cycni nece detorti ex Heliconis;
in aliis,

Et gelida Cycni nece torti ex antro Heliconis.
Lambinus,

Vallibus et Cycni gelidis orti ex Heliconis.
Loco *orti* Faber substituit *cörti*. Vossius tandem ad Catullum legit,

Et validis *Cycni* torrentibus *ex Heliconis:*
Ex Helicone nempe, tum alii torrentes, tum ipse Helicon amnis profluit. Breviter, *nece torti*, vel *nece detorti* omnino rejiciendum; istarum enim vocum sententia, siqua esset, in sequenti versu continetur; sed Fabrum aut Vossium sequaris, perinde est.

553. *Has igitur penitus voces*] Vocem hanc corpoream, v. 4. lingua et labra formant et figurant, et inde verba. Cicero lib. 2. de Nat. Deorum: *Deinde in ore sita lingua est finita dentibus, ea vocem immoderate profusam fingit et terminat, sonosque vocis distinctos et pressos efficit; cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, quæ ad nervos resonant in cantibus.*

557. *Ac ubi non longum, &c.*] Varia subjungit problemata, primum v. 10. Voces longius progrediendo hebetantur, et ex distinctis confusæ fiunt, nempe quia illæ moleculæ, seu singulares voculæ crebro aëris offensu laceratæ amittunt illam figuram, et conformationem quam a lingua et labris acceperant.

564. *Neque hilum*] Recte Lambinus, quamvis tam *illa* quam *illam* recipi potest.

567. *Præterea, edictum, &c.*] Deinde, v. 5. loquatur aliquis, innumeræ aures adstantes verba percipient; unde vero hoc? Concipiendum est unam esse quasi totalem, sive mavis, generalem vocem, quæ ab ore

Omnibus in populo emissum præconis ab ore:
In multas igitur Voces Vox una repente
570 Diffugit, in privas quoniam se dividit aureis,
Obsignans formam verbis, clarumque sonorem.
At quæ pars Vocum non aureis accidit ipsas,
Præterlata perit frustra diffusa per auras:
Pars solidis adlisa locis, rejecta sonorem
575 Reddit, et interdum frustratur imagine Verbi.
Quæ bene cum videas, rationem reddere possis
Tute tibi atque aliis, quo pacto per loca sola
Saxa pareis formas Verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites cum monteis inter opacos
580 Quærimus, et magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam, aut septem loca vidi reddere Voces
Unam cum jaceres: ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasque tenere
585 Finitimi fingunt, et Faunos esse loquuntur;
Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti

in magna plebis multitudine missum omnium aures percellit; vox igitur una subito in multas dispergitur, quoniam in singulas aures se dividit, verba etiam defert figurata, et liquido sonantia. Pars vero vocum, quæ in aures non incidit, præterlata perit, frustra per aërem dispersa; pars vero in res duras impingens rejecta sonum reddit, et nos verbi imagine frustratur. Quæ cum perspecta habeas, tu tibi ipsi atque aliis possis reddere rationem quo pacto per deserta loca, rupes et cavernæ verba nostra distincte reddunt, dum quærimus nostros socios inter montes opacos errantes, et magna voce dispersos vocamus. Novi etiam quædam loca sex aut septem verba reddere, cum unum tantum ipse pronuntiares; ita montes verba repellentes iterabant aliis montibus dicta quæ referant. Vicini fabulantur Satyros capripedes et Nymphas hæc loca incolere, et dicunt Faunos esse; quorum nocturno strepitu, jocosoque ludo

NOTÆ.

emittitur, sed quæ dissiliat tamen in voculas innumeras, inter se consimiles; ideo cum emittitur vox, corporum erumpentium formatura ita comprimitur, eliditur, ac veluti conteritur, ut abeat in frustula, seu in parvas moleculas, omnino consimiles, et consimiliter formatas, quæ et confestim dissiliant per aëra, seu per circumfusum spatium, et similitudinem eam conservent usque dum ad aures perveniant. Quo fit ut eadem vox a multis audiri dicatur.

572. *At quæ pars, &c.*] Quæcunque partes vocis aures attingunt, illæ audiuntur, aliæ partes per aëra diffusæ evanescunt, aliæ in corpora solida, et utcunque lævigata (quippe et porosa nimis prætermittunt, et scabrosa nimis concidunt atque dissipant) incidentes, et inde repercussæ, efficiunt ut eandem vocem iterato audiamus; inde *Echo:* inde etiam nocturni sonitus, quos, ad v. 589. superstitiosum vulgus agrestibus numinibus acceptos refert.

575. *Imagine Verbi*] Virgilius;

—*aut ubi concava pulsu*
Saxa sonant, vocisque offensa *resultat*
imago.

Horatius ad Augustum;

—*Cujus recinet jocosa*
Nomen Imago
Aut in umbrosis Heliconis oris
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo?

577. *Per loca sola*] Deserta, ut v. 596. Plautus in Rudente:

Neque magis solæ *terræ sunt, quam hæc loca.*

583. *Iterabant dicta referre*] Codd. *iterabant dicta referri:* Fabro autem ingratum est illud *iterabant,* ideoque legit *tradebant.*

584. *Capripedes*] Satyri nempe caprinis pedibus incedebant: Horat. Od. 19. lib. 2.

Nymphasque discentes, et aures
Capripedum *Satyrorum acutas.*

Adfirmant volgo taciturna silentia rumpi,
Chordarumque sonos fieri, dulceisque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum:
590 Et genus Agricolûm late sentiscere, cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Unco sæpe labro calamos percurrit hianteis,
Fistula silvestrem ne cesset fundere musam.
Cætera de genere hoc monstra, ac portenta loquuntur,
595 Ne loca deserta ab Divis quoque forte putentur
Sola tenere; ideo jactant miracula dictis:
Aut aliqua ratione alia ducuntur, ut omne
Humanum genus est avidum nimis auricularum.
Quod superest, non est mirandum, qua ratione
600 Quæ loca per nequeunt Oculi res cernere apertas,
Hæc loca per Voces veniant, Aureisque lacessant:
Conloquimur clausis foribus; quod sæpe videmus:
Nimirum, quia Vox per flexa foramina rerum

affirmant tacita noctis silentia frequenter rumpi; chordarum etiam sonos fieri, et suaves querelas, quas tibia pulsata digitis canentum fundit: et agricolas undique per agros sentire cum Pan quatiens pineam coronam qua caput semiferum tegitur, hiantes calamos unco labro sæpe percurrit, ut fistula semper carmen sylvestre funderet. Multas ejusmodi monstrosas et portentosas fabulas narrant, et ne forte desertas a Divis sedes incolere putentur, ideo portentosas hujusmodi fabulas effingunt: vel aliqua alia nescienqua ratione ad illas fingendas impelluntur; humanum enim genus plus æquo fabulis delectatur. Deinde, non est mirandum quam ob causam per ea loca, per quæ oculi rem aliquam nequeunt cernere, voces venirent, et aures lacesserent; ut cum clausis foribus, quod tamen sæpe facimus, colloquamur. Quoniam viz. vox potest transire per curvos et tortuosos

NOTÆ.

590. *Et genus agricolûm, &c.*] Caprarius apud Theocritum.

Οὐ θίμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μισαμβρινὸν, ὦ Θίμις ἄμμιν
Συρίσδιν, τὸν Πᾶνα διδοίκομις, ἢ γὰρ ἀπ' ἄγρας.
Ταυίκα κικμακὸς ἀμπαύιται· ἴντι γι πικρός·
Καὶ αἱ ἀεὶ δρυμαῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

592. *Percurrit*} Quod necesse est, si fistula composita utaris, qualis est

Fistula comparibus septem compacta cicutis.

Faber. lib. 5. v. 1406.

Et supera calamos unco percurrere *labro.*

596. *Sola tenere*] Ita omnino legendum; agricolæ enim suum cum Divis commercium jactant.

598. *Avidum nimis auricularum*] Id est omnes homines portenta et miracula libenter narrant, eaque a multis audiri jucundissimum illis est. *Faber.*

599. *Quod superest, non est, &c.*] Igitur voces accipimus ab illo qui loquitur expressas et formatas, æque ac simulachra a rerum superficie fluentia; cur igitur audimus aliquem quem videre nequeamus? Respondet Lucretius, v. 20. Voces formatæ obliquos meatus, et tortuosa corporum foramina integræ transeunt, in quibus franguntur, ut supra docuit, imagines; seu potius hoc fit quia vox in voculas dissiliat, quæ sursum, deorsum, prorsum, retrorsum, dextrorsum, lævorsum, et in omnem obliquitatem, ut scintillulæ a scintilla dissultantes, abeunt, sicque in aures etiam alibi, quam in directum constitutas incidant; tale vero quid ipsis imaginibus non contingat: vox autem hujusmodi meatus penetrans debilior fit, atque indistinctior.

602. *Conloquimur, &c.*] Hunc versum rejicit Lambinus; alii legunt, *cum loquimur, &c.* Gifanius vero, e codd.

Conloquium *clausis foribus* quoque *sæpe* tenemus.

Versum subditivum esse affirmat Faber, sed omnes codd. agnoscunt: et *cum loquimur* rectius legendum.

Incolumis transire potest, Simulacra renutant:
605 Perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant;
Qualia sunt vitri, species quæ travolat omnis.
Præterea, parteis in cunctas dividitur Vox,
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur, ubi una
Dissiluit semel in multas exorta, quasi ignis
610 Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis;
Ergo replentur loca Vocibus, abdita retro
Omnia quæ circum fuerint, sonituque cientur.
At Simulacra viis directis omnia tendunt,
Ut sunt missa semel, quapropter cernere nemo
615 Se supra potis est; at Voces accipere extra.
Et tamen ipsa quoque hæc, dum transit clausa viarum,
Vox obtunditur, atque aureis confusa penetrat;
Et Sonitum potius, quam Verba, audire videmur.
Hæc, queis sentimus succum, lingua atque palatum,
620 Plusculum habent in se rationis, plusque operaï.
Principio, succum sentimus in ore, cibum cum
Mandendo exprimimus; ceu plenam spongiam aquaï
Si quis forte manu premere, exsiccareque cœpit:

meatus integra atque immutata, simulachra vero non possunt; scinduntur enim et lacerantur nisi transeant per rectos meatus, quales sunt vitri, quos simulachra integra permanant. Præterea, in cunctas undique partes dispergitur vox, nam aliæ voces gignuntur ex aliis, quamprimum illa, quæ in primo exortu erat una, vox in multas dissiluit, ut scintilla ignis sæpe solet in multas scintillas dissilire: hanc ob causam omnia loca quæ circum, imo quæ pone loquentem sunt, vocibus implentur, et cientur sono. At simulachra rerum postquam a superficie corporum avolarunt rectis lineis feruntur, et hanc ob causam nemo potest cernere ea quæ supra caput suum posita sunt; potest vero voces audire foris prolatas: et tamen hæc quoque ipsa vox, dum clausas fores permanat, hebetior fit, conturbata et confusa attingit aures, et videmur sonitum potius quam verba audire. Jam vero lingua et palatum quibus saporem sentimus, non tam facile explicari possunt quam quæ sunt hactenus disputata. Principio, saporem in ore sentimus, cum dentibus cibum comminuendo succum ex illo exprimimus, ut siquis spongiam aquæ plenam manu premere, et illam exsiccare conaretur:

NOTÆ.

606. *Travolat*] Sive *qua trameat*, sive *qua traviat* (nam viare apud Plautum) legas, perinde est.

619. *Hæc queis sentimus, &c.*] *Nec queis sentimus* cum Fabro legas, non enim plura sunt et difficiliora explicatu de gustu, quam de visu et auditu, problemata: gustamus enim, v. 18. cum succus e re sapida, tanquam aqua e spongia, expressus in organum, palatum linguamve, penetret. Qui succus si constet ex corpusculis ea ratione configuratis ut in organum gustatus effusa, porulosque ejus subeuntia apposite ipsis iisdem particulis accommodentur, sicque ipsum deliniant, demulceant, et leniter placideque, afficiant, suavis videtur; si vero corpuscula ea ratione configurentur, ut in porulos organi subeuntia, haud debitam habeant cum ipsis commensurationem, unde et particulas ejusdem compungant, concidant, discerpant, aut asperiter moveant, insuavis videtur, sive amarus, salsus, acidus, acerbus, acris, acutus, austerus, &c. Hanc opinionem, ut multas alias e Democrito sumsit Epicurus, ille enim singulis saporibus suam figuram tribuit. Δημόκριτος δὲ σχῆμα περιτιθεὶς οἑκάστῳ, Γλυκὺν μὲν τὸν τρογγύλον, καὶ τυμεγίθη ποιεῖ, Στρυφνὸν δὲ τὸν μεγαλόσχημον, Τραχὺν δὲ τὸν πολυγώνιον καὶ ἀπειρόφρεπῆ, Δριμὺν δὲ τὸν περιφρεπῆ, καὶ λεπτὸν, καὶ γωνιωδῆ, καὶ καμπύλον· Ἁλμυρὸν δὲ τὸν γωνιωδῆ, καὶ σπόλιον, καὶ ἰσοσκελῆ, πικρὸν δὲ τὸν περιφρεπῆ, καὶ λεῖον ἔχοντα σπολιότητα, μέγεθος δὲ μικρόν· Λιπαρὸν δὲ τὸν λεπτὸν, καὶ τρογγυλὸν, καὶ μικρόν. Theophrastus de Causis Plant. lib. 6. cap. 2.

Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
625 Diditur, et raræ per plexa foramina linguæ.
Hæc ubi lævia sunt manantis corpora Succi,
Suaviter attingunt, et suaviter omnia tractant
Humida linguaï circum sudantia templa:
At contra pungunt sensum, lacerantque coorta,
630 Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde voluptas est e succo in fine palati,
Cum vero deorsum per fauceis præcipitavit;
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus:
Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
635 Dummodo, quod capias, concoctum didere possis
Artubus, et stomachi humectum servare tenorem.
Nunc aliis alius cur sit Cibus, ut videamus,
Expediam; quareve, aliis quod triste, et amarum 'st,
Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri.
640 Tantaque in his rebus distantia, differitasque 'st

succus autem iste quem exprimimus per omnes poros palati, et per tortuosos ductus linguæ spongiosæ distribuitur; et cum fluentis succi corpora lævia sint, palatum leniter mulcent, totamque madidam linguam jucunde, et dulcedine quadam tangunt; tanto vero magis pungunt lacerantque sensum quanto magis aspera sunt succi expressi corpora. Deinde voluptatem a sapore percipimus usque quo palatum pertingit; cum vero per guttur descenderit tum nulla sentitur voluptas, dum per membra distribuitur: nec omnino refert quo alimento nutriatur corpus, si modo id quod sumis, possis per membra concoctum distribuere, humidumque stomachi tenorem conservare. Nunc vero docebo, et planum faciam cur diversa alimenta diversis animalibus conveniant, cur id, quod aliis injucundum et amarum est, aliis dulcissimum videatur. Imo in hisce rebus discrepantia et differentia tanta est,

NOTÆ.

628. *Linguaï—sudantia templa*] Satis audax metaphora videri queat *templum linguæ* pro palato; sed omnis locus extensus et patens in veteri Latio *templum* dicebatur: deinde τὸ ὑπερῶον seu ὑπερῶα qua voce Græci *palatum* significant, ut et ὑεανὶς, non minoris audaciæ videri debent, quanquam non aliter pedestres scriptores loquebantur. *Faber.*

631. *In fine palati*] Voculam *in* delet Palmerius. *Fine palati*, id est quousque palatum pertingit: sic Salustius;

Fine inguinum ingrediuntur mare.

Apuleius;

Paulisper fine inguinum lacinia remota.

634. *Nec refert quicquam, &c.*] His versibus adjungas illud Epicuri ad Menœceum: Τὸ σωιθίζειν ὃν ἐν ταῖς ἀσταλαῖς, καὶ ὁ πολυτελὴς διαίταις, ἢ ὑγιείας ἕνεκα συμπληρωτικὸν, καὶ πρὸς ἀναγκαίας τοῦ βίου χρήσεις ἄφοβον ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον.

637. *Nunc aliis alius, &c.*] Jam v. 40. causam explicat, cur idem cibus sit uni non modo jucundus, sed etiam salubris, qui alii erit non modo ingratus, verum etiam noxius: organum gustatus in sui textura, sive atomorum, spatiorumque inter ipsas interceptorum configuratione, in variis seu hominibus seu animalibus differt, perinde ac differunt partes cæteræ, speciatimque ipsæ externæ: differentes autem meatus differentia succi corpuscula (et omnis res, e qua succus exprimitur, continet semina diversimode figurata) admittant necesse est, nec omnia omnibus conveniunt: inde quod alteri animali alimentum, alteri venenum; quod huic gratum, illi insuave. Imo quotiescunque vel per ætatem vel occasione morbi, organi temperies seu textura immutatur, eadem res apparet mutati saporis, in qua mutatum tamen nihil est; ita qui febre laborat, amara judicat ea, quæ sanus dulcia, quod propter mutatam organi texturam ea corpuscula quæ prius accommodabantur nunc non congruant, organumque proinde lacerent et discerpant.

640. *Differitasque est*] *Differentia*, Nonius. Usus hac voce est Arnobius, qui Lucretium libenter imitatur.

Ut quod alîs Cibus est, aliis fuat acre venenum :
Est utique, ut Serpens hominis contacta salivis
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.
Præterea, nobis Veratrum est acre venenum,
645 At Capris adipes, et Coturnicibus auget :
Ut, quibus id fiat rebus, cognoscere possis,
Principio meminisse decet, quæ diximus ante,
Semina multimodis in rebus mista teneri.
Porro omnes, quæcunque cibum capiunt Animantes,
650 Ut sunt dissimiles extrinsecus, et generatim
Extima membrorum circumcæsura coercet ;
Proinde et Seminibus distant, variantque figura.
Semina cum porro distent, differre necesse 'st
Intervalla, Viasque, Foramina quæ perhibemus,
655 Omnibus in membris, et in ore, ipsoque palato.
Esse minora igitur quædam, majoraque debent,
Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse 'st,
Multa rotunda, modis multis multangula quædam :
Namque Figurarum ut ratio, motusque reposcunt,
660 Proinde Foraminibus debent differre figuræ ;
Et variare viæ proinde ac textura coercet.
Ergo ubi quod suave 'st aliis, aliis fit amarum ;
Illis, queis suave 'st, lævissima corpora debent
Contrectabiliter caulas intrare palati :
665 At contra, quibus est eadem res intus acerba ;

ut illud idem quod aliis salubre alimentum sit, sit perniciosum venenum aliis : sæpe enim serpens contacta hominis saliva perit, imo nonnunquam seipsam suo morsu interficit. Præterea, helleborum est perniciosum venenum homini, idem vero capras et coturnices pingues facit ; ut vero cognoscas qua ratione id fiat, debes revocare in memoriam ea quæ supra docuimus, viz. semina diversi generis in rebus omnibus mista contineri : porro omnia animalia, quæcunque alimentum capiunt, ut sunt extrinsecus dissimilia, et pro diversis generibus diversa habent externa corporum lineamenta ; sic ex seminibus constant diversimode figuratis. Cum autem semina sint diversimode figurata, necesse etiam est ut intervalla (pori) et meatus (quæ ego foramina appello) in omnibus membris, in ipso ore et palato sint diversa. Quidam igitur meatus debent minores esse, quidam majores, aliis animalibus triangulares, aliis quadrati, multi rotundi, multi etiam multis modis multanguli : nam ut seminum figuræ et motus postulant, sic meatuum figuræ variæ et diversæ esse debent ; et foramina differre proinde ac corpusculorum textura facit differre. Ergo cum id quod aliis dulce est aliis amarum fit ; illis quibus dulce est lævia et rotunda semina debent leniter ingredi meatus palati ; e contra vero illis quibus amarum fit,

NOTÆ.

650. *Et generatim*] *Variatim* legendum esse multis contendit Faber ; nam *variantque figura*, v. 652. et *variare viæ*, v. 661. vocem istam confirmant. Denique non agitur nunc de differentiis secundum unumquodque *genus* animalium, quatenus viz. species a specie differt ; nam in specie humana quot sunt singularia seu individua, tot sunt varii gustatus, Ergo, &c. Et profecto aliquid dixisset Faber, nisi poeta instituisset hisce versibus docere, quam ob causam una eademque res alteri generi animalium salubris, alteri foret noxia ; *generatim* igitur legendum.

651. *Circumcæsura*] Alii, *circum textura ;* sed *circumcæsura* utitur Arnobius, et Lucretius ipse, lib. 3. v. 220.

Extima membrorum circumcæsura *tumen se.*

Aspera nimirum penetrant, hamataque fauceis.
Nunc facile ex his est rebus cognoscere quæque.
Quippe, ubi quoi Febris, bili superante, coorta 'st,
Aut alia ratione aliqua 'st vis excita morbi;
670 Perturbatur ibi totum jam Corpus, et omnes
Commutantur ibi posituræ Principiorum:
Fit, prius ad sensum ut quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, et cætera sint magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum;
675 Utraque enim sunt in mellis commista sapore,
Id quod jam supera tibi sæpe ostendimus ante.
Nunc age, quo pacto Nareis adjectus odoris
Tangat, agam. Primum res multas esse necesse 'st,
Unde fluens volvat varius se fluctus Odorum;
680 Nam fluere, et mitti volgo, spargique putandum 'st:
Verum aliis alius magis est animantibus aptus,
Dissimileis propter formas, ideoque per auras
Mellis Apes quamvis longe ducuntur odore;
Volturiique cadaveribus: tum fissa ferarum
685 Ungula quo tulerit gressum, promissa Canum vis
Ducit; et humanum longe præsentit odorem
Romulidarum arcis servator, candidus Anser.

aspera et hamata semina penetrant fauces et lacerant. Ex his quæ jam disputavimus alia problemata facile explicari possunt. Quippe cum aliquis, bile nimis effervescente, febre correptus est, aut aliqua alia ratione violentus iste morbus excitatur, totum illius corpus perturbatur, totusque ordo et dispositio seminum mutatur; et inde fit ut illa corpora quæ olim potuerunt ingredi meatus linguæ et palati, jam non possint, et alia libere pervadant, quæ insinuata acerbum sensum excitare valeant; nam semina utriusque generis, quod supra sæpe docui, in melle commixta continentur. Nunc age, quo pacto odores advenientes nares afficiant, docebo. Primum, necesse est res multas esse e quibus varius fluctus odorum fluens se volvat; credendum enim est odores passim et perpetuo fluere, mitti, spargique a rebus, alius vero odor magis convenit quibusdam animalibus quam aliis propter dissimiles figuras seminum e quibus constat: et hanc ob causam apes mellis quantumvis remoti, et vultures cadaverum odore attrahuntur; tum promissa canum vis ducit eos quocunque bifida ferarum ungula gressum tulerit, et candidus anser Romani Capitolii servator hominum odorem longe præsentit.

NOTÆ.

677. *Nunc age, quo pacto, &c.*] Gustum et saporem odor et odoratus sequitur, et, v. 24. ut simulachra a rebus fluunt, ut sonus ejicitur, ut exprimuntur succi, sic odores emittuntur: quod vero omnia animalia hos odores perpetuo emissos non æque sentiant, efficit varietas et dissimilitudo figurarum (vid. lib. 2. v. 414.) quæ omnium animalium organa non pariter movent et afficiunt; sic apes mellis, vultures cadaverum, ferarum canes, et anser hominis odorem longe sentiunt, dum nares hominis isti odores vel non omnino, vel languide lacessunt: ἡ ὀσμὴ ἐκ ἅν ποτε πάθος ἐθὲν ἐργάζεται, εἰ μὴ ὄγκοι τινὲς ἦσαν ἀπὸ τῶ πράγματος ἀποφερόμενοι σύμμετροι πρὸς τὸ τῦτο τὸ αἰσθητήριον κινῶν, οἱ μὲν τοῖς συναρμόζοντες, καὶ ἀλλοτρίοις, οἱ δὲ τοῖς ἀναρμόστοις καὶ οἰκείοις ἴχνεσι: Epicurus ad Herodotum.

679. *Volvat—se*] Melius quam *se solvat*.

685. *Promissa canum vis*] Id est *immissa;* inde ἰκανοτῆρες pro venatoribus apud Callimachum, et ἰκάγειν apud Plutarchum in Apophthegm. pro *venatum ducere*, seu *promittere: Faber*. Lambinus, *longe et porro tenus missa*, vel *e longinquo loco odores sentiens:* at venatores melius quam grammatici intelligunt, cur canis venatici vis dicatur *promissa*. Alii, *permissa;* ut v. 692. *permitti*.

687. *Romulidarum, &c.*] Nota historia

Sic aliis alius nidor datus ad sua quemque
Pabula ducit, et a tetro resilire veneno
690 Cogit; eoque modo servantur sæcla ferarum.
Hic Odor ipse igitur, nareis quicunque lacessit,
Est alio ut possit permitti longius alter;
Sed tamen haud quisquam tam longe fertur eorum,
Quam Sonitus, quam Vox, mitto jam dicere, quam res
695 Quæ feriunt Oculorum acies, visumque lacessunt:
Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim facilis distractus in Aëris auras;
Ex alto primum quia vix emittitur ex re.
Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores
700 Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta.
Deinde videre licet majoribus esse creatum
Principiis Voci; quoniam per saxea septa
Non penetrat, qua Vox volgo, Sonitusque feruntur.
705 Quare etiam quod olet, non tam facile esse videbis
Investigare, in qua sit regione locatum:
Refrigescit enim cunctando plaga per auras,

Sic odor diversus diversis animalibus conveniens unumquodque ducit ad sua alimenta, efficitque ut a pernicioso veneno recedat, et inde genera animalium conservantur. Ex odoribus vero qui nares feriunt alius potest alio longius emitti, nullus tamen eorum tam longe mittitur quam sonus, quam vox, ne dicam quam imagines quæ oculos feriunt, et visum lacessunt. Vagus enim per aëra tarde fertur, non directa linea progreditur, et facile per auras dispersus paulatim perit antequam longum iter perficiat; præcipue quia difficulter ex interioribus corporis partibus odor emittitur: nam manifestum est odores ex interioribus partibus corporis emitti, quoniam res odoræ quæ franguntur, conteruntur, aut igne dissipantur, magis redolent. Deinde certus esse possis odorem constare e majoribus seminibus quam vocem, quoniam non penetrat muros lapideos, per quos vox et sonus frequenter feruntur: quas etiam ob causas senties non ita facile esse investigare in quo loco id quod olet locatum sit, dum enim odor tarde fertur per aëra, languidior fit illius ictus,

NOTÆ.

est; capitolium ab anseribus servatum, ascendentibus Gallis.

691. *Hic odor ipse, &c.*] V. 19. de motu odoris disserit, cumque tardius moveri per aëra quam sonum, distrahi quoque et dissipari facilius et longe minus per aëra diffundi affirmat; quoniam ex intimis corporis odori partibus, seu subjecti profunditate effluit (nam res odoræ dum franguntur, conteruntur, &c. magis redolent), major etiam est principiorum illius moles, dum illi meatus quos vox penetrat, odorem non admittunt, ideoque necesse est ut odor tardius feratur, et facilius ab occursante aëre dissipetur. Huc etiam referri potest causa, cur, cum facile judicare liceat qua ex parte sonus adveniat, non perinde tamen dignoscamus ad quam nobis partem sit situm corpus quod odorem diffundit.

692. *Est alio, &c.*] *Est* illo *ut possit permitti longius* ille. Ubi enim de duobus agitur, non potest dici *alter est major alio; Faber.*

699. *Atque recedere*] Ita codd. Lambinus tamen mavult, *ac decedere*, seu *atque excedere.*

701. *Igni conlabefacta*] Sic lib. 1.

Conlabefactatus *rigor auri solvitur æstu.*

Gifanius vero *concalefacta.*

703. *Voci*] Id est, majoribus principiis quam sunt vocis principia.

707. *Refrigescit*] Sequenti versu *plaga* dicitur *calida*, ideoque dum cunctatur *refrigescit:* constat autem intensissimum frigus obstare effusioni liberiori odorum. In omnibus vetustis exemplaribus versus Lucretii sic leguntur,

Refrigescit enim cunctando plaga per auras,

Nec calida ad sensum decurrit nuntia rerum;
Errant sæpe Canes itaque, et vestigia quærunt.
710 Nec tamen hoc solis in Odoribus, atque Saporum
In genere est: sed item Species rerum, atque Colores
Non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,
Ut non sint aliis quædam magis acria visu.
Quinetiam Gallum, noctem explaudentibus alis,
715 Auroram clara consuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidi contra constare Leones,
Inque tueri; ita continuo meminere fugaï:
Nimirum, quia sunt Gallorum in corpore quædam
Semina, quæ, cum sunt oculis immissa Leonum,
720 Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces:
Cum tamen hæc nostras acies nil lædere possint;
Aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis
Exitus ex Oculis liber datur, in remeando
725 Lædere ne possint ex ulla lumina parte.
Nunc age, quæ moveant Animum res, accipe, et unde,

nec ea qua debet vi, ut demonstret ubi res sit, ad sensum venit; et hanc ob causam canes sæpe errant, et vagi quærunt ferarum vestigia quæ odor non satis prodit. Hoc tamen evenit non solum in odoribus, et saporibus, sed rerum formæ etiam, et colores non ita omnium oculis conveniunt, ut alia objecta non sint aliis visu magis acria. Quinetiam gallum, alis noctem explaudentibus, consuetum sonora voce auroram vocare, furiosi leones non possunt contra stare, et intueri, sed statim, et ad primum aspectum fugiunt: nimirum, quia in galli corpore quædam semina sunt, quæ cum sint in oculos leonum injecta, pupillas oculorum fodiunt et lacerant; et tam acutum dolorem excitant, ut fortes licet sint et vulnerum patientes leones, perferre nequeant: cum tamen hæc ipsa semina nostros oculos non omnino lædunt, vel quia non penetrant, vel quia illis penetrantibus liber ex oculis exitus datur, ita ut dum redeunt nulla ex parte pungant oculos aut lædant. Nunc age, audi quæ res moveant animum, et unde

NOTÆ.

Nec calida ad sensum decurrunt *nuntia rerum.*
Recedes a sensu Lucretii et rei veritate, si *nuntia* construas cum *plaga;* Vossius ad Catullum, p. 173.

710. *Nec tamen hoc, &c.*] Quod iidem odores et sapores sint aliis ingrati, aliis jucundi, minime dubitandum; nec ipsæ rerum imagines omnium oculis pariter conveniunt: galli aspectu terretur leo, (gallinaceorum cristæ leones maxime terrent; Plinius Nat. Hist. lib. 8. cap. 16.) nam imago galli e seminibus constat quæ fodiunt et lacerant oculos leonis, ut contra tendere non audeat.

714. *Noctem explaudentibus alis*] Noctem cum sonitu, et veluti plausu excutientibus atque exturbantibus; *Lambinus.* Hæc vero verba cum versu proximo otiosa sunt; nihil enim Lucretius de cantu galli, quod alii interpretes temere existimarunt.

726. *Nunc age, quæ, &c.*] De sensibus satis disputatum: cum vero sopitis sensibus plura imaginemur, non indigna est philosopho de imaginatione quæstio; eam autem explicat poeta usque ad v. 820. Asserit igitur tenuissimas imagines partim ab ipsis rebus fluentes, partim sponte in aëre formatas, et partim ex variis varie mistas undique vagari; has vero in animum penetrare, lacessendoque ipsum efficere ut intelligat seu imaginetur: inde de Centauris, Scyllis, aliisque monstris quæ nemo unquam sensibus usurpavit, de mortuis etiam cogitamus, v. 27. Cicero Ep. Fam. lib. 15. scribens ad Cassium qui recens se Epicureis addixerat; *Fit nescio quid,* inquit, *ut coram adesse videaris cum scribo aliquid ad te, neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici novi, qui putant etiam τὰς διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari.*

Quæ veniunt, veniant in Mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum Simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique parteis
730 Tenuia, quæ facile inter se junguntur in auris,
Obvia cum veniunt, ut aranea, bracteaque auri.
Quippe etenim multo magis hæc sunt tenuia textu,
Quam quæ percipiunt Oculos, visumque lacessunt:
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque
735 Tenuem Animi naturam intus, sensumque lacessunt.
Centauros itaque et Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
740 Partim sponte sua quæ fiunt Aëre in ipso;
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt;
Et quæ consistunt ex horum facta figuris.
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago;
Nulla fuit quoniam talis natura animalis:
745 Verum ubi equi, atque hominis casu convênit imago,
Hærescit facile extemplo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam, et tenuia texta.
Cætera de genere hoc eadem ratione creantur;
Quæ cum mobiliter summa levitate feruntur,
750 Ut prius ostendi, facile uno commovet ictu

veniunt in mentem, quæ veniunt, breviter declaratum accipe. Primum dico, multa tenuia rerum simulachra huc et illuc, denique in omnes undique partes vagari, quæ cum sibi invicem in aëre occurrunt, facile inter se junguntur, ut araneæ telæ et tenuissima auri ramenta. Hæc enim simulachra sunt textu multo magis tenuia, quam quæ oculos afficiunt, et visum movent: quoniam hæc per poros et meatus corporis transeunt, tenuemque animum intus latentem movent, et mentem lacessunt. Inde fit quod imaginemur Centauros, et Scyllas, Cerberos, et eorum imagines, quos jam diu sepultos terra continet: quoniam simulachra omne genus ubique volitant, quæ partim sponte sua in ipso aëre concrescunt, partim e variis rebus emittuntur, partim fiunt ex istis simulachris ita emissis inter se commixtis. Nam proculdubio imago Centauri nunquam fluxit ex vivo Centauro, quoniam nunquam tale animal extitit: sed cum forte equi imago hominis imagini facta sit obvia, facile et subito (ut modo docuimus) adhæret, quoniam subtilis tenuisque est, et ideo facile implicari possit. Alia monstrosa ejusmodi simulachra eodem modo fiunt; quæ cum levissima, atque ideo maxime mobilia sunt, ut modo docui, quodlibet unum subtile simulachrum uno ictu

NOTÆ.

733. *Percipiunt*] Penetrant, ut ægritudo me *percipit*: lib. 5. 603. 604.

Est etiam quoque uti non magno solis ab igni
Aëra percipiat *calidis fervoribus ardor.*

Alii, *percutiunt*.

735. *Sensumque lacessunt*] *Mentemque lacessunt*; Faber: recte. Sic v. 752.

Tenuis enim mens *est*, &c.

Et v. 762.

Mens *animi vigilat*, &c.

738. *Quorum morte obita*, &c.] Lib. 1. v. 135. 136.

Cernere uti videamur eos, audireque coram,
Morte obita, quorum tellus amplectitur ossa.

742. *Consistunt*] Quidam codd. *confiunt*, Lambinus;

Partim *quæ* constant *ex* harum *facta figuris.*

745. *Convênit*] Alii, *concurrit*, et in sequenti versu, *accrescit*, pro *hærescit*.

Quælibet una animum nobis subtilis imago:
Tenuis enim mens est, et mire mobilis ipsa.
Hæc fieri (ut memoro) facile hinc cognoscere possis,
Quatinus hoc simile est oculis, quod mente videmus,
755 Atque oculis simili fieri ratione necesse 'st:
Nunc igitur quoniam docui me forte Leones
Cernere per simulacra, oculos quæcunque lacessunt;
Scire licet mentem simili ratione moveri
Per simulacra Leonum cætera, quæ videt æque,
760 Nec minus, atque oculi, nisi quod mage tenuia cernit.
Nec ratione alia, cum somnus membra profudit,
Mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt
Hæc eadem nostros animos, quæ, quom vigilamus;
Usque adeo, certe ut videamur cernere eum, quem
765 Reddita vitaï jam mors, et terra potita 'st.
Hoc ideo fieri cogit Natura, quod omnes
Corporis offecti sensus per membra quiescunt,
Nec possunt falsum veris convincere rebus:
Præterea, Meminisse jacet, languetque sopore,
770 Nec dissentit, eum mortis, lethique potitum
Jampridem, quem Mens vivum se cernere credit.
Quod superest, non est mirum Simulacra moveri,

nostrum animum facile movet, nam mens nostra tenuis est, et mire mobilis. Hæc vero fieri eo modo quo docui, facile hinc possis cognoscere, quoniam illud quod mente cernimus simile est illi quod oculis videmus, ideo necesse est ut eodem modo et ab iisdem rebus moveatur mens, quibus oculus movetur. Cum vero supra ostendi me leones, v. gr. videre per simulachra quæ oculos movent et lacessunt, certus esse possim mentem pariter moveri per alia leonum simulachra, quæ non minus percipit quam oculi sua simulachra cernunt; tantum percipit simulachra tenuiora quam oculi. Nec aliam ob causam cum somnus corpus nostrum occupavit, mens nostra vigilat, nisi quod illa eadem simulachra, quæ cum vigilamus, nostros sensus movere solent, tum animos afficiunt: usque adeo vero afficiunt, ut videamur eum cernere, qui jam diu morte sopitus, et terra sepultus jacuit. Hoc autem aliter fieri non potest, quoniam omnes corporis sensus somno veluti obstructi et oppleti quiescunt, nec falsum vero opposito refutare possunt: præterea, memoria jacet sopita, neque dissentit, docetque illum jampridem mortuum fuisse quem mens putat se vivum videre. Insuper, non est mirandum simulachra moveri,

NOTÆ.

753. *Hæc fieri* (*ut memoro*)] Id totum de quo jam quæritur per simulachra effici demonstrat, v. 8. Res enim illa v. gr. leo, quem cogitamus, prorsus similis est leoni isti quem oculis usurpamus: at dum visus per simulachra fiat, per simulachra itidem, quæ par visui est, imaginatio.

761. *Nec ratione alia*] Raro vigilantes, at sopitos mortuorum imagines lacessunt; nempe quoniam, v. 11. imagines quaquaversum oberrantes sic in dormientem incurrunt, ut in animum ejus penetrantes ipsum pervellant, et earum rerum quarum imagines sunt imaginationem creent. Istos vero jam diu mortuos coram adesse falso credimus, quoniam sensus, quibus solis verum a falso distinguimus, sopiti officium suum facere non possunt; torpet etiam memoria, et illum qui videtur adesse coram mortuum fuisse non amplius meminimus.

765. *Reddita vitaï, &c.*] Id est; cui mors cum vita commutata est; *Lambinus. Reddita vita;* Salmasius a *reddire:* apud Plautum *reddibo* legitur. Faber denique, *reddita vitaï jam* Pausa;

Pausa vitæ, mors: ita sæpe Lucretius.

770. *Dissentit*] Quid si *discernit?*

Ibid. *Lethique potitum*] Ita sæpe Plautus; *potitus hostium*, id est, in potestatem hostium redactus.

772. *Quod superest, &c.*] Sed hæc simu-

Brachiaque in numerum jactare, et cætera membra:
Nam fit, ut in somnis facere hoc videatur Imago.
775 Quippe, ubi prima perit, alioque est altera nata
Endo statu, prior hæc gestum mutasse videtur;
Scilicet id fieri celeri ratione putandum 'st.
Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum 'st, plane si res exponere avemus.
780 Quæritur in primis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo Mens cogitet ejus id ipsum:
Anne voluntatem nostram Simulacra tuentur?
Et simulac volumus, nobis occurrit Imago?
Si Mare, si Terram cordi 'st, si denique Cœlum,
785 Conventus hominum, Pompam, Convivia, Pugnas,
Omnia sub verbone creat Natura, paratque?
Quom præsertim aliis eadem in regione, locoque
Longe dissimileis Animus res cogitet omnis?
Quid porro, in numerum procedere quom Simulacra

brachia, et reliqua membra in numerum jactare; nam simulachra in somnis hæc facere videntur. Quippe cum primum simulachrum evanescit, et aliud alio in statu ortum est, prius illud simulachrum videtur suum gestum mutavisse: momento autem temporis id fieri (alia simulachra evanescere, et alia oriri) putandum est. De hisce rebus multæ sunt quæstiones, longaque disputatione opus est, si penitus excutere cupiamus et explicare. Primum quæritur, quam ob causam quam primum placuit alicui rem aliquam cogitare extemplo mens illius eam ipsam cogitet: an simulachra voluntatem nostram observant? et accurrit nobis imago simul ac volumus? Si placuit cogitare terram, vel cœlum, conventus hominum, pompam, convivia, pugnas, an natura harum omnium rerum simulachra ad nutum nostrum creat et parata habet? Præsertim cum aliorum animi qui in eadem regione et loco nobiscum sunt res longe dissimiles cogitarent? Quid porro, cum in somnis videmus simulachra procedere in numerum,

NOTÆ.

lachra quæ per somnum apparent huc et illuc discurrunt, vagantur, saltant: quoniam, v. 6. dum aliquamdiu in eadem cogitatione perseveramus, non eadem consistente imagine nos utimur, sed pluribus continuo fluxu sibi succedentibus, quæ si eodem situ maneant res immota videbitur, si variato, tum res necessario videbitur mota.

777. *Scilicet id fieri, &c.*] Huic versui codd. subjungunt,

Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta,
Tantaque sensibili quovis est tempore in uno,
Copia particularum, ut possit suppeditare.

Rejiciunt interpretes, nec repugno, quamvis sententia probabilis, et huic loco consentanea elici ex iis possit.

778. *Multaque in his rebus quæruntur*] Seu *quærendum*. Usque ad v. 820. difficultates quasdam proponit, et explicat: primam v. 9. complectitur; cum per simulachra mens percipiat, unde de re, quacunque libet, cogitamus? voluntatem enim nostram observare et ad nutum accurrere imagines, id quidem ridiculum videtur. Deinde v. 6. cum simulachra apte, numerose, et decore saltare videantur, an ea credemus hos motus didicisse? Ista profecto esset digna philosopho cogitatio. Respondet Lucretius, v. 21. præsto adesse omne genus simulachra, sed cum tenuissima sint, animum percipere non posse, nisi se contendat, nam negligentem animum æque ac negligentem oculum fugiunt tenuia. Deinde in singulis iis, quæ nos putamus, temporis momentis, multa sunt momenta, ita ut plurima simulachra, quæ sunt maxime mobilia, quolibet momento temporis accurrant, et inter illa imago istius rei de qua cogitare placuit. Hæc quidem mihi videtur hujus loci sententia.

779. *Exponere*] Seu *expandere* legas perinde est.

790 Cernimus in somnis, et mollia membra movere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt,
Et repetunt oculis gestum pede convenienti;
Scilicet arte madent Simulacra, et docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?
795 An magis illud erit verum, quia tempore in uno
Cum sentimus id, ut cum vox emittitur una,
Tempora multa latent, ratio quæ comperit esse:
Propterea fit, uti quovis in tempore quæque
Præsto sint Simulacra locis in queisque parata?
800 Tanta est mobilitas, et eorum copia tanta.
Et quia tenuia sunt, nisi se contendit, acute
Cernere non potis est Animus; proinde omnia, quæ sunt
Præterea, pereunt, nisi sic sese ipse paravit.
Ipse parat sese porro, speratque futurum,
805 Ut videat, quod consequitur rem quamque; fit ergo.
Nonne vides, Oculos etiam, quom, tenuia quæ sint,
Cernere cœperunt, contendere se, atque parare,
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
810 Si non advertas Animum, proinde esse, quasi omni
Tempore semotæ fuerint, longeque remotæ.
Cur igitur mirum est, Animus si cætera perdit,
Præter quam quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde adopinamur de signis maxima parvis;
815 Ac nos in fraudem induimus, frustramur et ipsi.

et mollia membra movere, cum molles lacertos alternatim huc et illuc mittunt, et pedum motus pares motui brachiorum fingunt; scilicet arte aliqua imbuta sunt, et docta volitant simulachra, ut noctu ludos exercere possint? An illud magis erit verum, quia in uno tempore cum sentimus hos ludos simulachrorum, ut cum vox una emittitur, multa tempora latent, quæ ratio discernit esse in isto uno tempore; et inde fit ut quovis in tempore quælibet simulachra in quibuslibet locis præsto et parata adsint? tanta est illorum mobilitas, et tanta ubique copia. Et quoniam hæc simulachra tenuia sunt, animus non potest videre illa, nisi (attendat) se contendat, ideoque omnia simulachra, ad quæ percipienda ipse seipsum contendendo non parat, inobservata pereunt. Animus autem seipsum parat, et sperat futurum ut videat, quod rem quamque consequitur; ideoque cernit. Nonne etiam observas oculos, cum res tenues et subtiles cernere conantur, sese contendendo ad eas cernendas parare, nec fieri posse ut sine ista contentione acute cernamus? Observare etiam potes, quod nisi Animum advertas, res quæ menti manifeste obversantur proinde esse ac si a mente tua semper fuerint longe remotæ. Cur igitur mirari debemus ista inobservata ab animo perire, ad quæ observanda ipse animus non se contendit? Deinde a parvis signis maxima adopinamur, et eo modo nosmetipsos in errores præcipitamus.

NOTÆ.

792. *Repetunt oculis*] Abeat vox *oculis*, et succedat *ollis*, brachiis viz. meliori jure.

793. *Arte madent*] Ita codd. et recte: alii tamen, *valent*.

796. *Cum sentimus id, &c.*] Alii, *Consentimus*, id est, *cum vox emittitur una*. Ejiciunt interpretes meliores, nec ego revoco.

813. *In rebus deditus*] Sic lib. 3. v. 647. *Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est.*

815. *Frustramur et*] Codex Vossii, *frustraminis*.

Ibid. *In fraudem induimus nos*] Cicero;

Fit quoque, ut interdum non suppeditetur Imago
Ejusdem generis, sed Fœmina quæ fuit ante,
In manibus Vir tum factus videatur adesse;
Aut alia ex alia facies, ætasque sequatur:
820 Quod ne miremur, Sopor, atque Oblivia curant.
Illud in his rebus vitium vehementer, et istum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias Oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus; et, ut proferre viaï
825 Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum, ac Feminum pedibus fundata plicari;
Brachia tum porro validis ex apta lacertis
Esse, Manusque datas utraque a parte ministras,
Ut facere ad vitam possimus, quæ foret usus.

Accidit etiam ut nonnunquam simulachrum diversi generis adveniat, ita ut quæ modo fuit fœmina, repente vir fieri videatur, aut res alia diversæ plane faciei et diversæ ætatis (senex juvenem) sequatur: hæc vero mirari non debemus, quia somno sopiti tum sumus, et maximam partem obliviscimur. At summa contentione animi memento vitare istum errorem qui apud multos obtinuit, neque credas splendidos oculorum orbes ideo factos esse ut videamus, aut longas tibias erectas fuisse, et femora iis innixa pedibus fundari, ut possimus ambulare, deinde brachia e validis lacertis formata, et manus agiles et ministras ab utraque parte esse datas, ut ea faciamus quæ ad vitam sunt utilia.

NOTÆ.

Antiochus in id ipsum quod timebat se induebat. Plautus;

Cur vos induitis in eas captiones, quas nunquam explicetis?

816. *Fit quoque, ut interdum, &c.*] Tertia (si sit alia a præcedentibus) difficultas, v. 5. continetur: eadem viz. imago modo mas, modo fœmina, modo puer, et subito senex per somnum apparet: sed ista eo modo quo reliquæ explicari potest; saltem in explicandis somniis quorum maximam partem obliti sumus frustra moramur.

821. *Illud in his rebus vitium, &c.*] Gifanius,

Illud in his rebus vitium vehementer inesto,
Effugere illorumque errorem præmeditemur.

Alii,

Illud in his rebus vitium vehementer vise
Effugere, errorem vitareque præmetuenter.

Faber;

Illud in his rebus vitium vitare memento,
Effugere illorumque errorem præmetuenter.

Id est, caute, sedulo, considerate. Nescio quis;

Illud in his rebus vitium vehementer nôsse
Et fugere errorem vitareque præmetuenter.

Subauditur χρὴ, oportet. Nardius denique;

Effugere errorem illorum, qui hæc præmeditentur.

Sed de his litigent grammatici. Præcedenti disputationi subjicit, v. 35. aliam Epicuri opinionem, quam, nisi providentiam admitteret, explicare et defendere fuit necesse. Hæc autem est; nihil in procreandis animalibus providentiæ ratio molita est, nam neque oculi facti sunt ad videndum, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque pedes ad ambulandum, quoniam prius hæc nata sunt quam esset loqui, videre, audire, ambulare: uno verbo, docuit Epicurus, non membra facta ex destinatione ad usum, sed membris casu genitis oblatum usum arreptum fuisse; nam ut quidpiam ob usum fiat aliquem, præcognosci debet usus, aut præexistere aliquid ex quo is usus necessarius commodusve significetur. Nempe nisi usus quidam præfuisset pugnandi, indormiendi, sitim restinguendi, futurum non fuit ut arma, cubilia, pocula excogitentur. Oculus vero videndi causa non potuit fieri, cum nihil esset visum, et ignoraretur quidnam visio foret; neque auris auditus causa, cum et nihil foret auditum, et nesciretur quid esset auditio: atque ita de aliis.

829. *Quæ foret*] Rectius quam *quæ ferat.*

830 Cætera de genere hoc inter quæcunque pretantur,
Omnia perversa præpostera sunt ratione;
Nil adeo quoniam natum 'st in Corpore, ut uti
Possemus, sed quod natum 'st, id procreat usum:
Nec fuit ante Videre Oculorum lumina nata;
835 Nec dictis Orare prius, quam Lingua creata 'st:
Sed potius longe Linguæ præcessit origo
Sermonem, multoque creatæ sunt prius Aures,
Quam Sonus est auditus; et omnia denique membra
Ante fuere, (ut opinor) eorum quam foret usus:
840 Haud igitur potuere utendi crescere causa.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fœdareque membra cruore,
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent:
Et volnus vitare prius natura coegit,
845 Quam daret objectum parmaï læva per artem.
Scilicet et fessum corpus mandare quieti,
Multo antiquius est, quam lecti mollia strata;
Et sedare sitim prius est, quam pocula, natum.
Hæc igitur possent utendi cognita causa
850 Credier, ex usu quæ sunt vitaque reperta:
Illa quidem seorsum sunt omnia, quæ prius ipsa
Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis;
Quo genere in primis Sensus, et Membra videmus.
Quare etiam atque etiam procul est ut credere possis,
855 Utilitatis ob officium potuisse creari.
Illud item non est mirandum, Corporis ipsa

Et quodcunque dicunt de aliis quibuscunque partibus corporis (nempe illas propter usum fieri) futile et ineptum est, et veræ philosophiæ adversatur: quoniam nulla pars corporis ideo facta est, ut illa possemus uti, sed postquam facta fuit suum usum invenit. Nam videre non fuit ante factos lucidos oculorum orbes, nec loqui antequam lingua facta est; sed potius lingua diu extitit ante sermonem; aures etiam creatæ sunt multo prius quam sonus auditus est: breviter, omnia membra, ut puto, fuerunt antequam fuit eorum usus: ideoque non fuerunt facta propter usum. At e contra, pugnare, artus lacerare, et cruore membra fœdare, fuit multo ante quam tela fulgentia facta erant, et mittebantur: et natura effecit ut ictum imminentem vitare conaremur, antequam manus sinistra docta fuit clypeum ictui objicere. Longe etiam vetustius est dare somno fatigatum corpus quam mollia lecti strata substernere: prius sedare sitim, quam pocula extiterunt. Hæc igitur credi possunt facta propter usum, quæ apta fore ad hunc vel illum usum judicavit hominum solertia: omnia vero quæ ante suum usum facta fuerunt, se ad aliquem usum applicari posse post exortum suum docuerunt; inter quæ sensus et membra præcipue numeranda sunt. Igitur omnino non credendum est illa propter usum fuisse facta. Item non est mirandum quod ipsa

NOTÆ.

834. *Videre*] Usus videndi, ut recte Lactantius, lib. 3. de Opif. Dei, cap. 6.

845. *Quam daret objectum, &c.*] Nihil fortasse est quamobrem hic aliud quam quod prima fronte apparet quæratur, sed nec abs re tamen fuerit dicere, Clypeatos olim, et præcipue Peltastas discursare per hostilia castra solitos, eo tantum fine ut obvios protruderent, quo cæteræ copiæ disturbatos jam et perculsos aggrederentur. *Faber.*

850. *Vitaque*] Ita hoc loco usurpat *vitam*, ut Græci τὸν βίον, non ζωὴν; pro experientia, viz. et πράξιν τῶν ἐν τῷ βίῳ. *Faber.*

856. *Illud item non est, &c.*] Circa famem et sitim siquis difficultatem moveat,

Quod natura Cibum quærit quoiusque animantis;
Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui, sed plurima debent
860 Ex animalibus iis, quæ sunt exercita motu;
Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur,
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant:
His igitur rebus rarescit Corpus; et omnis
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.
865 Propterea capitur Cibus, ut suffulciat artus,
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.
Humor item discedit in omnia quæ loca cunque
Poscunt Humorem, glomerataque multa vaporis
870 Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissupat adveniens liquor; ac restinguit, ut ignem:
Urere ne possit calor amplius aridus artus.
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur, sic expletur jejuna cupido.
875 Nunc quî fiat, uti Passus proferre queamus,

natura corporis cujusque animantis quærit cibum, nam supra ostendi, multa corpora modis multis fluere et recedere a rebus, plurima vero corpora debent fluere ex iis animalibus quæ sunt motu exercita; multa quidem ex interioribus partibus expressa per sudorem effluunt, multa exhalantur per os cum fessa et fatigata anhelant: hinc fit quod corpus rarescit (minus cohærent partes), tota natura animalis debilior fit, istamque debilitatem dolor sequitur. Sumitur igitur cibus ut membra labantia fulciret, ut vires resarciret, et oppleret famem per venas omnes et membra hiantem. Potus item discedit in omnia ista loca quæ potum poscunt, liquorque adveniens dissipat calidarum particularum congeriem, quæ stomachum nostrum torrent et accendunt, easque particulas, ut ignem, extinguit, ne aridus calor nostros artus amplius torrere valeat. Hoc modo anhela sitis de corpore nostro abluitur (sedatur sitis), hoc etiam modo fames expletur. Nunc vero docebo qui fiat ut ambulare et progredi possimus,

NOTÆ.

illam, v. 19. facile expediet Lucretius: e rebus omnibus multa corpora emittuntur, ex animalibus plurima, multa per poros corporis, multa per os effluunt; subductis autem hisce partibus, cæteræ minus cohæreant, ideoque totum corpus languidius fiat necesse est: ut hæc intervalla repleantur, cibus sumitur, pariterque potus; inde iterum corpus fit integrum, et vires reficiuntur; potus insuper reprimit calorem istum qui stomachum et viscera nimium torreret.

859. *Sed plurima*] Faber, *pluria*. Nihil mutuo.

866. *Atque patentem, &c.*] Hæc et quæ sequuntur venustissima: ubi enim fames patulis suis faucibus hians, convenientius quam in exsiccatis pene venis hospitetur? et quid accommodatius dici possit quam anhelam sitim de corpore nostro infuso humore ablui?

875. *Nunc qui fiat, uti, &c.*] De motu voluntario animalium, v. 30. breviter inquirit, et hoc modo explicat: simulachra quædam quibus voluntas movendi in animo excitari potest, pulsant animum; inde vult animus, et ut perficiat quod voluit, animam sibi conjunctam et per totum corpus diffusam (vid. lib. 2. v. 260.) excitat; et inde protruditur tota moles: quoniam vero tanto oneri movendo anima tenuis illa et subtilis substantia impar videretur, aër externus venit in subsidium, qui corporis rarescentis (nam corpora motu exercita rarescunt) poros et meatus subeuns, onus pariter propellit, atque ita corpus ab anima intus laborante, et aëre externo subeunte, ut navis, velis et remis, promovetur. Tenuia quidem hæc sunt instrumenta, sed et ventus tenuis qui magnam navim protrudit; manus debilis, at navim regit et gubernaculum contorquet; et machinæ quædam vi non magna agitatæ, immensa pondera sustollunt.

Cum volumus, varieque datum sit membra movere;
Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri
Corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
Dico Animo nostro primum simulacra meandi
880 Accidere, atque Animum pulsare, ut diximus ante:
Inde Voluntas fit; neque enim facere incipit ullam
Rem quisquam, quam Mens providit, quid velit, ante.
At, quod providet, illius rei constat Imago.
Ergo Animus cum sese ita commovet, ut velit ire,
885 Inque gredi, ferit extemplo, quæ in Corpore toto
Per membra, atque artus, Animaï dissita vis est:
Et facile 'st factu, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporro Corpus ferit, atque ita tota
Paullatim moles protruditur, atque movetur.
890 Præterea, tum rarescit quoque Corpus, et Aër,
Scilicet ut debet qui semper mobilis exstat,
Per patefacta venit, penetratque foramina largus;
Et dispergitur ad parteis ita quasque minutas
Corporis: hinc igitur rebus fit utrinque duabus,
895 Corpus uti, ut Navis velis, ventoque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
Tantula quod tantum Corpus Corpuscula possint
Contorquere, et onus totum convertere nostrum.
Quippe etenim Ventus subtili corpore tenuis
900 Trudit agens magnam magno molimine Navim;
Et manus una regit quantovis impete euntem:

et huc et illuc membra nostra pro libitu movere; dicam insuper quæ res ponderosam nostri corporis molem solet protrudere: tu vero dictis meis te attentum præbe. Dico igitur primo imagines progrediendi ad animum nostrum advenire, eumque pulsare ut supra docui; inde voluntas fit, nemo enim incipit facere ullam rem antequam animus providit quid velit; at necesse est ut sit imago illius rei quam providet. Igitur cum animus ita se movet, ut velit progredi, statim pulsat animam quæ per totum corpus diffusa est; facile autem potest istam animam pulsare quia isti unita jungitur: ista vero anima deinceps corpus pulsat, atque ita paulatim tota moles corporis protruditur et movetur. Præterea, corpus tum rarescit, et aër; hoc enim debet facere cum semper mobilis existat, copiosus apertos meatus ingreditur, et ad singulas minutas partes corporis dispergitur; atque ita fit ut duabus hisce rebus (anima et aëre) corpus, ut navis remis atque velis, feratur. Nec vero mirandum est tam tenuia corpora tantam molem movere, et nostri corporis pondus protrudere valere. Nam ventus qui est tenue et subtile corpus magno impetu ingentem navim protrudit: una etiam manus regit istam navim magno licet impetu protrusam;

NOTÆ.

876. *Varieque*] Melius quam *vareque*, quod quidam codd. exhibent.

883. *At, quod providet, &c.*] At id quod mens prævidet, illius rei, quam quis facere instituit, est imago; *Lambinus*. Aliam sententiam, et quam veriorem existimo, sequutus sum.

890. *Tum rarescit*] Animalium, quæ sunt motu exercita rarescit corpus: vid. v. 860.

894. *Hinc igitur*] *His igitur*, Faber: et versu sequenti pro *velis ventoque*, optime conjecit Gassendus legendum, *remis ventoque*, alioqui *velis* et *vento* una eademque res significaretur. Gifanius vero;

Corporis ut hæc navis velis ventoque feratur:

inepte.

Atque Gubernaclum contorquet quolibet unum.
Multaque per trochleas, et tympana pondere magno
Commovet, atque levi sustollit Machina nisu.
905 Nunc quibus ille modis Somnus per membra quietem
Inriget; atque Animi curas e pectore solvat;
Suavidicis potius, quam multis versibus, edam,
Parvus ut est Cycni melior canor, ille Gruum quam
Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.
910 Tu mihi da tenueis aureis, animumque sagacem,
Ne fieri negites, quæ dicam posse; retroque
Vera repulsanti discedas pectore dicta:
Tutemet in culpa quom sis, ne cernere possis.
Principio Somnus fit, ubi est distracta per artus
915 Vis Animæ, partimque foras ejecta recessit;

et unum gubernaculum quocunque libet gubernatori dirigit: denique machina minima vi acta per trochleas et tympana movet, et in altum tollit res magni ponderis. Nunc quibus modis gratissimus ille somnus quietem in membra inducit, metus, curas, omnemque solicitudinem a pectore removet; docebo suavi potius quam longo carmine, ut parvus brevisque oloris cantus gratior est, quam iste gruum magnus strepitus, qui longe lateque per aëra diffunditur. Tu, O Memmi, *acutas (attentas) aures mihi præbe, et animum sagacem, ne neges ea fieri posse, quæ ego affirmo facta, tuoque animo vera mea dicta rejiciente dogmata nostræ philosophiæ tanquam falsa averseris, cum tua tantum culpa fit quod ista non intelligas, et habeas perspecta. Primo, fit somnus, cum anima per artus distracta est, et partim e corpore ejecta effluxit,*

NOTÆ.

902. *Quolibet unum*] Rectius forsan quam *una* viz. manus, vel *unus* navis rector.

903. *Trochleas*] Vulgo, *Poulie. Tympanum* autem est rota e solidis tabulis facta.

905. *Nunc quibus ille modis, &c.*] Animal omnibus sensuum operationibus perfunctum in cubili collocat Lucretius; non tamen deserit, sed dum dormit, contemplatur, de *somno* usque ad v. 958. et de *insomniis* quibus agitatur usque ad v. 1030. disputans. Somnus autem fit, cum ita labefactatur anima, ut artus suffulcire non valeat, (anima enim est corporis fundamentum) inde membrorum languor, et sensuum remissio: quod autem perturbatur anima, illud quidem manifestum est, nam corpus ab aëre externo et ab aëre inspirato perpetuo labefactatur; aër enim iste non tantum corporis superficiem radit, sed poros et meatus pervadens ad partes intimas admittitur, easque verberat. Inde prima corpora disjunguntur, eamque disjunctionem ipsius animæ dissolutio sequatur necesse est, ita ut pars ejiciatur, pars (ut Plinii verbis utar) in mediam sese recedat; reliqua vero pars distracta nimis per membra dispergatur. Hinc denique intelligi potest cur cibum aut lassitudinem gravissimus somnus sequatur: nam cibus obturat nimis atque infarcit istos meatus per quos anima debet libere ferri, inde major dispersio aut constipatio animæ; lassitudine vero debilior fit corpus atque inde eadem sequuntur. Ἐπνός τι γίνεται κοινωνία τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν τῶν κατ' ὅλην τὴν σύγκρισιν καρισταμένων, ἢ ἰγκατιχομένων, ἢ διαφερομένων, ἔτι καὶ συμπιπτόντων τινῶν τοῖς ἐνταμένοις, τὰ μὲν ἐξωθούντων, τὰ δὲ συνταρασσόντων. Epicurus ad Herodotum.

Ibid. *Ille—Somnus*] Non temere ponitur *ille*: ἐξοχὴν enim significat, ut alibi; a quo viz. tot et tanta in humanum genus promanant bona.

906. *Inriget*] Virgilius,

Placidam per membra quietem
Inrigat.

Nunquam vox venustior: Latini enim proprie *rigua* appellant id genus rigationis quæ rivo fit et sulco; hinc *rigua Nili* Plinio sunt rivi, et διώρυγες e Nilo ductæ; et *rigua aquæ dulcis* apud eundem, derivationes ex aqua dulci. Qui autem intelligit quomodo quies artus omnes et venas permanat, hæc etiam intelliget.

910. *Tenueis Aureis*] Alii, *teneras* interpretantur, ego vero *acutas*: Lucretius, lib. 1. 45. vacuas aures.

912. *Discedas*] Melius quam *discedant*.

Et partim contrusa magis concessit in altum:
Dissolvuntur enim tum demum Membra, fluuntque.
Nam dubium non est, Animaï quin opera sit
Sensus hic in nobis, quem cum sopor impedit esse,
920 Tum nobis Animam perturbatam esse putandum 'st,
Ejectamque foras, non omnem; namque jaceret
Æterno Corpus perfusum frigore lethi:
Quippe ubi nulla latens Animaï pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus Ignis,
925 Unde reconflari Sensus per membra repente
Possit, ut ex igni cæco consurgere Flamma.
Sed quibus hæc rebus novitas confletur, et unde
Perturbari Anima, et Corpus languescere possit,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
930 Principio, externa Corpus de parte necessum 'st,
Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Tundier, atque ejus crebro pulsarier ictu:
Proptereaque fere res omnes, aut Corio sunt,
Aut Seta, aut Conchis, aut Callo, aut Cortice tectæ.
935 Interiorem etiam partem spirantibus Aër
Verberat hic idem cum ducitur, atque reflatur.
Quare utrinque secus quom Corpus vapulet, et quom
Perveniant plagæ per parva foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
940 Fit quasi paullatim nobis per membra ruina.
Conturbantur enim posituræ principiorum
Corporis, atque Animi, sic, ut pars inde Animaï

partim in interiores corporis recessus contrusa se recepit; nam tum demum membra dissolvuntur, et languent. Nam non dubitandum est, quin animæ opera in nobis sit hic sensus, quem sensum esse cum somnus impediat, tum putandum est nostram animam perturbatam, et foras ejectam esse, non vero totam animam, tum enim corpus jaceret æterno mortis frigore perfusum (mortuum foret animal): quoniam nulla latens pars animæ remaneret in membris, ut ignis latet plurimæ cineri suppositus, e qua subito per membra sensus reaccendi possit, ut flamma ex igni isto cineri supposito consurgere. At quibus rebus hæc mutatio fiat, unde ista animæ perturbatio, et iste languor corporis oriatur, ego explicabo; tu interim effice ne verba mea inaniter profundam. Primum, necesse est ut exterior pars corporis, quoniam ab aëre circumambiente tangitur, tundatur, et crebro aëris istius ictu pulsetur: et hanc ob causam omnes fere res tectæ sunt corio, aut setis, aut concha, aut callo, aut cortice. Idem etiam aër, cum ducitur et reflatur ab animalibus spirantibus, tundit et pulsat interiorem partem corporis: quapropter cum corpus ex utraque parte (interiori atque exteriori) pulsatur, et cum per poros usque ad primas partes, et prima corporis nostri elementa penetrent ictus, atque illa percutiant, paulatim per omnia nostra membra fit ruina. Nam seminum corporis atque animi dispositio et ordo ita perturbatur, ut inde foras

NOTÆ.

925. *Reconflari*] Ita supra, *accensi sensus*, et *accendunt sensus*.

926. *Cæco*] Ita codd. et recte: vulg. *tecto*.

932. *Tundier*] Recte, ut v. 955. *contusa*. Alii, *trudier*.

933. *Proptereaque*] Id est, ut res sint ab injuria aëris externi tutiores, et munitiores.

934. *Aut Seta*] Gifanius, *aut etiam*: alii, *aut cute conclusæ*.

Ejiciatur, et introrsum pars abdita cedat;
Pars etiam distracta per artus, non queat esse
945 Conjuncta inter se, nec motu mutua fungi;
Inter enim sepit aditus Natura, viasque:
Ergo Sensus abit mutatis motibus alte.
Et quoniam non est quasi quod suffulciat artus,
Debile fit Corpus, languescunt omnia membra;
950 Brachia, Palpebræque cadunt, Poplitesque procumbunt.
Deinde cibum sequitur Somnus, quia quæ facit Aër,
Hæc eadem Cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit; et multo Sopor ille gravissimus exstat,
Quem satur, aut lassus capias, quia plurima tum se
955 Corpora conturbant magno contusa labore:
Fit ratione eadem conjectus porro Animaï
Altior, atque foras ejectus largior ejus,
Et divisior inter se, ac distractior intus.
Et quoi quisque fere studio devinctus adhæret,

ejiciatur pars animæ, alia vero pars introrsum recedat; pars autem per membra nostra ita distracta, ut nullus maneat inter particulas connexus, nec in motus mutuos consentire possint; natura enim vias per quas ferri debent particulæ opplet et obturat: nullus igitur manet sensus, quoniam nulli sunt motus, qui sunt ad sensum necessarii. Et quoniam non est aliquid quod membra quasi sustineret, corpus fit debile, omnia membra languent, brachia, et palpebræ cadunt, nec poplites corporis pondus amplius suffulciunt. Deinde somnus sequitur cibum, quoniam illa quæ aër facit, cibus, cum in venas omnes distribuitur, efficit; et ille somnus est multo gravissimus, quem capis cum satur es vel lassus, quoniam tum plurima corpora magno isto labore, quem lassus peregit, agitata, seinvicem perturbant; et inde fit ut anima in partes interiores longius recedat, ut major illius pars foras ejiciatur, et ut particulæ animæ quæ intus manent, sint a seinvicem divisæ magis et distractæ. Plerumque etiam accidit, ut cui studio quisque deditus sit,

NOTÆ.

945. *Motu mutua fungi*] Sic lib. 2. v. 75.

Inter se mortales mutua *vivunt.*

946. *Aditus*] Gifanius, *coitus*: sed illius codicibus Lambini conjecturam libenter præfero.

947. *Alte*] Penitus. Qui aliter sentit, idem cum Fayo *alte*, intus seu intrinsecus, inepte interpretetur.

950. *Procumbunt*] Gifanius, *procubant*, ut luxatus versus luxatis poplitibus conveniat; putide. *Cubant pro*, Turnebus. Alii autem legunt,

——*Poplitesque cubanti*,

et subjungunt,

Sæpe etiam summittuntur, viresque resolvunt.

Alii,

Sæpe tama *summittuntur, viresque resolvunt.*

Dicitur autem *tama*, cum labore viæ sanguis in crura descendit, et tumorem facit; *Festus*. Lambinum vero sequor, qui legit *procumbunt*, et versum *sæpe &c.* rejicit.

954. *Quia plurima, &c.*] De somno saturi jam actum est, at quatuor versus, qui deinceps sequuntur, docent, cur gravissimus sit ille somnus quem lassus capiat; atque inde facile intelligi potest quid velint voces *magnus labor*, v. 955. ab interpretibus nondum satis explicatæ.

959. *Et quoi quisque, &c.*] Jam de insomniis. Censet autem Epicurus, ut supra declaratum est, animos dormientium externis et adventitiis simulachris pulsari; inde insomnia: quod vero ea somniemus maxime quibus per vigiliam studiose incubuerimus, cum omne genus simulachra præsto adsint, id fit, quia isti meatus, per quos toties intrarunt simulachra, patent; et facilius admittunt imagines quæ ad ista studia, quam quæ ad res alias pertinent. Et non tantum hominum sed aliorum animalium insomnia hoc modo explicari possunt. Alia autem insomnia magis terrent quam alia, nec id quidem mirum; ea enim terreant necesse est et acrius lacessant, quorum simulachra e seminibus aspe-

960 Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis Mens,
In Somnis eadem plerumque videmur obire:
Causidici causas agere, et componere leges;
Induperatores pugnare, ac prœlia obire;
965 Nautæ contractum cum ventis cernere bellum;
Nos agere hoc autem, et Naturam quærere rerum
Semper, et inventam patriis exponere chartis.
Cætera sic studia, atque artes plerumque videntur
In Somnis animos Hominum frustrata tenere.
970 Et, quicunque dies multos ex ordine ludis
Adsiduas dederunt operas, plerumque videmus,
Quom jam destiterint ea Sensibus usurpare,
Reliqüas tamen esse vias in Mente patenteis,
Qua possint eadem rerum Simulacra venire:
975 Permultos itaque illa dies eadem obversantur
Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere saltanteis, et mollia membra moventeis;
Et citharæ liquidum carmen, chordasque loquenteis
Auribus accipere, et concessum cernere eundem;
980 Scenaïque simul varios splendere decores.
Usque adeo magni refert studium, atque voluntas,
Et quibus in rebus consuerint esse operati
Non Homines solum, sed vero Animalia cuncta.
Quippe videbis Equos forteis, cum membra jacebunt,
985 In Somnis sudare tamen, spirareque sæpe,
Et quasi de palma summas contendere vireis,
'Tunc quasi Carceribus patefactis sæpe quiete.

aut in quibus rebus multum ante (dum vigilavimus) versati sumus, et in qua meditatione animus fuit magis attentus, frequenter videamur obire eadem in somno. Causidici videntur causas agere, legesque interpretari; imperatores pugnare et certamina committere; nautæ cum ventis et procellis certare; ego autem videor agere quod nunc ago, disputare, rerum naturam perpetuo quærere, et inventam Latinis carminibus explicare. Similiter cætera studia et artes quibus homines dediti sunt, illorum animos dum dormiunt, specie inani plerumque detinent. Quicunque etiam multos dies continuos in ludis spectandis occupati fuerunt, sæpe videmus, postquam desierunt illa suis sensibus percipere, retinere patulos quosdam in animo meatus, per quos eadem rerum simulachra ingredi possunt; et hanc ob rationem illa eadem ante oculos per multos dies obversantur, adeo ut illi, etiam dum vigilant, videantur sibi videre saltantes, et agiles artus moventes, audire insuper suaves cantus, et resonantes lyræ chordas, eundem concessum videre, et splendentia varia theatri ornamenta. In hisce rebus tanti momenti est studium et consuetudo, tanti etiam refert quibus in studiis versantur non tantum homines, sed cuncta animalia. Nam sæpe videbis fortes equos, cum quiescant membra, in somnis tamen sudare, anhelare, et, quasi carceribus patefactis, summis viribus de palma certare.

NOTÆ.

ris compacta sunt, et pungunt mentes in quas incidunt.

963. *Componere leges*] Sunt qui legunt, *lites*.

965. *Contractum—cernere bellum*] Gifanius, *degere bellum*: at Plautus, *certamen cernere*.

973. *Reliqüas tamen*] His verbis voculam *at* praeponit Gifanius, cui nullus placet versus nisi vitiosus.

987. *Tunc quasi Carceribus, &c.*] Hunc versum rejiciunt interpretes, retineri ta-

Venantumque Canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subito, vocesque repente
990 Mittunt, et crebras redducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum:
Expergefactique sequuntur inania sæpe
Cervorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant;
Donec discussis redeant erroribus ad se.
995 At consueta domi Catulorum blanda propago
Degere, sæpe levem ex oculis, volucremque soporem
Discutere, et corpus de terra conripere instant,
Proinde quasi ignotas facies, atque ora tuantur.
Et quam quæque magis sunt aspera semina eorum,
1000 Tam magis in Somnis eadem sævire necessum 'st.
At variæ fugiunt Volucres, pennisque repente
Sollicitant Divûm nocturno tempore lucos,
Accipitres somno in leni si prœlia, pugnasque
Edere sunt persectantes, visæque volantes.
1005 Porro Hominum mentes magnis quæ motibus edunt?
Magna etenim sæpe in Somnis faciuntque, geruntque.
Reges expugnant, capiuntur, prœlia miscent;
Tollunt clamores, quasi si jugulentur ibidem:
Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt;
1010 Et quasi pantheræ morsu sævique leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.

Canes venatorum cum somno vincti jaceant, subito crura sua movent, latratus emittunt, et crebro attrahunt aërem, quasi odorantes ferarum vestigia; imo e somno excitati sæpe persequuntur inania simulachra cervorum quasi cernerent fugientia, donec dissipatis tandem erroribus ad sese redeant (inani specie se detineri sentiunt). Verum blandi catuli qui domi mollem vitam agunt, sæpe festinant levem volucremque somnum discutere ex oculis, et de terra sua corpora attollere, quasi cernerent ignotos aliquos homines domum ingressos. Et quo magis aspera sunt simulachrorum semina, eo acrius lacessant in somnis, et terreant necesse est: sic variæ aves sibi fuga consulunt, alisque suis per Divorum lucos noctu cum strepitu feruntur, si forsan accipitres volantes, impetum facientes, aut persequentes in somnis videant. Deinde, hominum mentes quot et quanta in somnis vehementer agunt! Expugnant reges, capiuntur, miscent prœlia, clamores tollunt quasi lethale vulnus accepissent; multi dimicant, et quasi vulnerati præ dolore gemunt, et quasi a panthera aut sævo leone lacerarentur, magnis clamoribus complent omnia.

NOTÆ.

men posse judicat Lambinus, si legatur, e lib. 2. 263.

Tunc quasi Carceribus patefactis tempore puncto.

e quo loco forsan in locum alienum delatus est.

994. *Erroribus*] Ita Turnebus, et recte quidem; valeant autem codd. Gifanii cum suis *terroribus*; quid enim terreat canes vestigia feræ, leporis forsan, persequentes?

996. *Degere, &c.*] Hunc versum postulante sententia inseruit Lambinus.

999. *Semina eorum*] Viz. canum; Lambinus: sed fallitur interpres, nam tota de canibus disputatio absoluta est, et jam agitur de insomniis terrificis, quæ excitantur a simulachris fluentibus e rebus quæ ex asperis seminibus componuntur: rectius igitur legendum *seminiorum*; seu potius *semina rerum*.

1002. *Sollicitant, &c.*] Agnosce scomma Lucretio dignum; Divi viz. hospites suas aves ab imagine accipitris tueri non valent.

1004. *Visæque volantes*] Dicebant veteres, *hæc accipitris*; *Faber*.

Multi de magnis per Sòmnum rebu' loquuntur,
Indicioque sui facti persæpe fuere:
Multi mortem obeunt, multi de montibus altis
1015 Se quasi præcipitent ad terram corpore toto,
Exterrentur, et ex Somno, quasi mentibu' capti,
Vix ad se redeunt permoti corporis æstu.
Flumen item Sitiens, aut fontem propter amœnum
Adsidet, et totum prope faucibus occupat amnem.
1020 Pusi sæpe lacum propter, se, ac dolia curta,
Somno devincti credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corpori' fundant:
Cum Babylonica magnifico splendore rigantur.
Tum, quibus ætatis freta primitus insinuantur,
1025 Semen ubi ipsa dies membris matura creavit;
Conveniunt Simulacra foris e corpore quoque,
Nuntia præclari voltus, pulchrique coloris:
Qui ciet inritans loca turgida semine multo,
Ut, quasi transactis sæpe omnibu' rebu' profundant

Multi in somnis sæpe de negotiis magni momenti garriunt, et sæpe consilia sua et facinora prodiderunt. Multi sibi videntur mortem obire, de altis montibus multi se quasi ad terram toto corpore præcipites mittunt; perterrentur, ita ut e somno excitati mentibus capti videantur, et vix ad se redeant, animo ab agitato corpore tantopere concusso. Item sitiens juxta flumen aut fontem amœnum sedet, et totum prope amnem ore suo haurit. Pueri etiam somno sepulti credunt se juxta lacum aut curta dolia, vestes suas attollere, ut saccatum humorem totius corporis effundant; cum tamen purpurea strata Babylonica isto humore consperguntur. Præterea, illis quibus prima adolescentia effervescit, cum matura rebus veneriis ætas semen in membris coxit, simulachra quædam e corpore aliquo formoso fluentia, et speciem pulchri et venusti vultus præ se ferentia adveniunt, et receptacula multo semine turgida ita irritant, ut sæpe, quasi res ipsa peracta fuisset,

NOTÆ.

1020. *Pusi*] *Pusi, puri, pueri*, legi potest, eadem enim omnium significatio; *Faber.*

Ibid. *Dolia curta*] In urbe populosissima, siqua unquam fuit (Romam dico), dolia in angulis platearum erant, in quæ peregrini homines, vel cives qui de faciendo domi lotio (sic enim loqui solent Latini) antequam in publicum prodirent, non cogitârant, vesicam exonerare soliti fuerunt: unice ad hunc locum facit quod apud Macrobium legere est, lib. 2. cap. 12. Saturnal. *Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant;* dum eunt, *nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Curta* autem, semifracta, ad eos usus satis apta. Cæterum dolia illa erant lateritia, vel figlini operis, non lignea. *Faber.*

1022. *Humorem saccatum*] Honeste positum pro *lotio*; iisdem vocibus utitur Arnobius: notum quid sit *saccus* et *saccatus* cum de vino et laticibus percolandis agitur. Martialis;

Cæcuba saccentur, *quæque annus coxit opimi.*

1023. *Cum Babylonica magnifico splendore*] Babylonica strata magnifica et splendida, ut apud Virg.

Equos splendore nivali.

1024. *Tum, quibus ætatis, &c.*] Ubi quidam Lucretii immodestiam, ibi ego illius artem agnosco et suspicio: neque profecto ille unquam aliquid de hujusmodi insomniis, nisi ad connectendam sequentem de libidine et amore disputationem necessaria fuisset istorum explicatio.

Ibid. *Ætatis freta*] Ætatis æstus, et fervor, adolescentia scilicet. *Faber.*

1026. *E corpore quoque*] *Quoique*, Gifanius.

1029. *Transactis—omnibus rebus*] Quasi τὴν Ἀφροδίτην τελέσαντες, uti optimum scriptorem, et harum rerum peritum loqui scimus. *Faber.* Theocritus, Idyll. 2.

Ἐπεράχθη τὰ μέγιστα——

1030 Fluminis ingenteis fluctus, vestemque cruentent.
Sollicitatur id in nobis, quod diximus ante,
Semen; adulta ætas cum primum roborat artus:
Namque alias aliud res commovet, atque lacessit;
Ex homine humanum Semen ciet una Hominis vis.
1035 Quod simulatque suis ejectum sedibus exit,
Per membra, atque artus decedit corpore toto
In loca conveniens nervorum certa; cietque
Continuo parteis genitaleis corporis ipsas:
Inritata tument loca Semine, fitque voluntas
1040 Ejicere id, quo se contendit dira libido;
Idque petit corpus mens, unde 'st saucia amore:
'Namque omnes plerumque cadunt in volnus, et illam
'Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu,
1045 'Et si comminus est, hostem ruber occupat humor.
Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum,
Sive Puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu Mulier toto jactans e corpore amorem,
Unde feritur, eo tendit, gestitque coire,
1050 Et jacere humorem in corpus de corpore ductum:
Namque voluptatem præsagit multa cupido.

ingentes seminis fluctus profundant, et vestem contaminent. Semen autem illud, de quo modo mentionem fecimus, in nobis sollicitatur, cum primum matura ætas robustos artus effecit: aliud enim res alias agitat et irritat, sola vero imago humana humanum semen elicit ex homine; quod simul ac e propriis suis receptaculis ejicitur, per membra et artus e toto corpore defluit, et in certos quosdam nervorum meatus receptum, continuo irritat partes genitales corporis; partes vero istæ semine irritatæ tument, et inde oritur voluntas ejiciendi illud semen in illam partem in quam fertur libido: et mens tendit in illud corpus a quo vulnus amoris accepit; nam plerumque omnes cadunt in vulnus, et sanguis cum impetu erumpit in illam partem unde percurimur, et ruber liquor aspergit percussorem cominus adstantem. Similiter qui telis Veneris transfigitur, sive puer mollis et delicatus illum jaculatur, sive mulier e toto corpore amorem jactans, in id tendit a quo percutitur, et coire cupit, et semen de omni parte sui corporis deductum in istud corpus a quo ictum accepit ejicere: nam vehemens cupido præsagit voluptatem futuram esse;

NOTÆ.

1030. *Fluminis*] Alii, *seminis*.

1031. *Sollicitatur id in nobis, &c.*] Tota libido, tam quæ ad animum, tam quæ ad corpus spectat, v. 18. explicatur: formosa viz. simulachra animum commovent, ille vero semen ex omnibus membris in partes genitales deducit, quæ partes tument, et deinde res ipsa peragitur. Præter hæc nec Venerem nec Cupidinem expectes.

1034. *Una hominis vis*] Sive imago formosi corporis commovens animum, sive animus ipse semen e toto corpore deducens.

1036. *Corpore toto*] *Toto* inquit, quod non temere; hinc itaque sæpissime fit ut mutilati parte aliqua corporis mutilatos etiam gignant, quod certissimis exemplis probari possit; *Faber*. Hoc quidem verum, sed aliud agebat Lucretius, quod alii conjiciant melius quam ego exprimam.

1040. *Dira libido*] Huic quidam subjiciunt,

Incitat irritans loca turgida semine multo:

frustra.

1043. *Namque omnes plerumque, &c.*] Hunc et duos sequentes versus rejiciunt interpretes, qui tamen ad rem facere, et non indigni Lucretio videntur.

1047. *Membris muliebribus*] *Molliceilis, delicatis, quæ meram spirant Cyprin; Faber*. Quænam vero sint, *membra pueri muliebria* inquirant qui nesciunt: certe puer mollicellus et delicatus æque ac *mulier toto corpore* amorem jactaret. Sed recte Faber.

Hæc Venus est nobis, hinc autem 'st nomen Amoris:
Hinc illæ primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, et successit fervida cura;
1055 Nam si abest quod ames, præsto Simulacra tamen sunt
Illius, et nomen dulce obversatur ad aureis.
Sed fugitare decet Simulacra, et pabula amoris
Absterrere sibi, atque alio convertere mentem;
Et jacere humorem conlectum in corpora quæque,
1060 Nec retinere semel conversum unius amore:
Et servare sibi curam, certumque dolorem.
Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,

hæc nobis Venus *est, hinc* Amor, *hinc gutta illius dulcedinis veneris in cor stillavit, et cura fervida sequitur; nam si id quod amas absit, præsto tamen adsunt simulachra illius, et nomen dulce ad aures obversatur. Sed omnibus utile erit fugare simulachra, et a se longe depellere omnia quæ nutriunt amorem, et mentes suas alio convertere; collectum semen in quæque corpora jacere, nec fovere amorem unius semel conceptum, et sibi servare certam curam, et certum dolorem: fervida enim ista cura viget, et inveterascit dum alitur, indies major fit furor, et gravior ærumna.*

NOTÆ.

1052. *Hinc autem 'st nomen amoris*] Levis est mutatio, tamen necessaria: leg. *numen*.

1054. *Fervida cura*] Eam lectionem certe quilibet probabit qui ex animi sententia dixit—*Nunc scio quid sit amor.* Cura illa, de amore dico, fervida est, coquit, urit ille nitor, *μαλερὸν βίλος, πυρόεντα βίλεμνα, πυρὶ πάντα βίζαντα.* *Faber.* Probabit etiam ille, qui observat Lucretium ortum cupidinis, atque incrementum explicare; primum Veneris gutta in cor stillat, deinde vehemens cupido, quæ per simulachra jugiter advenientia, imo per fabulas, nutritur.

1057. *Sed fugitare decet*] In toto Latio, quantum quantum est, nihil, ut opinor, quidquam leges, quod æque legi oporteat atque eos versus qui hunc sequuntur. Nam multis argumentis probat poeta, certissimam homini pestem ab re venerea esse, atque adeo cane pejus et angue vitari oportere nugivendulas istas mulierculas, quæ suos amatores effrænatos ductitant: denique rem, famam, sanam mentis corporisque valetudinem ea via defluere ostendit. Sed Lucretius quo fine scripsit? an ut lenoninas operas præberet, et ex pessimo omnium mercimonio rem faceret auctioram? Hoc quidem multis temporibus alii poetæ fecerunt, quibus profuit, et nunc fortasse nonnullis prodest. Sed vitæ integritas, gravitasque morum, ac tot saluberrima præcepta hic illic per totum opus sparsa hujusmodi suspicionem longe a Lucretio amoliuntur. Hæc de consilio Poetæ Faber, nec falso: nihil de dictione, quæ tamen est purissima, nec Lucretium in ulla parte totius operis quam in hac magis diligentem invenies; ita vero simplex et significans, ut interpretationem non admittat. Quippe in iis vocibus quæ parum verecundæ sunt, Latium, saltem quod ego scio, non est copiosum; *Latina* quidem habet et *Romana* verba (vid. Martialis lib. 11. Ep. 20.): Sed ea tamen parce invenit, et parcius utitur.

1058. *Absterrere sibi*] Infra,

Nec divina satum genitalem numina cuiquam

Absterrent.

Alii tamen conjiciunt legendum,

Abstergére sibi.

1060. *Conversum unius amore*] Revocandam arbitror quorundam codicum lectionem, quæ talis est;

Nec retinere semel conceptum *unius* amorem.

Id verius quam si Tripode ex *Phœbi.* *Faber.*

1062. *Ulcus*] Vid. Mart. Ep. 60. lib. 11. Ibid. *Inveterascit*] Terentius, Prol. Hecyr. v. 12.

Novas qui exactas feci ut inveterascerent.

Donatus, *inveterascerent*, in consuetudinem venirent. Et Cicero 4. Tuscul. *Inveteratio* autem, ut in corporibus, ægrius depellitur quam perturbatio.

Si non prima novis conturbes volnera plagis,
1065 Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis Animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem;
Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit:
Nam certa, et pura est sanis magis inde voluptas,
1070 Quam miseris, etenim potiundi tempore in ipso
Fluctuat incertis erroribus ardor Amantum:
Nec constat quid primum oculis, manibusque fruantur.
Quod petiere premunt arcte, faciuntque dolorem
Corporis, et denteis inlidunt sæpe labellis,
1075 Osculaque adfigunt, quia non est pura voluptas:
Et stimuli subsunt, qui instigant lædere idipsum,
Quodcunque est, rabies unde illæ germina surgunt.
Sed leviter pœnas frangit Venus inter Amorem,
Blandaque refrænat morsus admista voluptas.
1080 Namque in eo spes est, unde 'st ardoris origo,
Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam;
Quod fieri contra coram natura repugnat:
Unaque res hæc est, quoius quam pluria habemus,
Tam magis ardescit dira cuppedine pectus.
1085 Nam Cibus, atque Humor membris adsumitur intus,
Quæ quoniam certas possunt obsidere parteis,
Hoc facile expletur laticum, frugumque cupido;
Ex Hominis vero facie, pulchroque colore,
Nil datur in corpus præter Simulacra fruendum
1090 'Tenuia, quæ vento spes raptat sæpe misella.

si non conturbent prima vulnera novis vulneribus (si veterem amorem non novo quodam amore deleant), vagique volgivaga Venere recentia vulnera quam primum sanent; aut alio impetum libidinis convertant. Neque ille caret voluptate Veneris qui amorem vitat, sed fruitur illius commodis malorum expers: nam qui mentem sani sunt nec cura agitati, sinceram magis certamque voluptatem percipiunt, quam qui perdite amant; in ipso enim tempore potiundi qui vehementer amant erroribus incertis fluctuant; nec certo sciunt quid primum manibus aut oculis fruantur. Quod cupiverunt arcte premunt, corpori dolorem inferunt, mordent labella, et adfigunt oscula, quia voluptas non est sincera, et subsunt aliqui stimuli, qui instigant lædere id ipsum, quodcunque est, a quo rabies ista excitatur. Sed Venus facit ut amatorius hic furor minus lædat, et blanda voluptas admista acres morsus cohibet. Nam sperant amantes ardorem suum restingui posse ab eodem corpore a quo accendebatur, quod tamen factu est impossibile; et hæc una res est, qua quo magis fruimur, eo magis viget dira cupido in pectore. Nam cibus et potus in stomachum descendunt, et quoniam certa loca implere possunt, ideo cibi et potus cupido facile expletur: at ex facie formosi hominis nihil profluit quod sibi assumat corpus, præter simulachra tenuia et inania.

NOTÆ.

1064. *Conturbes*] Quo modo Catullus ad Lesbiam.

Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus *illa: &c.*

1077. *Rabies—illæ*] *Illius rabiei;* ita enim veteres. v. 1053. *illæ* dulcedinis.

1082. *Coram*] MS. *totum.*

1090. *Quæ vento spes raptat sæpe misella*] Rejicit Lambinus. Gifanius, *Quæ vento captat spes sæpe misella. Vento* pro *frustra*, id est, quæ non tam sibi quam vento, ut ea ille differat, captat: ita mox, *frustraque laborat.* Hunc vero locum sex septemve dies in animo versans Faber tandem ad veram lectionem pervenit.

Tenuia, quæ venti suevit raptare procella.

Ut bibere in somnis Sitiens quom quærit, et humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit;
Sed laticum Simulacra petit, frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans.
1095 Sic in amore Venus Simulacris ludit Amanteis,
Nec satiare queunt spectando corpora coram:
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Possunt, errantes incerti corpore toto.
Denique quom membris conlatis flore fruuntur
1100 Ætatis, quom jam præsagit gaudia corpus,
Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva;
Adfigunt avide corpus, junguntque salivas
Oris, et inspirant pressantes dentibus ora,
Nequicquam: quoniam nihil inde abradere possunt,
1105 Nec penetrare, et abire in corpus corpore toto;
Nam facere interdum id velle, et certare videntur:
Usqueadeo cupide Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
Tandem ubi se rupit nervis conlecta cupido,
1110 Parva fit ardoris violenti pausa parumper;
Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit,
Quom sibi quod cupiant ipsi, contingere quærunt:
Nec reperire malum id possunt quæ machina vincat;
Usque adeo incerti tabescunt volnere cæco.
1115 Adde quod absumunt vireis, pereuntque labore;

Ut cum sitiens in somnis bibere conatur, nullus tamen liquor est qui ardentem sitim possit extinguere; simulachra tantum potus petit, et frustra laborat, et dum videtur sibi e medio flumine haurire, semper sitit. Sic in amore Venus ludit amantes simulachris, neque illi possunt cupidinem suam satiare spectando corpora amata, nec quicquam mollibus membris abradere, dum manibus suis totum corpus avidi percurrunt. Deinde cum collatis membris flore ætatis fruuntur, cum corpus gaudia jam præsagit, et Venus in eo est ut (res ipsa peragatur) arva mulieris conserat, corpus avide adfigunt, humida labella jungunt, et dentibus labella mutuo mordentes inspirant; frustra vero hæc omnia, quoniam nihil possunt a corpore abradere, nec penetrare, et toto suo corpore in amatum corpus abire; hoc enim velle, et aliquando conari videntur, tam cupide hærent compagibus Veneris, dum membra vi voluptatis labefacta liquescunt. Tandem cum collectum semen nervis fuit ejectum, tum parva fit pausa violenti ardoris, deinde statim redit idem furor, et rabies eadem, dum conantur re illa frui quam cupiant; nec aliquod istius mali remedium invenire possunt, usque adeo incerti cæco vulnere tabescunt. Adde quod vires absumunt, et labore pereunt,

NOTÆ.

At versum, lector, vel ita emendatum rejice.

1099. *Flore fruuntur*] Gifanius, *flore utuntur*. Palmerius, *flore luuntur*, id est, λούονται: Flos autem est,

Id quod sponte sua solet remitti
Cum mens est pathicæ memor puellæ.

Luuntur quam hic proprie, nemo ignorat, qui hoc sciat modo, cum perficiunt, solvi: vid. v. 1108. De qua conjectura ita Faber. Vides, præclara ingenia non amant quæ in medio posita sunt; quid enim facilius, Latiniusve quam *frui ætatula, flore ætatis frui?* Quare Palmerio alius comes quærendus est, Ego solus eo. Lambinus, *flore juvantur*.

1115. *Adde quod absumunt, &c.*] V. 28. recenset incommoda amoris, quæ res damnosa est, et misera servitus; suspicionibus obnoxia, et cujus, nisi prorsus insanias, pœniteat necesse est.

Adde quod alterius sub nutu degitur ætas:
Labitur interea Res, et Vadimonia fiunt,
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.
Unguenta, et pulchra in pedibus Sicyonia rident;
1120 Scilicet et grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis
Assidue, et Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt Anademata, Mitræ;
Interdum in pallam, ac Melitensia, Ceaque vertunt.
1125 Eximia veste et victu Convivia, Ludi,
Pocula crebra, Unguenta, Coronæ, Serta parantur;
Nequicquam: quoniam medio de fonte lepôrum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:
Aut quod conscius ipse Animus se forte remordet,
1130 Desidiose agere ætatem, lustrisque perire;
Aut quod in ambiguo Verbum jaculata reliquit,
Quod cupido adfixum cordi vivescit, ut Ignis;
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri
Quod putat, in voltuque videt vestigia risus.

adde quod ad nutum alterius vivunt; interea res familiaris decrescit, contrahitur æs alienum, amicos, clientes negligunt, bonaque fama indies diminuitur. Unguenta, et pulchri calcei Sicyonii in pedibus splendent, ingentes smaragdi viridi colore lucentes auro includuntur, thalassina vestis quotidie teritur, et exercita potat sudorem Veneris; ornamenta quæ patres sua virtute compararunt, in anademata, aut mitras mutantur, aliquando fiunt pretium pallæ, aut Melitensis aut Cei vestimenti. Convivia pretiosis dapibus et toris instructa, ludi, crebra pocula, unguenta, coronæ, serta comparantur; frustra vero hæc omnia, quoniam de medio voluptatis fonte, (de re ipsa quam amamus) aliquid amari oritur, quod in ipsa voluptate displiceat et vexet: aut quoniam conscius ipse animus propter vitam inertissime transactam seipsum castiget; aut quoniam mulier amata in ambiguo verbum jaculata fuit, quod amatoris cordi adfixum vivescit tanquam ignis; aut quoniam amator putat illam pulchros oculos nimium jactare, et lascivius spectare alium, et risus vestigia, seu reliquias, in vultu videt.

NOTÆ.

1118. *Officia*] Ovidius, Remed. Amoris, v. 627.

Nec quæ ferre solet spatiantem porticus illam,
Te ferat, officium *neve colatur idem.*

1119. *Unguenta, &c.*] Unguenta locum hic habere nequeunt, fortasse itaque legendum, *unioque, &c.* Nam et calceis additos uniones et margaritas fuisse, notum est: fortasse *fibulaque*, nam et fibulis gemmeis nonnunquam utebantur luxuriosi nepotes. Sed et multa alia possunt substitui: *Faber.* Et ipse alibi substituit *Tyrrhena*, nam noti sunt Tyrrheni calcei, ut et Sicyonii; utrique enim et splendidorum hominum erant, et delicatiorum. Tullius de Oratore, lib. 1. *Si mihi* calceos Sicyonios *attulisses*, non *uterer, quamvis essent habiles, et apti ad pedem, quia non essent viriles.* Vid. denique Julium Pollucem.

1121. *Thalassina vestis*] Cærulei quidem coloris, sed qui viridantis aliquid habet.

1123. *Anademata*] Redimicula, fasciolæ, catenulæ, &c.

1124. *Melitensia, Ceaque*] Hesychius, Μιλίσια· ἱθόνιά τινα διάφορα ἐν Μιλήτῳ τῆς νήσου. Cicero, Verrina secunda, meminit multoties *Melitensium vestium*, et Verrina quarta, Melitam oppidum Verri ait *textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuisse*, et inter Melitenses artifices commendat inprimis Diodorus, τὰς ἱθόνια ποιοῦντας τῇ τε λευκότητι καὶ τῇ μαλακότητι διαφερούσας. *Bochartus.* Plinius lib. 4. de Ceo insula, *Ex hac profectam delicatiorem fœminis vestem auctor est Varro.*

1128. *In ipsis floribus angat*] Tum maxime cum amor suas delicias et nectar amantibus propinat.

1135 Atque in Amore mala hæc proprio, summeque secundo
Inveniuntur; in adverso vero, atque inopi sunt,
Prendere quæ possis oculorum lumine aperto,
Innûmerabilia: ut melius vigilare sit ante,
Qua docui ratione, cavereque, ne inlaqueeris.
1140 Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile est quam captum retibus ipsis
Exire; et validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque possis, inque peditus
Effugere infestum, nisi Tute tibi obvius obstes:
1145 Et prætermittas Animi vitia omnia primum;
Tum quæ Corpori' sunt ejus, quam percupis, ac vis.
Nam hoc faciunt Homines plerumque cupidine cæci;
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda vere:
Multimodis igitur pravas, turpeisque videmus
1150 Esse in deliciis, summoque in honore vigere.
'Atque alios alii inrident, Veneremque süadent
'Ut placent, quoniam fœdo adflictantur amore:
'Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.
Nigra, μελίχροος est: Immunda et Fœtida, ἄκοσμος·
1155 Cæsia, παλλάδιον· Nervosa, et Lignea, δορκάς·
Parvola, Pumilio, χαρίτων ἴα, tota merum sal:
Magna, atque Immanis, κατάπληξις, plenaque honoris:

Atque hæc omnia incommoda sunt in amore illo, qui est maxime secundus, in adverso autem innumerabilia sunt mala quæ in omnium oculos incurrunt; ita ut multo prudentius sit ante vigilare ratione qua docui, et cavere ne irretitus sis: nam facilius est cavere a retibus quam cum captus sis teipsum extricare, et valida cupidinis vincula perrumpere. Tamen cum captus sis, et perdite amas, potes effugere malum, nisi Tute tibi obsis, et primum non consideres omnia vitia animi, neque vitia corporis illius quam misere amas: nam homines amore cæci illa omnia plerumque negligunt, imo eas dotes amiculis suis tribuunt quæ illis non re vera competunt; ideoque invenustas multas et deformes videmus esse in deliciis, et perdite amari. Atque alii irrident alios, suadentque ut Venerem placent quando aliquid invenustum amant; neque Miseri respiciunt sua mala quæ sunt plerumque maxima. *Quæ nigra est, fusca dicitur, immunda et fœtida, negligens; cæsia, parva Pallas (cui cæsii erant oculi, γλαυκῶπις), nervosa et exsucca, capra appellatur. Parvula et Pygmæi generis, gratiarum una est, tota merum sal (politula et elegans): ingens et immanis, admiranda, et plena majestatis:*

NOTÆ.

1135. *Amore—proprio*] Amor proprius est, cum quis a muliercula ita amatur, ut omnes alios illa abs se segreget; cui opposit Lucretius, *amorem adversum* et *inopem*, id est, in quo multa tibi adversa sunt, et quo amicam habes non satis morigeram.

1137. *Lumine aperto*] In adverso amore tot tantæque sunt calamitates, ut nemo non illas facile perviděat. Alii tamen legunt *operto*, id est, *cæco*; quilibet viz. vel cæcus videat.

1140. *Ne laciamur*] Lacio, in fraudem induco; *Festus:* et infra Lucretius; *quæ* lacere in *fraudem possit.*

1143. *Et tamen implicitus, &c.*] Sed miser jam capitur et adstringitur, quis expediet? Id agit Poeta, v. 43. melius Chrysippo et Crantore.

1151. *Atque alios alii, &c.*] Hos tres versus deleri vult Lambinus, ego nolim; sunt enim Lucretiani, et optimi sensus: amatores quidam suadent amico suo qui deformem puellam amat, ut Venerem sibi propitiam faciat, a qua hujusmodi amor immissus est, cum interim ipsi minus amabilem, minus venustam ament. *Faber.*

1156. Χαρίτων ἴα] Sive μία legas, nihil interest.

Balba, loqui non quit, τραυλίζει· Muta, pudens est.
At Flagrans, Odiosa, Loquacula, λαμπάδιον, fit:
1160 Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie: ῥαδινὴ vero est, jam Mortua tussi:
At Gemina et Mammosa, Ceres est ipsa ab Jaccho:
Simula, σιληνὴ, ac Satyra 'st: Labiosa, φίλημα.
Cætera de genere hoc longum 'st si dicere coner.
1165 Sed tamen esto jam quantovis oris honore,
Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe aliæ quoque sunt, nempe hac sine viximus ante;
Nempe eadem facit, et scimus facere omnia turpi:
Et miseram tetris se suffit odoribus ipsa
1170 Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.
At lacrymans exclusus Amator limina sæpe
Floribus et Sertis operit, posteisque superbos
Unguit Amaracino, et foribus miser oscula figit:
Quem si jam admissum, venientem offenderit aura
1175 Una modo, causas abeundi quærat honestas,
Et meditata diu cadat alte sumpta querela;
Stultitiæque ibi se damnet, tribuisse quod illi
Plus videat, quam mortali concedere par est.

balba et quæ vix verba proferre potest, τραυλίζει: quæ prorsus muta est, pudens dicitur. At inquieta, importuna, loquacula, parva lampas appellatur: illa gracilis amicula dicitur quæ macie confecta riget: tabidam puellam, macilentam appellant: turgida et mammosa, dicitur ea ipsa Ceres quam amavit Bacchus: simis naribus inhonesta, Silene et Satyra: labiis vero prominentibus in venusta, osculum vocatur. Alia ejusdem generis infinita, si foret sat otii, enumerare possim. Attamen sit formosissima, ex omnibus suis membris amorem jactet, nempe aliæ quoque sunt formæ non deterioris, nempe olim sine illa viximus; nempe facit eadem quæ turpis, et scimus illam fœda multa et obscœna facere: nempe se fœtidam et immundam odoribus suffire cogitur, et ipsæ famulæ longe illam fugiunt, et furtim cachinnant. At amator exclusus sæpe floribus et coronis limina lachrymans operit, postes superbos pretioso unguento unguit, et foribus oscula miser figit; quem tamen jam admissum, si una modo vel minima res (v. g. fœtor) offenderit, tum subito honestas causas abeundi quærit, obliviscitur illius querelæ quam diu fuerat meditatus, et qua sortem suam apud amicam deplorare instituerat, et sese damnat stultitiæ, quod sentiat se plus illi tribuere quam ulli mortali tribuisse par erat.

NOTÆ.

1158. Τραυλίζω] Levissimum oris vitium, τραύλισμος.

1159. Λαμπάδιον] Quia faces e picea, &c. crepitant.

1161. Ῥαδινὴ *vero est, jam mortua tussi*] Quia tussis postquam in ἶξιν abit, corpora tenuat; ideo ut hoc vitium verbis minuerent, puellas ejusmodi ῥαδινὰς vocabant. A Theocrito Cyparissi ῥαδιναὶ dicuntur, ubi ἰωμήκεις et λεπτὰς ait significari Scholiastes.

1162. *Ceres—ipsa ab Jaccho.*] Ab Jaccho Ceres, Musa ut prædicat Lucretii, Mammosa: *Arnobius*, lib. 3. contra gentes. *Ceres ab Jaccho*, id est, Ceres ἡ τοῦ Ἰάκχου, quam viz. amavit Bacchus.

1163. *Simula*, σιλήνη] Quia fere simi pingebantur Sileni Bacchi comites, ut et Satyri: Sileni seniores, et Satyrorum magistri.

1163. *Labiosa*, φίλημα] Inter blanditias erat, *meum osculum*, *meum suavium*, φίλημα, φιλημάτιον, et habent labiosæ qui osculentur.

1168. *Nempe eadem facit, &c.*] Eadem facit turpi, id est, *eadem ac turpis;* sic supra, lib. 3.

—Eadem aliis sopitu' quiete est.

Hæc ante oculos Ovidius, cum scripserit, Rem. Amor. v. 437.

Quid, qui clam latuit reddente, &c.

1174. *Quem si jam admissum, venientem*] Alii, *veniens*, et rectius: Faber conjicit *vel venti*, id est, vel levissima res, folium, pluma, musca, &c.

Nec Veneres nostras hoc fallit; quo magis ipsæ
1180 Omnia summopere hos vitæ postscenia celant,
Quos retinere volunt, adstrictosque esse in amore;
Nequicquam: Quoniam tu animo tamen omnia possis
Protrahere in lucem, atque omneis anquirere nisus:
Et si bello animo 'st, et non odiosa vicissim,
1185 Prætermittet te humanis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto suspirat amore,
Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit;
Et tenet adsuctis humectans oscula labris:
Nam facit ex animo sæpe, et communia quærens
1190 Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris.
Nec ratione alia Volucres, Armenta, Feræque,
Et Pecudes, et Equæ maribus subsidere possent,
Si non, ipsa quod illorum subat, ardet abundans
Natura, et venerem salientum læta retractat.
1195 Nonne vides etiam, quos mutua sæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis non sæpe Canes discedere aventes,
Divorsi cupide summis ex viribu' tendunt,
Cum interea validis Veneris compagibus hærent?

Hoc etiam nugivendulæ istæ mulierculæ probe norunt, ideoque maxime cavent ne isti amatores quos retinere cupiunt immunditias suas observent: frustra vero hæc cautio; quoniam ratione detegere potes atque omnia latibula explorare. Imo ipsæ si ingenuæ sint indolis, et non absurde suspicaces et morosæ, vitia ista quæ humana postulat conditio, non magnopere celabunt. Nec semper ficto amore suspirat mulier, quæ complexa jungit corpus cum viri corpore, et tenet humectans oscula adsuetis labris; nam sæpe facit ex animo, et quærens communem cum viro voluptatem, ardet rem veneream perficere: nec profecto volucres, armenta, feræ, pecudes et equæ marium in venerem ruentium impetus tolerarent, nisi illarum etiam libido ardesceret, et non minus quam salientes mares voluptate fruerentur. Nonne etiam sæpe observas ut illi in vinculis communibus cruciantur quos mutua voluptas vinxit? Ut quum canes in triviis aventes discedere summis viribus diversi cupide tendunt, cum interea hæreant validis Veneris compagibus adstricti?

NOTÆ.

1180. *Vitæ postscenia*] Metaphora a Theatro; *postscenium* autem locus post scenam, ubi multa fiebant quæ a spectatoribus non cernebantur. Per *vitæ postscenia* significat Lucretius, omnia quæ meretrices domi faciunt cum solæ sint, quæ suis amantibus occulta esse volunt.

1184. *Et si bello, &c.*] Horum versuum hæc sententia est; Quin etiam nisi plane difficilis est et morosa, satis multa apud illam videbis, quæ efficient ut magno nisu opus non sit ad deprehendenda corporis vitia; sed ista sinet ut pervideas, sperans te non ita illis offensum iri, quippe quæ non unius mulieris propria sint, sed communia omnium; *Faber*. *Prætermittet* autem, ut supra v. 1145.

Et prætermittas *animi vitia omnia primum.*

1186. *Nec mulier semper, &c.*] De meretriculis, quæ tantum propter quæstum faciunt, et prohibent conceptum, satis. Jam dicturus cur liberi sint modo patribus, modo matribus, modo utrique parenti similes, aliquando vero avos et proavos referant: præmittit v. 17. quibus docet quasdam fœminas ex animo facere, propter voluptatem quam non minus quam mares percipiunt; communia enim sunt Veneris gaudia, quod brutorum animalium conjunctiones abunde probant.

1193. *Si non, ipsa quod illorum subat, ardet*] Subat, atque ardet. Alii, *subito ardet*. Subare autem quadrupedes fœminæ dicuntur, cum libidine flagrantes marem appetunt, et maxime sues. *Festus*.

1197. *In triviis non*] Melius cum Gifanio, *in triviis quum*.

1200 Quod facerent nunquam, nisi mutua gaudia nossent:
Quæ lacere in fraudem possent, vinctosque tenere.
Quare etiam atque etiam (ut dico) est communi' voluptas.
Et commiscendo cum Semen forte virile
Fœmina commulxit subita vi, conripuitque;
1205 Tum similes Matrum materno semine fiunt:
Ut Patribus patrio: sed quos utriusque figuræ
Esse vides juxtim, miscenteis volta Parentum;
Corpore de Patrio, et Materno sanguine crescunt,
Semina quom Veneris stimulis excita per artus
1210 Obvia conflixit conspirans mutuus ardor,
Et neque utrum superavit eorum, nec superatum 'st.
Fit quoque, ut interdum similes exsistere Avorum
Possint, et referant Proavorum sæpe figuras,
Propterea, quia multa modis primordia multis
1215 Mista suo celant in corpore sæpe Parentes,
Quæ Patribus Patres tradunt a stirpe profecta:
Inde Venus varia producit sorte figuras;
Majorumque refert voltus, vocesque, comasque;
Quandoquidem nihilo minus hæc de semine certo
1220 Fiunt, quam Facies, et Corpora, Membraque nobis.
Et Muliebre oritur patrio de semine sæclum;
Maternoque mares exsistunt corpore creti:

quod tamen nunquam facerent, nisi novissent mutua gaudia, quæ illos in fraudem induere, et vinctos retinere valeant. Non est dubitandum igitur, quin (ut modo dixi) voluptas sit mutua et communis tam fœminæ quam mari. Et cum inter commiscendum, fœmina forte vi subita attraxit semen virile, et illud corripuit, tum liberi materno semine prævalente orti fiunt similes matribus, ut patrio semine prævalente orti fiunt patribus similes; sed quos utriusque parentis vultum pariter referre vides, nascuntur tam de matris quam patris semine, cum mutuus ardor conspirans commisit obvia semina Veneris stimulis per artus excita, et neutrum superavit alterum. Fit etiam ut aliquando liberi sint similes avis, aut vultus proavorum referant, quoniam parentes sæpe celant in suo corpore multa semina, quæ a stirpe profecta patres tradunt patribus: ex iis vero seminibus varias et differentes figuras, prout ipsa seminum natura postulat, producit Venus, exprimitque avorum et proavorum vultum, vocem, aut comam, illa enim omnia fiunt e certo semine non minus quam facies, corpora, et quælibet membra corporis. Fœminæ autem partim e patris semine, et mares partim e matris semine nascuntur;

NOTÆ.

1201. *Quæ lacere*] Ita supra, v. 1140.
Plagas in amoris ne laciamur.

1203. *Et commiscendo, &c.*] Cum semina inter se permista coalescant, si virile superaverit, patri similis provenit, sive mas, sive fœmina; si muliebre prævaluerit, progenies cujusque sexus ad imaginem maternam respondet: hincque plerumque fieri solet, ut unius tantum lineamenta prætendant. Si vero æqua fuerit ex pari semine permistio, figuræ quoque miscentur, ut soboles illa communis aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet; aut utrumque, quia partem de singulis mutuata est. Quod autem nati avos aut proavos aliquando referant, id fit, quia semen contexitur e moleculis pluribus, quæ non semper exsolutæ omnes ad atomos usque, nec proxime ipsas, in generatione prima proximave aliqua, sese deinceps in aliqua consequentium sic explicant, ut quod potuissent in proxima, id agant solum in remota. Hæc v. 24. Salmasius, Ep. 51. legit,

Et commiscendo cum semine, forte virilis
Fœmina vim vicit, *subita vi corripuitque.*

1207. *Volta*] Vultus; ita veteres: *Nonius.*

Semper enim partus duplici de semine constat;
Atque, utri simile est magis id, quodcunque creatur,
1225 Ejus habet plus parte æqua, quod cernere possis,
Sive Virûm suboles, sive 'st Muliebris origo.
Nec divina satum genitalem Numina quoiquam
Absterrent, pater a natis ne dulcibus unquam
Appelletur, et ut sterili Venere exigat ævum;
1230 Quod plerique putant: et multo sanguine mœsti
Conspergunt aras, adolentque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores semine largo:
Nequicquam Divûm numen, sorteisque fatigant.
Nam steriles nimium crasso sunt semine partim;
1235 Et liquido præter justum, tenuique vicissim:
Tenue, locis quia non potis est adfigere adhæsum,
Liquitur extemplo, et revocatum cedit ab ortu:
Crassius hoc porro, quoniam concretius æquo
Mittitur; aut non tam prolixo provolat ictu;
1240 Aut penetrare locos æque nequit; aut penetratum,
Ægre admiscetur muliebri Semine semen.
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur;
Atque alias alii complent magis, ex aliisque
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt:
1245 Et multæ steriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus, et nactæ post sunt tamen, unde puellos
Suscipere, et partu possent ditescere dulci;
Et, quibus ante domi fœcundæ sæpe nequissent

omnis enim partus fit e semine utriusque parentis: utri vero parenti partus sit magis similis, illius seminis habet majorem partem, quod videre licet, sive mas, sive fœmina sit partus. Neque Dei unquam efficiunt, ut aliquis suam operam Veneri frustra det, et nunquam a natis dulcibus pater appelletur, quod tamen illos efficere multi putant; ideoque multa immolant sacrificia, multisque donis aras cumulant, ut largo semine injecto gravidas uxores suas reddant: nequicquam vero hi stupidi Deos et Oracula sollicitant, nam sunt infœcundi, aliquando quia semen est nimis crassum, aliquando quia nimis tenue et liquidum est. Tenue autem semen, quia locis muliebribus adfigi, iisque adhærere non potest, subito liquitur, atque effluit: crassum vero semen, quia nimis concretum ejicitur, non tam longe fertur quam par est, aut quia minus penetrat meatus muliebres, aut postquam penetraverit, ægre muliebri semine miscetur. Nam omnium semina non conveniunt cum seminibus omnium, et alii mares alias fœminas magis complent, et aliæ fœminæ ab aliis maribus magis gravidæ fiunt; multæ etiam multos expertæ viros infœcundæ vixerunt, demum tamen marem adeptæ sunt e quo multos liberos susceperunt: illi denique quorum uxores multos annos steriles nullo partu

NOTÆ.

1223. *Duplici de semine*] Quoniam semen, *per membra atque artus decedit corpore toto*, lib. 4. v. 1036.

1227. *Nec divina satum, &c.*] Causæ sterilitatis quas attulit ex temperie seminis, v. 31. probæ quidem et veræ; quas e motibus nequioribus, v. 15. illæ non absurdæ, sed parum pudicæ: a Diis autem viro vel fœminæ sterilitatem immitti negat, neque id mirum, si e thalamis excludat istos Deos, quos in intermundiis collocavit.

1240. *Locos*] Sic τόπους apud Aristot. Hist. An. lib. 7. cap. 3. Cicero item simpliciter *locos*, Varro, *locos muliebres*.

1242. *Harmoniæ Veneris*] Intellige temperamenti convenientiam.

1248. *Fœcundæ*] Fœcundæ licet sint, et alio viro fieri possunt gravidæ.

Uxores parere, inventa 'st illis quoque compar
1250 Natura, ut possent natis munire senectam.
Usque adeo magni refert, ut Semina possint
Seminibus commisceri genitaliter apta,
Crassaque conveniant liquidis, et liquida crassis,
Quæ quoi juncta viro sit femina per Veneris res.
1255 Atque adeo refert, quo victu vita colatur;
Namque aliis rebus concrescunt Semina membris,
Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim.
Et quibus ipsa modis tractetur blanda Voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more Ferarum,
1260 Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur
Concipere Uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis Semina lumbis.
Nec molles opu' sunt motus Uxoribus hilum:
Nam Mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
1265 Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet;
Atque exossato ciet omni pectore fluctus:
Eicit enim Sulci recta regione, viaque
Vomerem, atque locis avertit Seminis ictum.
Idque sua causa consuerunt Scorta moveri,
1270 Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent,
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset:

auxerunt familiam, tandem comparem fœminam adepti, liberos procrearunt senectutis decus et tutelam. Tanti profecto refert ut semina ad generationem apta seminibus paribus commisceantur, ut crassa conveniant liquidis, et crassis liquida. Magni etiam refert quo victu utamur, nam aliud genus alimenti producit semen, aliud diminuit. Permagni etiam refert quibus modis ipsa blanda voluptas tractetur; nam uxores plerumque putantur concipere ferarum more, et ritu quadrupedum, quia sic pectoribus positis et sublatis lumbis illarum loca sumere possunt semina. Neque opus est ut uxores mollibus motibus utantur; nam fœmina prohibet se concipere si ipsa læta clunibus retractet viri venerem, atque omni exossato pectore ciet fluctus: nam recta regione et via sulci ejicit vomerem, seminisque ictum locis avertit. Scorta vero sua causa istiusmodi motibus utuntur, ut prohiberent conceptum, et simul ut ipsa voluptas major esset viris et

NOTÆ.

1253. *Liquida crassis*] Huic versui subjungit Lambinus, et recte quidem e codd.

Quæ cui juncta viro sit fœmina per Veneris res.

1265. *Clunibus ipsa*] Res turpicula est, inquit Faber, atque adeo paucis attingenda. Audi itaque Donatum ad Eunuchum Terentii, Act. 3. Sc. 1. ubi inter cætera hæc scribit: A parte ergo sui meretrices *Scorta* dicuntur, vel ἀπὸ τῆ σκαίρειν, quod Græce *palpitare* intelligitur, quod illæ faciunt saltando assidue, vel potius *crissando*, ut Lucretius ait, lib. 4. ob eam causam, ut concinniorem Venerem exhibeant viris, et sibi abigant conceptum: leg. igitur, *crissans ipsa viri*. Dubitari enim non potest quin hunc Lucretii locum ante oculos haberet Donatus, cum cætera quæ profert hic legantur: ut,

Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat.

Et,

Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset.

Hæc quidem Donatus, nisi quod Faber, lib. 4. ex suo addidit. Voce autem *crissare* et versu sequenti nihil unquam nequius; explicet Martialis lib. x. Ep. 68. et Schioppius ad Priapeja. Ep. 18.

1266. *Seminis ictum*] *Semini' jactum*; Faber: id enim convenientius dicitur cum,

In eo est Venus, ut muliebria conserat arva.

1269. *Idque sua causa*] *Sicque sua causa*, vel *atque*; Lambinus. *Hacque ipsa causa*; Faber.

Conjugibus quod nil nostris opus esse videtur.
Nec divinitus est interdum, Venerisque sagittis
Deteriore fit ut forma Muliercula ametur:
1275 Nam facit ipsa suis interdum Fœmina factis,
Morigerisque modis, et mundo corpori' cultu,
Ut facile insuescat secum Vir degere vitam.
Quod superest, Consuetudo concinnat amorem;
Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu
1280 Vincitur in longo spatio tamen, atque labascit:
Nonne vides, etiam guttas in saxa cadenteis
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

de quibus uxores non debent esse sollicitæ. Neque numen aliquod aut Cupidinis sagittæ, quod vulgo putant, efficiunt ut fœmina minus formosa aliquando ametur; nam interdum ipsa fœmina obsequio suo et munditie facit ut vir libenter cum illa vitam degeret. Denique consuetudo conciliat amorem, nam quod crebro ictu, etsi levi, tunditur, in longo temporis spatio dissolvitur: nonne etiam vides guttas aquæ cadentes in saxa in longo spatio, ista saxa pertundere?

NOTÆ.

1273. *Nec divinitus interdum*] Demum cum amor a simulachris excitetur, et simulachra e formosis corporibus profluentia eum potissimum concilient; unde deformes sæpe sint in honore et deliciis, v. 10.? Cave ne divinitus hoc fieri dixeris, nam Dii id non magis curant quam manes sepulti; in obsequio autem est venustas, et a munditie sæpe veniunt sagittæ: saltem consuetudo conciliat amorem. Et hæc quidem de Amore Lucretius, in quibus explicandis si paulo brevior fui, prudens sciensque feci, qui viderem ita comparatum esse totum illud negotium, ut ad illius intelligentiam nemo interprete opus habeat. *Faber*. Illud Epicuri adjiciam; ἡ συνουσία ὄνησις μὲν οὐδέποτε, ἀγαπητὸν δ', εἰ μὴ βλάψει.

In hoc libro admodum pauca sunt quæ approbet philosophus; nulla enim in universa philosophia futilior quam illa de Simulachris et Imaginibus opinio: nam credamus tenues exuvias et membranulas a rerum superficie continuo direptas, dum undique volitant, se mutuo intercidant et dilacerent necesse est; ita denique misceantur, ut nihil præter Centauros, Scyllas, et ejusmodi monstra videremus, aut imaginaremur.

Dicendum tamen Lucretium de istis Imaginibus et Simulachris usque ad v. 471. acute et decore disputasse, et bene ornasse fabulam.

Deinde ad v. 524. Poeta tractat scepticos eo, quo debuit, fastu, et severitate: spernenda enim profecto et reprimenda ista animalia. Neque ego istam erga *Sensus* indulgentiam improbarem, nisi illis concesserat provinciam majorem quam commode administrare possunt: sensus minime fallaces agnosco; ideone vero oculo meo magnitudinem Solis, Lunæ, et Astrorum emetiar? Ne quid acerbius dicam, hæc est nimis rustica opinio.

Sonum, saporem, odorem corporea esse, omnemque sensationem corporibus peragi, ad v. 725. agnoscent omnes, qui qualitatibus et aliis ægri Aristotelis insomniis non detinentur.

De Imaginatione vero usque ad v. 820. cum nulla sint simulachra, non est ut fusius agamus: et ridenda prorsus vanissima ista opinio quæ usque ad v. 855. docet membra nostra tam artificiose et subtiliter composita non ideo fuisse facta ut utamur, sed jam facta oblatum sibi usum arripuisse.

De Fame et Siti usque ad v. 874. protulit, quæ ferri possunt. De motu vero Animalium ad v. 904. inepta omnia. Denique cum Somnus Lucretii dispersionem animæ consequatur, quidni nos immortali anima donati æternum vigilemus? De Insomniis ad v. 1031. meræ nugæ. Reliqua vero nocte et tenebris tegenda.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER QUINTUS.

LIBRI QUINTI

ARGUMENTUM.

I. *LAUDES Epicuri, cui propter inventam atque explicatam Philosophiam plus debent homines, quam Cereri, Baccho, Herculi, aliisque Divis, quos grati venerantur, ad v.* 56. II. *Deinde ad v.* 92. *proponit totius libri argumentum, cujus partes postea explicat. Et* III. *ad v.* 157. *Terram, mare, cœlum, solem, sidera mortalia docet; nec, quod Stoici putarunt, animata, Dei ipsius partes; aut sedem et domicilium Deorum esse, quod Vulgus existimat, asserit.* IV. *Nequis mundum a Diis fuisse factum, atque ideo immortalem credat, ad v.* 236. *varias rationes congerit tam a natura Deorum, quam a vitiis hujus mundi ductas, quibus probare conatur hanc compagem non fuisse a Diis constitutam.* V. *ad v.* 417. *Quatuor Elementa, terram, aquam, aëra, et ignem, e quibus mundus constat, nasci et interire, et proinde mundum ipsum aliquando incœpisse, aliquando etiam periturum arguit; variisque aliis argumentis confirmat hanc compagem nec ab æterno extitisse, neque futuram esse immortalem.* VI. *ad v.* 509. *agit de primo mundi exortu, et singulis ejus partibus, prout graviores aut leviores sunt, sedes suas et locos assignat.* VII. *ad v.* 613. *Multa de cœli et siderum motibus proponit, at nihil certi decernit: deinde docet cur terra, cur tota compages, quod corpus grave est, nulli fundamento innixa pendeat. Solem denique, lunam, sidera metitur, atque illa nec majora nec minora esse quam nobis apparent, pronunciat.* VIII. *ad v.* 770. *Varias utriusque solstitii, æstivi et hyemalis, causas reddit; quo modo nox fiat; cur aurora solem præcedat; cur dies et noctes vicissim sese superent; cur luna vultum et figuram variet; cur denique sol ac luna eclipsin patiantur, disputat.* IX. *Deinde a cœlo descendens, herbarum, arborum, avium, brutorum, hominum origines describit, ad v.* 835. X. *Monstra quoque, mutila quædam atque imperfecta animalia nasci concedit, sed Chimæras, Centauros, Scyllas, reliquaque Poetarum portenta suaviter deridet, ad v.* 922. XI. *Demum ad v.* 1090. *Primorum hominum vires, rudem vitam, cultum, victum, ingenium, mores, domicilia, matrimonia describit, et docet unde sermo, voces, et rerum nomina.* XII. *Tandem post ignem in terras a fulmine delatum, cultior vita, et victus mollior; pacta et fœdera inierunt homines, agros partiti sunt, et pulcherrimi aut fortissimi* Reges *constituuntur, at brevi orta seditione* Respublica *emersit, ad v.* 1160. XIII. *Ad v.* 1240. *disputat de Deorum metu, et de ortu religionis, quam divinæ naturæ et causarum naturalium ignorantiæ acceptam refert.* XIV. *Quæ sequuntur, metallorum ortum, primas bellandi artes, artis textrinæ, agriculturæ, musices, et aliarum artium ortum atque progressum continent.*

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER QUINTUS.

QUIS potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum majestate, hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, qui fundere laudes
Pro meritis Ejus possit, qui talia nobis
5 Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit?
Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum 'st: Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui Princeps vitæ rationem invenit eam, quæ

INTERPRETATIO.

Quis tam excellenti ingenio præditus est, ut encomium componere valeat, quod hæc admiranda Epicuri *inventa merentur? Quis carminis tam peritus artifex ut fingat laudes pares meritis illius, qui nobis reliquit tot tantaque munera ingenio suo acquisita? Nemo, ut puto, mortalium hoc potest efficere. Nam si dicendum est, ut dignitas rerum ab illo explicatarum postulat; ille Deus fuit, Deus inquam, O præclare Memmi, qui primus invenit eam vitæ rationem, quæ*

NOTÆ.

3. *Qui fundere laudes*] MSS. codd. constanter habent *fingere*, vel *fundere:* Gifanius tamen legit *pingere*. Faber; *Quis*, id est, *queis fingere*. Horatius,

—*Operosa parvus*
Carmina fingo.

6. *Deus ille fuit, &c.*] Errat Lactantius, qui lib. 3. cap. 14. de falsa sapientia, existimaverit hæc de Epicuro scripta non fuisse, sed de Pythagora, aut Thalete: id certe refellit versus ille,

Cujus ego ingressus vestigia——

qui mox occurret. Hunc autem locum prorsus respiciebat Cicero, cum in 1. Tuscul. scripsit. *Quæ quidem cogitans soleo sæpe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum, qui Naturæ cognitionem admirantur, ejusque* Inventori *et* Principi *gratias exultantes agunt, eumque* venerantur ut Deum; *liberatos enim se per eum dicunt* Gravissimis Dominis. *Faber.* vid. v. 88.

Et dominos acreis adsciscunt.

Verum gratus Poeta agnoscit per quem profecerat, et si revera metu, terroribus, superstitione homines Epicurus liberasset, cæteris Divis jure præferendus videretur.

10 Nunc appellatur SAPIENTIA; quique per artem
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquillo, et tam clara luce locavit.
Confer enim Divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
15 Vitigeni laticem mortalibus instituisse;
Cum tamen his posset sine rebus Vita manere:
Ut fama 'st aliquas etiam nunc vivere genteis.
At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur;
20 Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
Herculis antistare autem si facta putabis,
Longius a vera multo ratione ferere;
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
25 Ille Leonis obesset, et horrens Arcadius Sus?
Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque pestis
Hydra venenatis posset vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï?
Et Diomedis equi spirantes naribus ignem
30 Thracen, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter,
Tantopere officerent nobis? uncisque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphâla colentes?
Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala
Asper, acerba tuens, immani corpore Serpens,

nunc appellatur Sapientia, *quique per Philosophiam a se institutam vitam tantis fluctibus jactatam, tantaque caligine involutam, in tam tranquillam, et in tam claram lucem transtulit. Compara enim aliorum inventa propter quæ Divi habentur; Ceres fertur fruges, Bacchus vinum hominibus monstrasse, cum tamen sine frugibus et vino, uti fertur aliquas gentes jam vivere, commode vitam sustinere possint; at sine puro (a metu et cupiditate bene purgato) pectore commode vivere nefas est: quapropter potiori jure hic* Epicurus *nobis videtur esse Deus, cujus præcepta per multas gentes diffusa, faciunt ut homines tranquillam agant sine metu et terrore vitam. Si vero credes egregia Herculis gesta plus utilitatis et beneficii quam* Epicuri *præcepta hominibus afferre, magis magisque a vero aberrabis. Quid enim ingens ille Nemeæus leo, quid horrendus (setosus) Arcadius aper hominibus hujus ætatis nocuisset? Denique quid Taurus Cretæ, quid Lernæa pestis, Hydra Serpentibus venenatis cincta, in nos commisisset? Quid tricorporis Geryonis triplex robur? Et Diomedis equi naribus suis ignem efflantes in Thracia, regionibus Bistoniis, et circa montem Ismarum, quid damni nobis intulissent? Arcadiæ volucres lacum Stymphala colentes, et uncis unguibus horrendæ, et ingens ille serpens custos Hesperidum hortorum aureis pomis fulgentium, immitis, atroci aspectu, et mole corporis immanis,*

NOTÆ.

10. *Sapientia*] Nomen hoc ab aliis Philosophis relictum suæ doctrinæ tribuerunt Epicurei, viri quidem non semper nimis modesti. Authorem quæris? adest Horatius nitidus istius gregis porcus;

Parcus Deorum cultor et infrequens
Insanientis dum Sapientiæ
Consultus erro.

12. *In tam tranquillo*] Tale aliquid apud Lucilium; *Quoque Te* in tranquillum *ex sævis transfert tempestatibus.* Sed et idem legas apud Terentium.

17. *Ut fama 'st*] Vid. Diodorum Siculum lib. 3. Id hodieque verum est; nam vix sexta orbis pars triticum novit.

28. *Tripectora*] Virgilius et Horatius dicunt Geryonem *tergeminum* et *ter amplum*.

35 Arboris amplexus stirpem; quid denique obesset,
Propter Atlantæum littus, pelageque severa,
Quo neque noster adit quisquam, neque Barbarus audet?
Cætera de genere hoc quæ sunt portenta peremta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
40 Nil, ut opinor: ita ad satiatem terra Ferarum
Nunc etiam scatit, et trepido terrore repleta 'st
Per nemora ac monteis magnos, sylvasque profundas;
Quæ loca vitandi plerumque est nostra potestas.
At nisi purgatum 'st pectus, quæ prœlia nobis,
45 Atque pericula tunc ingratîs insinuandum?
Quantæ conscindunt hominem Cuppedinis acres
Sollicitum curæ? quantique perinde timores?
Quidve Superbia, Spurcities, Petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid Luxus, Desidiesque?
50 Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis; nonne decebit,
Hunc Hominem numero Divûm dignarier esse?
Cum bene præsertim multa, ac divinitus ipsis
Immortalibu' de Divis dare dicta suërit:
55 Atque omnem rerum Naturam pandere dictis.
Quoius ego ingressus vestigia, nunc rationes

et truncum arboris amplexus, quo inquam damno mortales ille affecisset, cum remotus jacuerit juxta littus Atlantæum, et inhospitale æquor, quæ loca neque Romanus aliquis, neque Barbarus penetrare audet? Reliqua ejusdem generis monstra quæ ille Hercules occidit; si non occidisset, si jam viverent, quid nocerent? Nil, uti puto; namque etiam nunc terra feris abundat, et plena est monstrorum quæ trepidum terrorem incutiunt per nemora, magnos montes, et densas sylvas: quæ tamen loca commode vitare possumus. At nisi animi nostri sint purgati, quot tumultibus agitaremur, quæ pericula nos miseros manerent? quam acerbæ sollicitudines a cupiditate ortæ anxium hominem lacerarent? quanti similiter timores? quantas calamitates afferrent superbia, spurcities, lascivia? quantas luxuria et desidia? Igitur qui hæc cuncta subegit, et præceptis non armis ex animo expulit, nonne æquum est ut hunc hominem inter Divos numeremus? Præcipue cum idem vir multa de Diis ipsis immortalibus præclare docuit, totamque naturam rerum optime explicavit. Ego vero illum ducem sequutus

NOTÆ.

36. *Pelageque severa*] Lib. 6. v. 619.

At Pelage *multa, et late substrata videmus.*

Eadem voce utitur Manilius, lib. 2. v. 90.

Atque hæc seditio Pelage *nunc sidere lunæ*
Mota tenet.

Severa autem pelage, non navigabilia, aut navigantibus infesta. Sic Virgilius,

Amnemque severum
Cocyti metuet.

40. *Ita ad satiatem*] Ad satietatem, πρὸς κόρον id est, valde aut abunde; et versu sequenti *scatit*. Sic infra,

Largifluum fontem scatere, *atque erumpere flumen.*

45. *Atque pericula tunc*] Gifanius; *atque pericula est. Prælia insinuandum nobis*; id est, Prælia sunt nobis subeunda.

48. *Spurcities*] Spurcus, λευρός· qui ut interpretatur Polybius lib. 17. ἀλοιφχιρὸς καὶ δειλγιαν ἐξόκυλος. Vid. Casaubonum ad Theophrasti characteres, p. 180.

56. *Quoius ego ingressus, &c.*] V. 36. habes libri argumentum. Probabit enim Poeta mundum aliquando incepisse, aliquando etiam periturum: deinde mundi et animalium originem describet, docebit quæ animalia nasci potuerunt, quæ finxit poetarum vanitas et Vulgi superstitio: quomodo nomina rebus imposita, et mutua per voces commercia; unde religio et metus Deorum dicet. Denique solis, lunæ, siderum cursus explicabit; eaque sola vi naturæ, nulla vero providentia volvi demonstrabit. Nisi enim motus cœlestes explicet,

Persequor, ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere sint, in eo quam sit durare necessum;
Nec validas ævi valeant rescindere leges.
60 Quo genere in primis Animi natura reperta 'st,
Nativo primum consistere corpore creta;
Nec posse incolumis magnum durare per ævum:
Sed Simulacra solere in Somnis fallere mentem,
Cernere cum videamur eum, quem vita reliquit.
65 Quod superest, nunc me huc Rationis detulit ordo,
Ut mihi, mortali consistere corpore Mundum,
Nativumque simul, ratio reddunda sit, esse.
Et quibus ille modis congressus Materiaï
Fundârit Terram, Cœlum, Mare, Sidera, Solem,
70 Lunaïque globum; tum quæ tellure Animantes
Exstiterint, et quæ nullo sint tempore natæ.
Quove modo genus Humanum variante loquela
Cœperit inter se vesci per nomina rerum.
Et quibus ille modis Divûm metus insinuârit
75 Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
Fana, Lacus, Lucos, Aras, Simulacraque Divûm,
Præterea, Solis cursus, Lunæque meatus
Expediam, qua vi flectat Natura gubernans:
Ne forte hîc inter Cœlum, Terramque reamur
80 Libera sponte sua cursus lustrare perenneis,
Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:

philosophor, et doceo quam necessum est omnes res creatas existere ea conditione qua primum factæ sunt, neque posse (validas ævi leges rescindere) durare ultra spatium a natura fixum et constitutum. Inter res creatas inveni et demonstravi animas mortales esse, nasci et interire, neque in æternum integras manere posse; sed simulachra in somnis solere mentem fallere, ita ut videamur cernere eum, quem olim reliquit vita. Deinde instituti mei ratio, atque Epicuri doctrinæ ordo postulat, ut docerem mundum mortalem, aliquando incœpisse, aliquando periturum esse. Et ut demonstrarem quibus modis semina casu et temere convenientia cœlum, terram, mare, sidera, solem, et lunæ orbem construxerunt: ut docerem insuper, quæ animalia e terra orta sunt, et quæ nunquam extiterunt, licet ab aliquibus credantur extitisse: quo etiam modo homines lingua sonos variante rerum nomina invenerunt, et cœperunt confabulari. Quo denique modo hominum mentes invasit ille Deorum metus, qui per orbem terrarum conservat fana, lacus, lucos, aras, et imagines Deorum. Præterea docebo, qua vi solis lunæque cursus regens Natura dirigat; ne forte credamus ista sidera sponte sua inter cœlum et terram perpetuo se volvere, ea tantum fine ut fruges atque animalia crescere faciant;

NOTÆ.

haud facile tollet omnem de providentia opinionem; nam religio, ut primo libro observat,

Caput e cœli regionibus ostendit.

Ibid. *Nunc rationes*] Alii, *dum rationes*, et forsan melius.

71. *Et quæ nullo, &c.*] Intellige Chimæras, Centauros, Scyllas, Hermaphroditum, &c.

73. *Inter se vesci per nomina*] Uti rerum nominibus, et sermones miscere. Ita legit et interpretatur hunc versum Nonius in voce *vesci*.

78. *Natura gubernans*] Per *naturam* nihil intelligit Lucretius præter atomorum in hanc mundi compagem temere conjectarum vim et motum.

Neve aliqua Divûm volvi ratione putemus.
Nam, bene qui didicere Deos securum agere ævum,
Si tamen interea mirantur qua ratione
85 Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,
Quæ supera caput ætheriis cernuntur in oris;
Rursus in antiquas referuntur Relligiones,
Et Dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
90 Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quod superest, ne Te in promissis plura moremur;
Principio, Maria ac Terras, Cœlumque tuere:
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
95 Treis species tam dissimileis, tria talia texta,
Una dies dabit exitio; multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina Mundi.
Nec me animi fallit, quam res nova, miraque menti,
Accidat, Exitium Cœli Terræque futurum;
100 Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis:

ne etiam putemus ab imperante et dirigente aliquo Deo circumferri. Nam qui bene didicerunt Deos summo in otio vitam suam agere, si forsan admirentur qua ratione res singulæ fieri possunt, præcipue quæ supra caput in locis cœlestibus cernuntur, in antiquas religiones iterum relabuntur, acerbis dominis se subjiciunt, quos infœlices existimant posse omnia perficere, quia ignorant quid possit esse, quid non possit; insuper quo modo cuique rei potestas finita est, itemque potestatis terminus in rei unius cujusque natura fixus et penitus impactus. Quod superest, ne te promissis diutius morer; primum aspice mare, terras, cœlum; triplicem horum naturam, tria corpora, O Memmi, *tres species rerum tam dissimiles, tria talia (tam admiranda) texta, una dies diruet, et compages hujus mundi, quæ per multos annos integra duravit, dissolvetur. Non quidem nescius sum id quod jam assero, mundum viz. aliquando ruiturum esse, tibi novum, absurdum, et prorsus incredibile videri, et quam difficile sit mihi id ita demonstrare ut te persuasum fatearis:*

NOTÆ.

82. *Neve aliqua Divûm*] Epicurus; ἡ θεία δύναμις πρὸς ταῦτα μὴ προσαγέσθω, ἀλλὰ ἀλυπούργητος διατηρείσθω, ἡ ἐν τῇ πάσῃ μακαρίοτητι· ὡς εἰ μὴ τοῦτο πραχθήσεται, ἅπασα περὶ τῶν μετεώρων αἰτιολογία μάταια ἔσται.

84. *Si tamen interea mirantur*] Inde Horatius Epicureus;

Nil admirari *prope res est una, Numici;*
Solaque quæ possit facere et servare beatum:
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent.

Istum Horatii locum e Lucretio interpretare, et prudentius facies quam alii interpretes.

88. *Dominos acreis*] Lib. 2. *Dominos superbos.* Eadem Velleius apud Ciceronem lib. de Nat. Deor. 1. *Dum Deum rerum authorem facitis, imposuistis in cervicibus nostris* sempiternum Dominum, *quem dies et noctes timeremus: quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum, et plenum negotii Deum?*

92. *Quod superest, &c.*] Tandem, v. 19. rem ipsam aggreditur, præclaram quidem illam, sed difficilem; et quam vix persuadebit. Non facile credimus quod nolumus; quis autem velit videre mundi ruinam, quam sine sua pernicie experiri non potest? Ipse Poeta talis tantique casus misereri videtur,

—Tria talia texta
Una dies dabit exitio——v. 95.

certe timet, v. 108.

Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans.

Ut fit, ubi insolitam rem adportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis Oculorum subdere visu,
Nec jacere indu Manus, via qua munita fidei
Proxima fert humanum in pectus, templaque mentis:
105 Sed tamen effabor; dictis dabit ipsa fidem res
Forsitan, et graviter terrarum motibus orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes:
Quod procul a nobis flectat Fortuna gubernans;
Et Ratio potius, quam Res persuadeat ipsa,
110 Succidere horrisono posse omnia victa fragore.
Qua prius aggrediar quam de re fundere fata
Sanctius, et multo certa ratione magis quam
Pythia, quæ tripode e Phœbi, lauroque profatur;
Multa tibi expediam doctis solatia dictis:
115 Relligione refrænatus ne forte rearis,
Terras, et Solem, Cœlum, Mare, Sidera, Lunam,
Corpore divino debere æterna manere:
Proptereaque putes ritu par esse Gigantum,
Pendere eos pœnas immani pro scelere omneis,
120 Qui ratione sua disturbent mœnia Mundi,
Præclarumque velint cœli restinguere Solem,

hoc enim plerumque fit cum proponas auribus rem novam, quam tamen oculis videre non potes, neque manu tractare, qua (per manus viz. et oculos) certa rerum notitia in hominum pectora, ubi mentes habitant, proxime defertur. Dicam tamen, et forsan ipsa res probabit mea dicta, et forsan brevi tempore videbis omnia terræ motibus divulsa confundi: quod fortuna rerum domina a nobis procul avertat; et ratio potius quam res ipsa nos edoceat totam mundi compagem dissolutam horrendo fragore conquassari posse. De qua re antequam incipiam fundere oracula sanctius et multo certius quam Pythia, quæ ex Tripode et Lauro Phœbi edit oracula, multa quæ Philosophia subministrat digna et utilia cognitu te docebo: ne forsan religione refrænatus credas terram, solem, cœlum, mare, sidera, lunam, tanquam Dei unius immensi membra immortalia debere esse et æterna; ideoque putes æquum esse ut non minus quam gigantes pro atroci impietate pœnas luerent omnes illi, qui argumentis suis mundi mœnia diffringere, et splendentem cœli solem extinguere conantur,

NOTÆ.

101. *Ante*] Viz. *ante insolitam.*

102. *Visu*] Visui, oculis: veteres autem *visu*. Sic Terentius; *Vestitu nimio indulges.*

103, 104. *Via qua munita fidei proxima, &c.*] Ea enim maxime credimus, quæ cernimus, aut tangimus.

111. *Qua prius aggrediar, &c.*] Quoniam vero Stoicorum vanitas, aliorum ignorantia, et vulgi superstitio multa præjudicia huic opinioni opposuerant, illa omnia amolitur Lucretius; et primo, v. 36. stoicos refutat. Quippe isti homines solem, lunam, mare, terras, totum denique mundum, spiritu intus infuso, animatum Deum esse volucrunt. Manilius:

Hoc opus immensi constructum corpore mundi,
Membraque naturæ diversa condita forma
Æris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis,
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, et tacita ratione gubernat.

Hos autem contemnit Poeta, et indignatur; injuriarum forsan memor, nec nugarum patiens.

120. *Disturbent mœnia mundi*] Id est, probant mundum interiturum. Ita Virgilius, *ingentes erigit alnos*, id est, describit quo pacto ex Heliadibus Alni surrexerint: inde apud Aristotelem οἱ γενῶντες τὸν κόσμον (*generantes mundum*) qui probant mundum genitum esse; et illud Platonis notandum, qui τοὺς ῥέοντας (fluentes) alicubi vocat eos e Philosophis, qui omnia in perpetuo fluxu esse dicerent. *Faber.*

Immortalia mortali sermone notantes.
Quæ procul usqueadeo divino ab numine distent,
Inque deûm numero sic sunt indigna videri,
125 Notitiam potius præbere ut posse putentur,
Quid sit vitali motu, sensuque remotum.
Quippe etenim non est cum quovis corpore ut esse
Posse Animi natura putetur, Consiliumque:
Sicut in æthere non Arbor, nec in æquore salso
130 Nubes esse queunt, neque Pisces vivere in arvis;
Nec Cruor in lignis, nec saxis Succus inesse:
Certum, ac dispositum 'st, ubi quicquid crescat, et insit.
Sic Animi natura nequit sine Corpore oriri
Sola, neque a nervis, et sanguine longiter esse:
135 Hoc si posset enim, multo prius ipsa Animi vis
In Capite, aut Humeris, aut imis Calcibus esse
Posset, et innasci quavis in parte soleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret.
Quod quoniam nostro quoque constat Corpore certum,
140 Dispositumque videtur, ubi esse, et crescere possit
Seorsum Anima, atque Animus; tanto magis inficiandum,
Totum posse extra Corpus, formamque animalem
Putribus in glebis Terrarum, aut Solis in igni,
Aut in Aqua durare, aut altis Ætheris oris.
145 Haud igitur constant divino prædita sensu,
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

asserentes ea mortalia esse, quæ revera sunt æterna. Hæc vero omnia (mare, terra, cœlum, &c.) tam longe distant a divino numine, tam indigna sunt ut inter Deos habeantur, ut ex iis potius cognoscere possimus quid sit vitali motu et sensu destitutum (sunt inertia plane corpora et insensilia). Nulla enim suadet ratio Animam et Animum posse cum quolibet corpore conjungi; sicut in aëre arbor, in salso mari nubes non possunt esse, pisces in agris vivere nequeunt: nec sanguis in ligno, nec succus in saxis potest esse: certum et definitum est ubi unaquæque res crescat et existat. Sic Anima non potest sine Corpore sola oriri, neque a nervis et sanguine separata, vel sine nervis et sanguine existere: hoc enim si possit, anima potius in capite, humeris, aut imis calcibus, imo in quavis parte corporis oriri videretur, et tandem per totum hominem diffundi. Quoniam vero certa et definita sint loca in nostro corpore ubi seorsum anima et animus oriri possit et crescere, eo vehementius negandum est, totum (Animam et Animum) posse esse extra corpus, aut in putribus glebis terrarum, in igne solis, in aqua, aut in alto aëre et cœlo existere. Hæc igitur (mare, cœlum, &c.) minime credenda sunt divino sensu prædita, cum nec anima nec vita donari possunt.

NOTÆ.

124. *Sic sunt indigna*] Alii, *quæ sunt indigna.*

129. *Sicut in, &c.*] Sequentes 13. v. invenies lib. 3. v. 785. ubi etiam legitur, *Non æquore in alto.*

135. *Hoc si posset enim*] Quatuor hos versus huc cum aliis temere translatos conjicit Faber; sed ad rem æque ac reliqui faciunt. Nam si in ipso nostro corpore nervis, venis, et sanguine instructo certa et definita loca sint, ubi Anima et Animus seorsum nascantur et existant; frustra Animam et Animum in cœlo, mari, terra, aliisque corporibus nullis omnino organis donatis aliquis requirat.

145. *Haud igitur constant*] Velleius apud Ciceronem, lib. 1. de Nat. Deor. *Qui mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo animi naturam intelligentes viderunt, in quam naturam cadere possit.*

Illud item non est ut possis credere, sedes
Esse Deûm sanctas in mundi partibus ullis:
Tenuis enim natura Deûm, longeque remota
150 Sensibus a nostris, animi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum suffugit, et ictum,
Tactile nil nobis quod sit, contingere debet;
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipsum.
Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
155 Dissimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quæ tibi posterius largo sermone probabo.
Dicere porro, Hominum causa voluisse parare
Præclaram mundi naturam, proptereaque
Id laúdabile opus Divûm laudare decere,
160 Æternumque putare, atque immortale futurum;
Nec fas esse, Deûm quod sit ratione vetusta
Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo,
Sollicitare suis ullum de sedibus unquam,
Nec verbis vexare, et ab imo evertere summam:
165 Cætera de genere hoc adfingere, et addere, Memmi,
Desipere 'st; quid enim Immortalibus, atque Beatis

Insuper nulla ratio suadet sanctas esse Deorum sedes in ullis mundi partibus (cœlo viz. aut sole) et numina illas mundi partes habitare: nam Deorum natura est valde tenuis et longe infra nostros sensus, ita ut sensibus nostris percipi non possit, imo vix ipsa mente percipiatur. Quæ quidem Deorum natura quoniam infra sensus nostros est, neque manibus nostris tractari aut palpari potest, nihil debet contingere quod est nobis tactile; nam id quod tangi non potest, non potest tangere. Igitur sedes Deorum debent esse dissimiles nostris sedibus, et ea tenuitate qua sunt ipsa Deorum corpora. Quæ omnia longa disputatione infra explicabo. Dicere autem Deos voluisse præclarum hunc mundum fabricare hominum causa, ideoque nos debere honorifice sentire de laudabili isto Deorum opere, et credere illud immortale et æternum fore; et non fas esse id, quod olim Dei hominum causa æternum esse voluerunt, conari probare aliquando ruituum, argumentis disturbare, summamque rerum (mundum) ab fundo evertere; hæc vero et ejusmodi alia qui dicit, O Memmi, delirat. Quid enim commodi nostra gratia immortalibus atque beatis

NOTÆ.

147. *Illud item non est*] Cum vero Dii sint immortales et æterni, pares sedes habeant necesse est, inde Deos in cœlis, atque ideo nunquam ruituris, omnes collocant. Respondet Poeta, v. 10. illud omne esse sive Poetarum, sive vulgi figmentum; nam tenuior est Deorum Natura quam ut tangat tam crassa corpora, ideoque ista Deos habitare minime putandum.

155. *Tenues de corpore eorum*] Quæ tenuitatis differentia est nos inter et Deos ipsos, eadem inter sedes Deorum et nostras est; itaque *tenues de corpore eorum* significabit, tenues esse, quasi ex iisdem corpusculis constent, quibus et Dii constant: *Faber*. Lambinus legit, *tenues pro corpore eorum*.

157. *Dicere porro, hominum, &c.*] At Dii hunc mundum fabricárunt, et æternum esse voluerunt. Resp. Lucretius, v. 25. Sui an hominum causa fabricárunt? Sui siquis dixerit, idem dicat, Quid Deo cultus hominis confert beato, et nulla re indigente. Quid autem erat quod concupisceret Deus mundum signis et luminibus tanquam ædilis ornare? Si ut Deus melius habitaret, antea viz. tempore infinito in tenebris tanquam in gurgustio habitaverat? post autem, varietatene eum delectari putamus, quia cœlum et terras exornatas videmus? Quæ ista potest esse oblectatio Deo, quæ si esset, non ea tam diu carere potuisset? Hominum causa qui dicit, idem explicet, quomodo, nobis non existentibus, insuave foret non esse.

164. *Summam*] Mundum viz. Mundum autem dixit *summam* ex eorum Philosophorum sententia qui *unicum* agnoscebant. Lambinus legit *fundo*.

Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostra quicquam causa gerere adgrediantur?
Quidve novi potuit tanto post ante quietos
170 Inlicere, ut cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Cui veteres obsunt; sed, cui nil accidit ægri
Tempore in anteacto, cum pulchre degeret ævum,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali?
175 An, credo, in tenebris vita, ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?
Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
Natus enim debet, quicunque 'st, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas;
180 Qui nunquam vero vitæ gustavit amorem,
Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
Exemplum porro gignundis rebus, et ipsa
Notities Hominum, Divis unde insita primum,
Quid vellent facere ut scirent, animoque viderent?
185 Quove modo 'st unquam vis cognita Principiorum,
Quidnam inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen Natura creandi?
Namque ita multa modis multis Primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
190 Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,

Diis conferre possit, ut nostri causa aliquid facere conarentur? Illosque Deos qui per tot anteacta secula quietam agebant vitam quid impelleret, ut priorem vivendi rationem mutare cuperent? Nam ille solum debet affectare novam conditionem cui vetus displicet, at in illo, qui tempore anteacto vitam agebat fœlicem nullis malis nullaque ægritudine vexatam, quid excitaret istam mutandi cupiditatem? An viz. Deorum vita in mœrore et tenebris jaceret usque dum splendidæ hæ pulcherrimæque res nascerentur? Aut quid mali fuisset nobis nunquam fuisse natis? Nam quicunque natus est debet velle manere in vita, quamdiu blanda voluptas eum retinebit: qui vero vitæ delicias nunquam gustavit, nec unquam extitit, quid illi obfuit nunquam extitisse? Deinde quodnam exemplare aut imaginem habuerunt Dei ad quam res omnes effingerent? Unde humani generis notities illis insita, ut scirent et intelligerent quid vellent facere? Quo etiam modo sit vis principiorum cognita, unde noverint semina ista permutato inter se ordine et situ varias res posse constituere, nisi ipsa Natura, constituendo et componendo res, docuisset quid semina valerent? Namque rerum primordia ab æterno proprio suo pondere et aliorum ictibus agitari solebant, et moveri, omnibus modis convenire, et pertentare omnia

NOTÆ.

174. *Amorem accendere tali*] Alii, *amore tali.*

Ibid. *Tali*] Tali ἔρωτι, seu Deo vel homini. *Faber.*

181. *Nec fuit in numero*] Rerum creatarum.

Ibid. *Esse creatum.*] Alii, *esse creato*, ut v. 177. *esse creatis.*

182. *Exemplum porro, &c.*] Tota omnium rerum notities a simulachris rerum incurrentibus derivatur: Dii etiam nihil inconsiderate faciunt, quicquid agere constituunt illud prævident: at nullæ imagines rerum in mentem divinam cadere potuerunt, cum res ipsæ nondum extiterint; ideo inepte aliquis dicat Deos cœlum, terram, animalia, omnia creâsse.

187. *Creandi*] Lambinus, *creando*; melius.

188. *Multa modis multis*] *Multimodis multis*; Gifanius.

Quæcunque inter se possint congressa creare,
Ut non sit mirum si in taleis dispositura
Deciderunt quoque, et in taleis venere meatus
195 Qualibus hæc rerum genitur nunc Summa novando.
Quod si jam rerum ignorem Primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis Cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
200 Naturam rerum, tanta stat prædita culpa.
Principio, quantum Cœli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem Monteis, Sylvæque ferarum
Possedere, tenent Rupes, vastæque Paludes,
Et Mare, quod late Terrarum distinet oras.
205 Inde duas porro prope parteis fervidus Ardor,
Assiduusque Geli casus mortalibus aufert.
Quod superest arvi, tamen id Natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis Humana resistat,
Vitaï causa valido consueta bidenti
210 Ingemere, et terram pressis proscindere aratris:
Si non fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïque solum subigentes cimus ad ortus;
Sponte sua nequeant liquidas existere in auras.
Et tamen interdum magno quæsita labore,

quæcunque hisce cœtibus facere et componere valerent, ut mirandum non sit, si in talem ordinem aliquando deciderunt, et obtinuerunt eos motus, quibus administratur hic mundus, et perpetuo renovatus conservatur. Si vero nescirem rerum origines, tamen ex ipsis cœli rationibus multisque aliis rebus probare possim, mundum non fuisse a Diis factum; tot tantisque vitiis laborat. Principio, orbis quem rapidus cœli ambitus tegit magnam partem montes occupant et sylvæ ferarum domus, rupes etiam, vastæ paludes, et mare quod varias terræ regiones late separat. Præterea, duas fere totius orbis partes nimius calor (sub zona torrida), et continuum frigus (sub zonis frigidis) aufert mortalibus. Id terræ quod superest sentes solos produceret, nisi homines domarent, soliti victus quærendi causa bidenti valido ingemere, et depressis aratris terram proscindere; nisi nos, inquam, homines fœcundas glebas vomere vertentes, terramque subigentes, excitemus ad exerendam vim frugibus producendis aptam, profecto nunquam sponte sua nascerentur. Interdum tamen fruges labore magno quæsitas,

NOTÆ.

195. *Genitur*] Codd. *geritur*, nec melior quidem hæc vox *genitur* Lambini.

196. *Quod si jam rerum, &c.*] Sequuntur, v. 27. argumenta e vitiosa hujus mundi constitutione ducta: quippe Sapientissimi Artificis opus fuisset absolutum, non horridum montibus, sylvis, paludibus, &c. aliæ partes non rigerent perpetuo gelu, neque alias, nimii calores torrerent; deinde fruges potius quam spinas, sentes, et cætera inutilia produceret: denique nullis procellis vexaretur; non aleret feras humano generi infestas, neque varii morbi varias anni tempestates sequerentur, et funera præcipitarent: sed omnia fuissent optime disposita et ornata, quieti atque usibus humani generis accommoda, et Deo digna.

202. *Avidam partem*] Magnam, ingentem; interpretes, quia viz. avidi magna omnia desiderant, vel quia avide occupata est: quis feret hæc? *Avidam*, bibulam, Nardius, nam terra est humoris avidissima; inepte. Nec porro interpretes prætendant,

Avido *complexu quem tenet æther*,

lib. 2. v. 1065. non attinet. Melius igitur cum vulg. legatur, aliam, sed potius *habitant*; neque insolentius *montes habitant*, quam *sylvæ possident*.

206. *Geli*] Veteres tam *gelus* quam *gelu*.

215 Cum jam per terras frondent, atque omnia florent;
Aut nimiis torret fervoribus ætherius Sol,
Aut subiti perimunt imbres, gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Præterea genus horriferum Natura Ferarum,
220 Humanæ genti infestum, terraque marique,
Cur alit, atque auget? cur Anni tempora morbos
Apportant? quare Mors immatura vagatur?
Tum porro Puer, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
225 Vitali auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum 'st,
Cui tantum in vita restet transire malorum.
At variæ crescunt Pecudes, Armenta, Feræque;
230 Nec crepitacula eis opu' sunt, nec cuiquam adhibenda 'st
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela:
Nec varias quærunt Vesteis pro tempore Cœli.
Denique non Armis opus est, non Mœnibus altis,
Queis sua tutentur, quando omnibus omnia large
235 Tellus ipsa parit, naturaque dædala rerum.
Principio, quoniam Terraï corpus, et Humor,
Aurarumque leves animæ, calidique Vapores,
E quibus hæc rerum consistere Summa videtur,

cum jam floreant per terras, et lætæ messis spem faciant, vel nimio calore sol urit, aut subiti imbres, et gelidæ pruinæ enecant, aut procellæ turbine violento jactant, et prosternunt. Præterea, cur natura terra marique nutrit et auget horrendas feras humano generi infestas? Quare variæ tempestates anni varios afferunt morbos, quare tam frequentia sunt immatura funera? Deinde puer, ut naufragus a sævis undis projectus, nudus humi jacet, infans, omni vitæ auxilio indigus, cum primum ex utero matris illum in oras luminis profundit natura, lugubri vagitu locum complet, ut par est, cui tot mala sunt in vita subeunda. At pecudum, pecorum, et ferarum varia genera crescunt, non est iis opus crepitaculis, neque ulli eorum blanda et diminuta verba almæ nutricis adhibenda sunt; neque diversas vestes pro diversa anni tempestate quærunt: denique non armis opus est, non altis mœnibus quibus se suaque defendant, quoniam tellus et natura rerum formatrix sponte omnibus omnia abunde subministrat. Principio, quoniam terra, aqua, aër, ignis e quibus hic mundus componi videtur,

NOTÆ.

222. *Apportant*] *Important*, Lambinus, infra, v. 370.

Aut aliam quamvis cladem importare *periculi.*

223. *Tum porro puer*, &c.] V. 13. aliud habes argumentum; si Dii mundum fecissent, melior foret hominum, quam aliorum animalium conditio: at longe deterior, et si rem ipsam attendas, brutis parens videtur natura, hominibus noverca.

225. *Vitali auxilio*] Ita Muretus, dum codd. *vitaï*.

230. *Nec crepitacula eis opu' sunt*] Codd. *Nec crepitacula eis opus est*, et rectius: Plautus,

Puero opus est cibum.

236. *Principio, quoniam*, &c.] Depulsis iis præjudiciis quæ Stoicorum vanitas aut vulgi superstitio opinioni suæ opposuerat, v. 12. hoc modo disputat; cum ea sit natura totius quæ partium, et observemus mundi partes, terram, viz. aquam, aërem, et ignem subinde mutari, aliquando diminui, et deinde refici; dicendum est totam compagem esse pariter mortalem.

Omnia nativo ac mortali corpore constant:
240 Debet tota eadem Mundi natura putari.
Quippe etenim quorum parteis, et membra videmus
Corpore nativo et mortalibus esse figuris;
Hæc eadem ferme mortalia cernimus esse,
Et nativa simul. Quapropter maxima Mundi
245 Cum videam membra, ac parteis consumta regigni;
Scire licet, Cœli quoque idem Terræque fuisse
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.
Illud in his rebus ne me arripuisse rearis,
Memmi, quod Terram, atque Ignem mortalia sumpsi
250 Esse: neque Humorem dubitavi, Aurasque perire;
Atque eadem gigni, rursusque augescere dixi.
Principio, pars Terraï nonnulla perusta
Solibus assiduis, multa pulsata pedum vi
Pulveris exhalat nebulam, nubeisque volanteis,
255 Quas validi toto dispergunt aëre venti:
Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte sua quodcunque alid auget,
Roditur; et quoniam dubio procul esse videtur
260 Omniparens, eadem rerum commune sepulcrum:

mortalia sunt et nativa, aliquando nascuntur, aliquando intereunt, totus etiam mundus mortalis et habendus. Nam quorum partes et membra videmus mortalia et nativa, illa ipsa quoque cernimus mortalia et nativa: quapropter cum videam præcipuas partes et maxima mundi membra semel consumta refici, concludere licet cœlum terramque (totum mundum) aliquando incepisse, et aliquando interitura fore. Ne vero, O Memmi, putes me quod probare non possum temere suscipiisse, cum supponerem terram et ignem mortalia esse, neque dubitaverim aquam et aërem aliquando interire, aliquando nasci, et augeri; accipe argumenta. Principio, nonnulla pars terræ continua calore solis perusta, et multorum hominum pedibus pulsata, nebulam pulveris subtilisque volutare exhalat, quas nubes pulveris validi venti toto aëre dispergunt: pars etiam terræ pluviis madefactæ in aquam vertitur, et præterfluentia flumina partes riparum suarum auferunt. Præterea, quodcunque aliquibus sui partibus auget aliud, id ipsum consumitur; quoniam vero terra res omnes producit et alit, et res omnes intereuntes eadem recipit,

NOTÆ.

240. *Debet tota eadem*] Gifanius, *debet eadem omnia*, viz. æque nativo et mortali corpore constare.

243. *Hæc eadem ferme*] Debuit plane et diserte concludere, sed ita alibi locutus est. Donatus *ferme* pro *facile*: Terent. Andr. Act. 3. Sc. 1.

248. *Illud in his rebus, &c.*] Quod vero principias partes, et maxima mundi membra, terra, aqua, aër, ignis significantur, et [illegible] v. 59. [illegible] Multa [illegible] partibus [illegible] mtur, et [illegible] flumina [illegible] qua item [illegible] is vi solis [illegible] tibus subterraneis terræ formam induit, v. 12. Aërem, qui recipit omnes particulas e rebus omnibus perpetuo fluentes, et res illas omnes reficit, nemo dixerit æternum, aut immortalem, v. 8. De igne denique idem concludendum, cum radii solis, qui unicus est lucis et ignis fons, quolibet momento emissi pereunt; ideoque quod sol ipse reparetur, æque ac lychni et tedæ, omnino confitendum, v. 25.

Ibid. *Arripuisse*] Arripere, assumere non datum aut concessum ab altero. Tullius, lib. 1. de Nat. Deor. *Arripere mihi videmini, quasi vestro jure, rem nullo modo probabilem.*

258. *Alid auget*] Alii, *alit, auget.*

Ergo Terra tibi limatur, et aucta recrescit.
Quod superest, Humore novo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, et latices manare perenneis,
Nil opus est verbis, magnus decursus aquarum
265 Undique declarat: sed primum quicquid Aquaï
Tollitur, in summaque fit, ut nihil Humor abundet,
Partim quod validi verrentes æquora venti
Deminuunt, radiisque retexens ætherius Sol;
Partim quod subter per terras diditur omneis:
270 Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies Humoris, et ad caput amnibus omnis
Convenit; inde super terras fluit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
275 Innumerabiliter privas mutatur in horas.
Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare: qui nisi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam resoluta forent, et in Aëra versa:
280 Haud igitur cessat gigni de rebus, et in res
Recidere assidue, quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, ætherius Sol
Inrigat assidue cœlum candore recenti,
Suppeditatque novo confestim lumine lumen;
285 Nam primum quicquid fulgoris disperit eii,

necesse est, ut terra pereat et nascatur, ut aliquando minus, aliquando majus sit illius corpus. Deinde mare, flumina, fontes novo humore semper abundare, aquasque perennes fluere non opus est argumentis quibus confirmarem; nam magni fluvii undique in mare decurrentes id demonstrant: sed primo, aliquid aquæ consumitur, et fit ut tota moles aquæ nimia non sit, partim quoniam validi venti verrentes æquora diminuunt aquas, et ætherius sol radiis suis attenuat et devat, partim quoniam per subterraneos meatus distribuitur; per istos enim meatus aquæ marinæ rivuli feruntur, qui ad fontem amnium convenientes erumpunt, et inde super terras fluunt dulci agmine qua via semel secta undas liquido pede detulit (ubicunque egeritur humus, et fit fossa). Nunc de aëre dicendum est, qui singulis horis, infinitis pene modis, toto suo corpore mutatur. Nam quodcunque de rebus fluit in magnum aëris mare fertur, qui aër nisi vicissim rebus corpora retribuat, et reficiat fluentes, omnes res jam jam resolutæ fuissent, et in aërem mutatæ. Aër igitur jugiter oritur de rebus aliis, et in res alias redit, certum enim est res omnes in perpetuo fluore esse, particulas emittere, et diminui. Item ætherius sol largus liquidi luminis fons, assidue nova luce perfundit cœlum, et lucem nova luce confestim reficit; nam ea lux quæ primo emittitur, quam primum attigerit partem in quam destinatur,

NOTÆ.

261. *Limatur*] *Libatur*, melius.

265. *Sed primum quicquid*] Quidque, ut sæpe alias, et v. 285.

Nam primum quicquid *fulgoris disperit eii.*

Item v. 305.

268. *Retexens*] Ἀναλύων, καταλύων; resolvens.

272. *Agmine dulci*] *Agmen* pro *actu* et *ductu* quodam ponere non inelegans est. Ut,

Leni fluit agmine *Tibris;*

Macrobius, Satur. 6. cap. 4.

281. *Fluere omnia constat*] Supra, lib. 4. v. 228.

Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi.

283. *Inrigat*] Sol enim *fons* luminis. Vid. v. 661. et lib. 4. v. 376.

Quocunque accidit: id licet hinc cognoscere possis,
Quod simul ac primum nubes succedere Soli
Cœpere, et radios inter quasi rumpere lucis,
Extemplo inferior pars horum disperit omnis,
290 Terraque inumbratur, qua nimbi cunque feruntur;
Ut noscas splendore novo res semper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire;
Nec ratione alia res posse in sole videri,
Perpetuo ni suppeditet lucis caput ipsum.
295 Quin etiam nocturna tibi, terrestria quæ sunt,
Lumina, pendentes Lychni, claræque coruscis
Fulguribus, pingues multa caligine Tedæ,
Consimili properant ratione, ardore ministro,
Suppeditare novum lumen, tremere ignibus instant;
300 Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit:
Usqueadeo properanter ab omnibus ignibus ejus
Exitium celeri toleratur origine flammæ.
Sic igitur, Solem, Lunam, Stellasque putandum
Ex alio, atque alio lucem jactare subortu,
305 Et primum quicquid flammaï perdere semper:
Inviolabilia hæc ne credas forte vigere.
Denique non Lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas Turreis ruere, et putrescere Saxa?
Non delubra Deûm, Simulacraque fessa fatisci?
310 Nec sanctum numen fati protollere fineis

perit: id autem ita esse hinc potes cognoscere, quod simul ac nubes subeant solem, et radios lucis quasi interrumpunt, statim pars omnis radiorum quæ est infra nubes perit, et quacunque nubes feruntur, terra inumbratur: atque hæc probant res nova luce semper indigere, et lucem primo emissam perire; nec alia ratione res in luce videri posse, nisi sol ipse fons lucis novos radios perpetuo emittat. Quinetiam nocturna lumina, quæ sunt terrestria, pendentes viz. lychni, tedæ coruscis fulgoribus micantes, multoque fumo pingues, pari ratione ministerio ignis novam lucem perpetuo suppeditare properant, instant tremere ignibus (tremulos radios jugiter emittunt), nec lux quasi interrupta relinquit loca (et continuata luce ædes illustrantur); tanta celeritate lux ista tedarum quolibet momento evanescens, ab omnibus illarum ignibus nova luce instauratur: pariter credendum est, solem, lunam, et stellas lucem novam perpetuo suborientem emittere, et semper perdere primam quamque lucem quam emittunt; ne forian credas illa integra semper vigere, et æterna. Denique nonne vides lapides ab ævo vinci? nonne altas turres ruere, saxa etiam putrescere? Deorum templa, imo ipsa simulachra tandem corrumpi, et collabi? Nec Deos ipsos templa sua et simulachra diutius conservare

NOTÆ.

287. *Succedere soli*] Virgilius, Geor. 3.
Aut tecto assuetus coluber succedere, *et umbræ.*
Idem, lib. 4.
—*Atque alto* succedere *cœlo.*

299. *Tremere ignibus*] Tremulos radios spargunt lychni, et tedæ.

307. *Denique non lapides, &c.*] Superiora argumenta confirmat, v. 12. Quæ solidissima videmus, sentiunt vires temporis, et putrescunt. Turres, templa, Deorum simulachra (nec illa Numen ipsum sustentare potest) quis non videt quotidie labantia? saxa denique, quæ integra vidimus brevi tempore labefacta sunt, et montibus avulsa cadunt. Quis autem dicat illa ab æterno extitisse, quæ temporis finiti vires perferre nequeant?

309. *Fessa fatisci*] Faber, *fissa fatisci.*

310. *Protollere fineis*] Proferre. Plautus, *Neque viri vitam sinet in crastinum protolli.*

Posse, neque adversus naturæ fœdera niti?
Denique non Monumenta virum dilapsa videmus
Cedere proporro, subitoque senescere casu?
Non ruere avolsos Silices a montibus altis,
Nec validas ævi vireis perferre, patique
Finiti? neque enim caderent avolsa repente,
Ex infinito quæ tempore pertolerassent
Omnia tormenta ætatis privata fragore.
Denique jam tuere Hoc circum, supraque, quod omnem
Continet amplexu terram; quod procreat ex se
Omnia (quod quidam memorant) recipitque peremta:
Totum nativum mortali corpore constat.
Nam quodcunque alias ex se res auget, alitque,
Deminui debet, recreari cum recipit res.
Præterea, si nulla fuit genitalis origo
Terraï et Cœli, semperque æterna fuere;
Cur supera bellum Thebanum, et funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?

posse quam leges naturæ patiuntur et permittunt? Denique nonne videmus hominum monumenta labi, subito casu tanquam senio confecta ruere? Nonne etiam videmus saxa montibus altis avulsa cadere, neque validas vires ævi finiti pati posse? Profecto enim ista jam non repente avulsa ruerent, si ab æterno omnes ævi vires impetusque infracta sustinuissent. Denique intuere hoc (cœlum) quod circum supraque omnem terram complectitur, quod ex se procreat omnia (uti quidam docent) et eadem peremta recipit, nam id totum nativum prorsus et mortale est: quodcunque enim ex se nutrit augetque alias res, id ipsum debet deminui, et refici iterum, cum istas res dissolutas recipit. Deinde si nullus fuerit dies natalis terrarum et cœli, sed ab æterno extiterint; cur non varii poetæ carmine explicarunt varias res gestas ante bellum Thebanum, et Trojæ excidium?

NOTÆ.

313. *Cedere proporro, &c.*] Gifanius,

Quærere *pro porro* sibi cunque *senescere* credas.

Id est, ut credas ea aliquando sibi quærere senectutem: sed melior vulgata lectio. Faber autem rejicit, *Denique non monumenta, &c.* et legit,

Omniaque *ut porro, subitoque senescere* credas,

Non ruere avulsos, &c.

Sed huic etiam conjecturæ vulgatam lectionem libenter præferam.

319. *Denique jam tuere, &c.*] V. 6. illos refutat, qui omnia e cœlo oriri, et in cœlum iterum resolvi sentiunt, et tamen cœlum ipsum immortale et æternum asserunt; nam quod in alias res vertitur, et quod ex iis rebus solutis reparatur et reficitur, id nativum prorsus et mortale.

325. *Præterea, si nulla fuit, &c.*] Mundi novitas, v. 14. probatur, tum ex eo, quod historiæ omnium antiquissimæ Thebano aut Trojano bello superiores non sint, ut esse deberent, si mundus foret, non dico æternus, sed multo vetustior; tum ex eo quod artes omnes recens adinventas habemus, siquidem authores omnium memorantur; cum, si mundus nunquam cœpisset, deberent artes, ac potissimum vitæ utiles semper extitisse. Macrobius in Somn. Scip. lib. 2. cap. 10. *Quis non hinc existimet mundum quandoque cœpisse, nec longam retro hujus ætatem, cum abhinc ultra duo retro annorum millia de excellenti rerum gestarum memoria ne Græca quidem extet historia. Nam supra* Ninum, *a quo Semiramis secundum quosdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum est. Si enim ab initio, imo ante initium fuit mundus, ut Philosophi volunt, cur per innumerabilium seriem seculorum non fuerat cultus, quo nunc utimur, inventus? Non literarum usus, quo solo memoriæ fulcitur æternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti ætate pervenit? Ut ecce Galli vitem, vel cultum oleæ Roma jam adolescente didicerunt; aliæ vero gentes adhuc multa nesciunt, quæ nobis inventa placuerunt. Hæc omnia videntur æternitati rerum repugnare, dum opinari nos faciunt certo mundi principio singula quæque cœpisse.*

Quo tot facta virûm toties cecidere? nec usquam
330 Æternis famæ monumentis insita florent?
Verum (ut opinor) habet novitatem Summa, recensque
Natura 'st Mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc Artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt; nunc addita Navigiis sunt
335 Multa: modo Organici melicos peperere sonores.
Denique Natura hæc rerum, Ratioque reperta 'st
Nuper, et hanc Primus cum primis Ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.
Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis;
340 Sed periisse hominum torrenti sæcla vapore,
Aut cecidisse urbeis magno vexamine Mundi,
Aut ex imbribus assiduis exîsse rapaceis
Per terras Amneis, atque oppida cooperuisse:
Tanto quippe magis victus fateare necesse 'st,
345 Exitium quoque Terraï, Cœlique futurum.
Nam cum res tantis morbis tantisque periclis
Tentarentur, ibi si tristior incubuisset
Causa; darent late cladem, magnasque ruinas:
Nec ratione alia mortales esse videmur
350 Inter nos, nisi quod morbis ægriscimus îsdem,
Atque illi, quos a vita natura removit.
Præterea, quæcunque manent æterna, necesse 'st,

Quo tot et tanta hominum facinora ceciderunt? nec usquam insita æternis famæ monumentis vigent? Verum, ut puto, mundus non est admodum vetustus, neque multis abhinc annorum millibus incœpit esse: atque hanc ob causam multæ artes etiam hodie inveniuntur, perficiuntur multæ; hodie multa navibus sunt addita; nuper ab organicis musica reperta est. Denique hæc Philosophia, quam nunc doceo, nuper inventa est, et ipse primus sum qui nunc illam Latino carmine et termone explicem. Quod si forte credas eadem (easdem artes) quæ nunc vigent olim fuisse, sed homines igne periisse, urbes terræ motibus eversas cecidisse, vel rapidos amnes assiduis imbribus auctos terras inundasse, et oppida obruisse, tanto magis necesse est ut credas terram et cœlum aliquando interitura. Nam cum res tantis morbis tantisque periculis affligerentur, si vis vehementior impetum fecisset, dissolutæ penitus corruissent: nec alia ratione conjicimus nos mortales esse, nisi quod iisdem morbis tentamur quibus illi obnoxii erant quos mors rapuit. Præterea, quodcunque æternum et immortale est, necesse est

NOTÆ.

336. *Natura hæc rerum*] Physicam intelligit: plane eadem ratione Horatius, qui interdum audacior est, de Pythagora dixit,

Naturæ *non sordidus author*: *Faber*.

339. *Quod si forte, &c.*] His argumentis nonnulli Philosophi hoc modo respondent; Olim artes istæ viguerunt, quæ nunc florent, sed aliquando ignis, aliquando aqua delevit, vel terræ motus hausit humanum genus: inde jam novæ videntur nobis et recentes. Hoc responsum retorquet Poeta, v. 13. Nam orbem aliquando ignibus perustum, aliquando aquis obrutum, aut terræ motibus diruptum nemo sanus æternum dixerit: ideo enim hominem dicimus mortalem, quoniam illis morbis tentatur, qui in alios vehementius incidentes eos abstulerunt.

352. *Præterea, quæcunque, &c.*] Nihil æternum aut immortale agnoscit Epicurus, præter corpora perfecte solida, inane, et τὸ πᾶν, Universum: at mundus non est corpus perfecte solidum, nec inane, neque, cum infiniti sint mundi, hæc compages potest dici Universum, v. 24. vid. lib. 3. v. 807.

Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
355 Dissociare intus parteis, ut Materiaï
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante:
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut Inane 'st,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
360 Aut etiam, quia nulla loci sit copia circum,
Quo quasi res possint discedere, dissolvique;
Sicut summarum Summa 'st æterna, neque extra
Quis locus est, quo dissiliant; neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et valida dissolvere plaga.
365 At neque (uti docui) solido cum corpore Mundi
Natura 'st, quoniam admistum 'st in rebus Inane:
Nec tamen est ut Inane: neque autem Corpora desunt,
Ex Infinito quæ possint forte coorta
Proruere hanc rerum violento turbine Summam,
370 Aut aliam quamvis cladem importare perîcli:
Nec porro natura loci, spatiumque profundi
Deficit, exspergi quo possint mœnia Mundi,
Aut alia quavis possint vi pulsa perire.
Haud igitur lethi præclusa 'st janua Cœlo,
375 Nec Soli, Terræque, nec altis Æquoris undis:
Sed patet immani, et vasto respectat hiatu.
Quare etiam Nativa necessum 'st confiteare
Hæc eadem: neque enim, mortali corpore quæ sunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuissent
380 Immensi validas ævi contemnere vireis.
Denique tantopere inter se cum maxima Mundi

ut vel perfecte solidum sit, ita ut nulla vis frangere, nulla inter partes ejus se insinuare, et earum unionem dissolvere valeret; qualia sunt prima materiæ corpora (atomi) quorum naturam supra docuimus: aut ideo æternum est, quia est intactile, et ictui non obnoxium; quale est inane: aut ideo æternum quia nullum est ex ulla parte spatium, in quod partes illius solutæ dispergi possunt; quam ob causam Universum (τὸ πᾶν) immortale est, extra quod nullum est spatium quo partes solutæ fugiant, neque ulla sunt corpora quæ in illud incidere, suoque violento impetu diffringere valerent. At vero ut superius docui, mundus non est res perfecte solida, quoniam in omnibus rebus compositis inane est admixtum: neque inane est: neque desunt corpora quæ ex infinito advenientia periculum huic mundo inferre, ejusque compagem diffringere aut dissipare valerent: neque deest spatium quo mundi partes dissolutæ dispergi possint, aut alia qualibet vi pulsæ interire. Igitur lethi janua non præclusa est cœlo, neque soli, neque terræ, neque mari, sed immani et vasto hiatu patens illis obversa est (igitur mortalia sunt mare, terra, cœlum, &c.). Insuper fateare necesse est hæc eadem non ab æterno extitisse, nam quæcunque mortalia sunt, et aliquando interibunt, non potuissent infiniti temporis validas vires ab æterno sustinuisse. Denique, cum maxima mundi hujus

NOTÆ.

377. *Quare etiam Nativa, &c.*] Ex eo quod finem habiturus est mundus, concludit, v. 4. initium habuisse: nam quod aliquando peribit, olim periisset.

381. *Denique tantopere, &c.*] Aliud demum argumentum deducit, v. 36. a pugna continua (elementorum) præcipuarum mundi partium. Cum enim ignis cum aqua commitatur, et modo incendia, modo elaviones superent, quidni tandem cum

Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Posse dari finem? vel cum Sol, et Vapor omnis
385 Omnibus epotis humoribus exsuperarint,
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur,
Tantum suppeditant Amnes, ultroque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti;
Nequicquam: Quoniam verrentes æquora venti
390 Deminuunt, radiisque retexens ætherius Sol;
Et siccare prius confidunt omnia posse,
Quam liquor incœpti possit contingere finem.
Tantum spirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter se cernere certant:
395 Cum semel in terra fuerit superantior Ignis,
Et semel (ut fama 'st) Humor regnârit in arvis.
Ignis enim superavit, et ambens multa perussit,
Avia cum Phaëthonta rapax vis Solis equorum
Æthere raptavit toto, terrasque per omneis.
400 At pater Omnipotens ira tum percitus acri
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram; Solque cadenti
Obvius æternam succepit lampada mundi;
Disjectosque redegit equos, junxitque trementeis:
405 Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans.
Scilicet, ut veteres Graiûm cecinere Poetæ;
Quod procul a vera 'st animi ratione repulsum:

membra sint sibi invicem contraria, belloque impio se mutuo infesta petunt, nonne vides aliquem finem longo illorum certamini imponi posse? vel cum sol et ignis epotis omnibus humoribus superaverint, quod certant facere, sed nondum quæ conantur possunt perficere, tantum humoris amnes assidue suppeditant, et aquis e vasto oceano erumpentibus diluvium minantur; frustra, quoniam venti validi verrentes æquora, et ætherius sol radiis suis attenuans, et elevans, diminuunt aquas, et confidunt se posse siccare omnia, priusquam humor incœptum suum perficiat, et diluvium inducat: ita aquis viribus certatim magnis de rebus pugnant. Semel autem superavit ignis, et vastavit terram; et semel, ut fama est, humor orbem terrarum obruit. Ignis superavit, cum violenti equi solis recto tramite exilientes raptârunt Phaëthonta per totum cœlum, et terras omnes illi cœlo substratas. At Jupiter ira vehementi tum commotus repenti ictu fulminis e curru in terram dejecit magnanimum Phaëthontem; et Phœbus cadenti Phaëthonti obvius æternam mundi lampada (solem) suscepit, dispersos et vagantes equos reduxit, et trementes, et fulmine territos currui iterum subjunxit; et per antiquum tramitem currum agens, recreavit omnia, et refecit. Scilicet, hæc canunt veteres Græci Poëtæ, quæ absurda plane sunt, et futilia commenta:

NOTÆ.

totius mundi ruina hæc concertatio terminetur? Quod vero magna incendia et diluvia contigerint, de Phaëthonte et Deucalione fabulæ demonstrant, nam igne vastata, et aquis obruta erat terra; licet Poëtæ inepte finxerunt incendium istud et diluvium interventu Deorum erupisse, et cessâsse.

382. *Pio nequaquam*] Impio, quia bellum hoc est civile et intestinum.

388. *Diluviare*] Diluvio obruere.

396. *Regnârit*] *Superârit*, et versu 399. *terrasque perussit*, Gassendus.

397. *Ambens*] Ambedens ab *ambedo*; sic *ambesse* pro *ambedere*. Alii, *ambiens*.

407. *A vera 'st animi*] Melius, *vera nimis est*.

Ignis enim superare potest, ubi Materiaï
Ex infinito sunt corpora plura coorta;
410 Inde cadunt vires aliqua ratione revictæ,
Aut pereunt res exustæ torrentibus auris.
Humor item quondam cœpit superare coortus,
Ut fama 'st hominum, multas quando obruit urbeis;
Inde ubi vis aliqua ratione aversa recessit,
415 Ex Infinito fuerat quæcunque coorta,
Constiterunt Imbres, et Flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modis conjectus Materiaï
Fundârit Cœlum ac Terram, Pontique profunda,
Solisque et Lunæ cursus, ex ordine ponam.
420 Nam certe neque consilio Primordia rerum
Ordine se quæque, atque sagaci mente locârunt;
Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:
Sed quia multa modis multis Primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
425 Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possent congressa creare;
Propterea fit, uti magnum volgata per ævum
Omnigenos cœtus, et motus experiundo,
430 Tandem ea conveniant, quæ ut convenêre repente

nam ignis potest superare, quando sunt plurima igneæ materiæ corpuscula ex infinito in hunc mundum delata; tum autem illius materiæ vires aliqua ratione repressæ debilitari debent, aut nimio calore res perustæ interibunt. Humor item, uti fertur, aliquando superior evasit, quando multas urbes obruit: deinde vero cum ista humoris materia quæ ex infinito in hunc mundum defluxit, aliqua ratione vel impedita, vel aversa fuit, cessarunt imbres, et decreverunt flumina. Sed quibus modis rerum semina temere conjecta constituerunt cœlum, terram, mare, solem, lunam, ordine exponam: nam profecto semina rerum nulla providentia aut sagacitate mentis se in suo ordine collocârunt, neque inter ea convenit quibus motibus quæque uterentur; sed quia infinita rerum semina ab æterno aliorum ictibus vel suo pondere agitari solebant et moveri, omnibus modis convenire, et pertentare omnia, quæcunque hisce cœtibus facere et componere valerent; inde fit, ut per tempus infinitum volitantia, et motus cœtusque omnigenos experiundo, tandem illa semina convenirent, quæ subito conjuncta

NOTÆ.

413. *Ut fama 'st hominum, &c.*] Gifanius,

Ut fama est, hominum multos quando obruit *undis*.

Vossius, *hominum multas*, id est crimina hominum, sive impios homines: at quid hic loci Lucretius cum criminibus hominum? profecto Epicureus nunquam credidit istas aquas ad eluenda hominum peccata fuisse terrarum orbi immissas.

417. *Sed quibus ille modis, &c.*] Nativi hujus mundi exordium explicaturus, Deos, omnemque Providentiam longe removet; et totum opus materiæ permittit, v. 16. Inde *Chaos*, rudis et indigesta particularum congeries, quæ huc et illuc agitatæ, tandem pares cum paribus convenerunt, inde mare, cœlum, terra, sol, sidera, et quæcunque hic mundus continet. v. 17. Plutarchus ex Epicuro, de Placit. Phil. lib. 1. cap. 4. Ὁ τοίνυν κόσμος συνίστη περιπεπλασμένῳ σχήματι ἰσχηματισμένος τὸν τρόπον τοῦτον, τῶν Ἀτόμων σωμάτων, ἀπειρονόντων, καὶ τυχαίαν ἰχόντων κίνησιν, συνιχῶς τι, καὶ τάχιστα κινουμένων, εἰς τὸ αὐτὸ πολλὰ σώματα συνεθροίσθη, ϛ διὰ τοῦτο ποικιλίαν ἔχοντα ϛ σχημάτων, ϛ μεγεθῶν.

419. *Solisque et lunæ*] Alii, *solis, lunaï*.

430. *Tandem ea conveniant, quæ ut convenêre repente*] Alii, *tandem conveniunt* ea *quæ* conjuncta, &c. et melius. In sequenti versu pro *sæpe* Faber legit *nempe*; ut et

Magnarum rerum fiant exordia sæpe,
Terraï, Maris, et Cœli, generisque Animantum.
Hic neque tum Solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, neque magni Sidera mundi,
435 Nec Mare, nec Cœlum, nec denique Terra, neque Aër,
Nec similis nostris rebus res ulla videri:
Sed nova tempestas quædam, molesque coorta.
Diffugere inde loci partes cœpere, paresque
Cum paribus jungi res, et discludere Mundum,
440 Membraque dividere, et magnas disponere parteis
Omnigenis e Principiis, discordia quorum
Intervalla, Vias, Connexus, Pondera, Plagas,
Concursus, Motus turbabat, prœlia miscens,
Propter dissimileis formas variasque figuras;
445 Quod non omnia sic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter sese dare convenienteis:
Hoc est a Terris altum secernere Cœlum,
Et seorsum Mare uti secreto humore pateret,
Seorsus item puri, secretique ætheris Ignes.
450 Quippe etenim primum Terraï corpora quæque,

sæpe fiant magnarum rerum, terræ viz. maris, cœli, atque animalium, exordia. Tum temporis neque solis currus multa luce coruscus per altum æthera agitatus, nec sidera immensi cœli, nec mare, neque cœlum, nec terra, nec aër, nec res ulla similis nostris rebus videri potuit; sed rudis quædam et informis particularum temere agitatarum congeries. Deinde variæ partes in diversa loca secedere cœperunt, pares res cum paribus jungi, et mundum discludere; partes illius dividere, in ordinem redigere, et disponere membra ex hac confusa seminum congerie: nam seminum discordia e dissimilitudine formarum et figurarum varietate orta ita conturbabat intervalla, vias, connexus, pondera, plagas, concursus, motus, ut convenientes motus mutuo dare et mutuo accipere non potuerunt, et necessario fiat partium separatio. Inde magnum cœlum (aër) a terra secernitur, segregato et collecto omni humore latum mare extensum est, et puri ignes ætheris ab aliis rebus separati proprium locum sortiti sunt. Quippe primum singula terræ corpuscula,

NOTÆ.

lib. 2. v. 1060. At profecto vox *repente* modum tantum conjunctionis exprimit, ideoque illa, quam jactat Faber, emendatio nulla est. Vid. lib. 2. v. 1060.

438. *Inde loci*] Id est, *postea*. Infra, v. 740.

Inde loci *sequitur calor*.

Et v. 789.

Inde loci *mortalia sæcla creavit*.

439. *Discludere*] Discernere, distinguere, &c. At *disclusis* et *discludere*, lib. 3. v. 172. et lib. 6. v. 239. *diruptis* sonat, et *perrumpere*. Macrobius, Sat. lib. 6. cap. 2. his comparat illa Virgilii in Sileno,

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, et ipse tenerum mundi concreverit orbis:
Tum durare solum, et discludere *Nerea ponto*
Cœperit, &c.

447. *Hoc est a terris*] Explicatio illarum vocum, *dare motus convenientes*, id est, inquit, separare cœlum a terra, &c. *Faber*. Alia vero, quam posui, interpretatio non est inepta, et *cœlum* recte aërem interpretor.

450. *Quippe etenim*] Cum rudis et indigesta corpusculorum congeries in ordinem redigatur per motum, omnisque motus a gravitate oriatur, recte inquirit poeta quid atomi gravissimæ agant: existimavit autem Epicurus coacervatas confussasque atomos irrequieto et ingenito suo motu ita sese convolvisse, revolvisse, susque deque exagitasse, ut postremo crassiores omnes

Propterea quod erant gravia, et perplexa, coibant,
In medioque imas capiebant omnia sedes:
Quæ quanto magis inter se perplexa coibant,
Tam magis expressere ea, quæ Mare, Sidera, Solem,
455 Lunamque efficerent, et magni mœnia Mundi.
Omnia enim magis hæc e lævibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribu' sunt Elementis,
Quam Tellus: ideo per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus se sustulit Æther
460 Signifer, et multos secum levis abstulit Igneis:
Non alia longe ratione, ac sæpe videmus,
Aurea cum primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina Solis,
Exhalantque Lacus nebulam, Fluviique perennes;
465 Ipsa quoque interdum Tellus fumare videtur:
Omnia quæ sursum cum conciliantur in alto,
Corpore concreto subtexunt nubila Cœlum:
Sic igitur tum se levis, ac diffusilis Æther
Corpore concreto circumdatus undique sepsit,

quia gravia erant, et implicata, convenerunt; imasque sedes in medio capiebant. Quæ corpuscula quanto magis prestе et arcte unita sunt, tanto magis expresserunt ea corpuscula quæ efficerent mare, sidera, solem, lunam, et immensum cœlum; nam hæc omnia constant e principiis lævioribus, magis rotundis, et minoribus, quam terra: ideo per patentes meatus terræ cœlum stelliferum primum erumpens in altum ascendit; et multos ignes secum leve abstulit: pari pene modo ac sæpe videmus, cum primum matutina aurea lumina radiati solis rubent per herbas rore gemmantes (sol oritur) et lacus et fluvii perennes exhalant nebulam, ipsa quoque terra fumare (fumos emittere) videtur; quæ omnia (nebulæ viz. et fumi) cum in altum sublata condensantur, nubes fiunt, et concreto corpore subtexunt cœlum. Sic levis et diffusilis æther in spissum corpus ex omni parte condensatus seipsum continuit,

NOTÆ.

versus medium confluxerint, et tenuiores extrusione facta a crassioribus versus circumferentiam avolarint. Porro ex crassioribus quidem illis conflatum fuisse terræ corpus, quod semina aquæ in se contineret, ut quæ non potuissent perinde avolare cum cæteris: at e cæteris, quod varii in ipsis tenuitatis gradus forent, quasdam restitisse non longe a terra, constituisse aërem, reliquas altius emersisse, et constituisse ætherem, et extrusa simul corpuscula ignea coiisse in eas moles, quæ in illo adhuc colluceut, et appellantur sidera. Corpora denique illa minora rotunda, lævia fuisse, ad eum motum in circumferentiam per elisionem, seu expressionem a crassioribus factam sic determinata, ut cum ex massa tamen non exirent viis parallelis, neque juxtim inciderent, idcirco in ipso progressu sibi varie occursitarint, impetumque acceptum mutuo refregerint, quo usque impetu denique cessante, quæ promotiores, sive a medio remotiores extiterunt, effectæ sunt sibi invicem implicitæ, seseque mutuo continentes, comprimentes, atque idcirco speciem quandam mœniorum mundi creantes; et quæ deinceps eo appulerunt, ita sunt ab illis reflexæ, ut ab aliis subinde occursantibus tota illa ætherea atque cælestis regio fuerit exinde concinnata. Licebit id forte intelligere ea comparatione, qua Lucretius rem explicat, dum id potuisse fieri ostendit, ut quando vapores et halitus ex aqua terraque prodeuntes, et sublime elati ita sursum addensantur, concrescuntque in nubila, ut illic fiat quasi laquear, sub quo aër qui restat nobis aspectabilis contineatur. Hæc, v. 21. vid. etiam Plutarchum, cap. 4. lib. 1. de Placit. Phil.

452. *In medioque imas*] Turnebus, *in medio, atque imas.*

460. *Signifer*] Alii, *ignifer.*

465. *Ipsa quoque*] Alii, *ipsuque ut.*

470 Et late diffusus in omneis undique parteis,
Omnia sic avido complexu cætera sepsit.
Hunc exordia sunt Solis Lunæque secuta;
Inter utrosque globi quorum vertuntur in auris:
Quæ neque Terra sibi adscivit, neque maximus Æther;
475 Quod nec tam fuerint gravia, ut depressa sederent,
Nec levia, ut possent per summas labier oras:
Et tamen inter utrosque ita sunt, ut corpora viva
Versent, et partes ut Mundi totius extent.
Quod genus in nobis quædam licet in statione
480 Membra manere, tamen cum sint ea, quæ moveantur.
His igitur rebus retractis, Terra repente,
Maxima, qua nunc se Ponti plaga cærula tendit,
Succidit, et salso suffudit gurgite fossas:
Inque dies quanto circum magis Ætheris æstus,
485 Et radii Solis cogebant undique Terram,
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,
In medio ut propulsa suo condensa coiret:
Tam magis expressus salsus de corpore Sudor

et longe lateque in omnes partes diffusus, ingenti ambitu reliqua omnia complexus est. Hunc ætherem surgentem principia, quæ constituunt solem et lunam (quorum globi inter ætherem et terram in auris volvuntur), secuta sunt; quæ principia neque terra retinuit, neque maximus æther recepit, quoniam neque erant tam gravia ut ad imum subsiderent, neque tam levia ut ad extremas mundi oras ascenderent. Tamen inter terram et ætherem ita sita sunt, ut duos globos perpetuo volvant, et sint mundi universi partes: ut in nostris corporibus quædam sunt membra quæ quiescunt, cum tamen sint alia quæ continuo moventur. Segregatis igitur his rebus (æthere viz. sole, luna, &c.), terræ ista pars qua nunc magnum mare extenditur, subsedit altius, et cavernas recipiendo humori salso idoneas excavavit. Posthac quo magis cœli calor et radii solis crebris ictibus undique trudebant versus centrum particulas terræ ad extremas oras multis poris et meatibus hiantis, ut pulsis versus medium particulis fiat corpus densius et magis compactum; eo magis salsus liquor de corpore ejus expressus

NOTÆ.

472. *Hunc exordia, &c.*] Ita terram totius mundi fundamentum, ita ætherem, mundi mœnia (cæteros planetas negligit) constituit, solem autem lunamque mediæ inter ætherem et aërem naturæ, quorum nempe principia erant aëriis leviora, graviora ætheriis, in ipsis ætheris aërisque confiniis collocat, ubi perpetuo, ut pulmones et corda in animalibus, moventur. v. 9.

473. *Inter utrosque globi*] Hunc versum delet Lambinus, parenthesi includit Gifanius. Faber legit *astrorumque, globi;* quam emendationem excute, et nulla videbitur. Astrorum enim ortum, v. 460. docuit.

—Se sustulit Æther
Signifer, et multos secum levis abstulit igneis.

Deinde, v. 477. in quo *corpora bina* non *viva* legendum, totam istam de astris fabulam evertit. Dele igitur versum, qui e v. 477. natus videatur.

481. *His igitur rebus, &c.*] Sed opus nondum perfectum est, nullibi enim, aqua, aër, ignis: fæculenta igitur ista congeries, quæ in imum confluxit, solis radiis ætherisque æstu ex omni parte pressa se contraxit; inde mare tanquam sudor emanavit, leviores autem particulæ altius evectæ elementum ignis et aëris constituerant: cum vero hujus congeriei particulæ quædam duræ magis essent rigidæque, omnes non pariter subsidebant; inde cava loca mari recipiendo idonea, inde etiam fluviorum alvei, inde denique plani campi, et montium altitudo, v. 18.

483. *Salso suffudit gurgite fossas*] *Subtus perfudit, et complevit*, Lambinus; alii legunt *suffodit:* nam Plutarchus ex Epicuro, καθ' αὑτὸ τὸ ὕδωρ ἐπιστὰν ἐκείλαυν τοὺς ὑποκειμένους τόπους.

Augebat Mare manando, camposque natanteis;
490 Et tanto magis illa foras elapsa volabant
Corpora multa Vaporis, et Aëris, altaque Cœli
Densebant procul a terris fulgentia templa:
Sidebant Campi, crescebant Montibus altis
Ascensus: neque enim poterant subsidere Saxa,
495 Nec pariter tantundem omnes succumbere partes.
Sic igitur Terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis Mundi quasi Limus in imum
Confluxit gravis, et subsedit funditus, ut Fæx.
Inde Mare, inde Aër, inde Æther ignifer ipse.
500 Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia: et liquidissimus Æther,
Atque levissimus Aërias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus Aëris auris
Commiscet: sinit hæc violentis omnia verti
505 Turbinibus; sinit incertis turbare procellis:
Ipse suos Igneis certo fert impete labens.
Nam modice fluere, atque uno posse Æthera nisu,
Significat Ponti Mare, certo quod fluit æstu,
Unum labendi conservans usque tenorem.
510 Motibus Astrorum nunc quæ sit causa, canamus.

fluendo mare extendebat; atque eo magis multa ignis et aëris corpuscula terrenis particulis exsoluta evolabant, et longe a terris fulgens altumque cœlum constituerunt. Plani campi subsidebant, eminebant montes alti; nam saxa, rigidæque terræ partes non potuerunt æque subsidere ac molliores. Hoc modo compactum fuit grave terræ corpus, veluti gravis limus in imum locum confluxit, et ut fæx totius mundi penitus subsedit. Inde mare, inde aër, inde cœlum ignibus repletum. Pura omnia corpuscula (quæ a limo et fæce longe aberant) corpora fluida composuerunt: alia autem aliis erant leviora, et æther fluidissimus atque levissimus supra aërem ascendens illi incumbit, nec purum, liquidumque corpus cum tumultuante et turbido aëre commiscet; sinit ista omnia violentibus ventis agitari, insertis procellis permisceri; ipse vero certo motu volvitur, omnesque suos ignes circumfert. Namque æthera uno certoque motu posse fluere demonstrat mare, quod certo æstu fluit, unum fluendi tenorem perpetuo conservans. Nunc canamus, quæ sit causa motibus astrorum.

NOTÆ.

499. *Inde mare, inde aër, &c.*] Motus astrorum ut rectius explicet, v. 11. præmittit, quibus docet ætherem levissimum et liquidissimum super inconstantem et turbulentum aërem evectum, procellarum omnium esse expertem, et constanti æquabilique motu fluere, neque enim iste motus ætheris incredibilis, cum perennis neque unquam recurrens sit Ponti Euxini in Propontidem fluxus.

500. *Omnia pura*] Terra enim limus et fæx totius mundi penitus subsedit.

505. *Turbare*] πανθορυβεῖν. *Faber.*

508. *Ponti Mare*] Ita recte Lambinus, qui aliquando scripsit, *tantum mare*. Non autem fluxus refluxusque oceani, quod ridicule Fayus existimavit (unde enim iste oceani motus similis sit ωνι ætheris *nisui?*), sed Maris Euxini cursus intelligendus est. *Ponto*, Gifanius, id est in *Ponto*, absurde; sed *Ponto* in libris invenit: ita vero, quasi *Ponto* vel *Pontū* pro *Ponti* codices nunquam exhiberent.

510. *Motibus Astrorum, &c.*] Physicorum munere se probe fungi existimant Epicurei, si possibiles quasdam motuum cœlestium causas assignent: id jam agit Lucretius, v. 25. Nam si totum cœlum moveatur, tum potest esse aër duplex, alter qui superne premat, cœlumque in occasum urgeat, alter qui inferne quasi subtervehat: si quiescat orbis, tum rapidæ quædam ætheris particulæ exitum in inane spatium quærentes, nec valida mundi mœnia perfrin-

Principio, magnus Cœli si vertitur orbis:
Ex utraque Polum parti premere Aëra nobis
Dicendum 'st, extraque tenere, et claudere utrinque;
Inde Alium supera fluere, atque intendere eôdem,
515 Quo volvenda micant æterni Sidera mundi:
Ast Alium subter, contra qui subvehat Orbem;
Ut fluvios versare Rotas, atque Haustra videmus.
Est etiam quoque uti possit Cœlum omne manere
In statione, tamen cum lucida signa ferantur:
520 Sive quod inclusi rapidi sunt Ætheris æstus,
Quærentesque viam circumversantur, et Ignes
Passim per Cœli volvunt se immania templa:
Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus Aër
Versat agens igneis; sive Ipsi serpere possunt,
525 Quo cujusque cibus vocat, atque invitat eunteis,
Flammea per cœlum pascenteis corpora passim.
Nam quid in hoc Mundo sit eorum, ponere certum
Difficile 'st: sed quid possit, fiatque per Omne
In variis Mundis varia ratione creatis,
530 Id doceo; plureisque sequor disponere causas
Motibus astrorum, quæ possint esse per Omne.
E quibus una tamen sit et hæc quoque causa necesse 'st,

Primo, si magnus cœli orbis volvatur, tum dicendum est aëra exteriorem cœli superficiem circumdare, et utrumque cœli polum (tam septentrionalem, quam australem) premere: aliam vero istius aëris partem supra fluere, et eo tendere, quo fulgentia æterni mundi sidera volvenda sunt; aliam autem subter fluere, quæ cœli orbem ab aëre supra fluente devolutum subvehat; eodem plane modo quo videmus fluvios rotas atque haustra versare. Potest quoque fieri ut totus cœli orbis quiesceret, interim tamen astra fulgentia volvantur. Sive quoniam rapidæ particulæ ætheris inclusæ sunt, et quærentes viam qua exeant circumferuntur, et per immensa cœli spatia stellas volvunt; sive quoniam aër extrinsecus fluens movet et versat, sive quoniam ipsi ignes possunt eo tendere quo proprium cuique alimentum vocat, atque trahit, corpora flammis nutriendis apta per cœlum passim depascentes. Nam difficile est asserere hanc vel illam causam veram certamque esse causam horum motuum in hoc mundo, sed quid possit fieri per Universum (τὸ πᾶν) in diversis mundis diverso modo formatis, id doceo, et astrorum motibus assigno plures causas, quæ per Universum esse possint, e quibus tamen causis una necesse est ut sit causa vera et certa

NOTÆ.

gere valentes, circumversantur, et secum astra rapiunt; vel aër aliquis externus irruit et versat; vel tandem ipsa prorepunt astra, prout corporibus igni suo alendo idoneis per cœlum ducuntur.

513. *Extraque tenere*] Alii, *et utraque tenere.*

515. *Æterni*] Cœlum Epicurus non dixerit *æternum.* Faber autem legit *alterni;* mundum vero seu cœlum *alternum* dixit, quod *alternis* dierum noctiumque vicibus modo sol modo stellæ prodeant, et cœlum vertatur.

517. *Haustra*] Rotarum cadi, ab hauriendo; *Nonius.*

522. *Immania templa*] Virgilius,

Posuitque immania *templa.*

Alii tamen *inania.*

Ibid. *Volvunt se*] Istud *se* delendum.

526. *Pascenteis corpora flammea*] Ut lib. 2.

—Depascimus *aurea dicta.*

Alii autem, *pascentes corpora sua flammea.*

533. *Quæ vegeat motum signis*] Alii, *quæ vegeat motu in signis. Veget* autem *vegetat,* erigit, excitat. Ennius.

—— *Æquora salsa* veges *ingentibus ventis.*

Quæ vegeat motum signis: sed quæ sit earum
Præcipere, haud quaquam 'st pedetentim progredientis.
535 Terraque ut in media Mundi regione quiescat,
Evanescere paullatim, et decrescere pondus
Convenit: atque aliam naturam subter habere
Ex ineunte ævo conjunctam, atque uniter aptam
Partibus Aëriis Mundi, quibus insita sidit.
540 Propterea non est oneri, neque deprimit auras;
Et sua cuique Homini nullo sunt pondere Membra:
Nec Caput est oneri Collo, nec denique totum
Corporis in Pedibus pondus sentimus inesse.
At quæcunque foris veniunt, impostaque nobis
545 Pondera sunt, lædunt permulto sæpe minora:
Usqueadeo magni refert, cui quæ adjaceat res.
Sic igitur Tellus non est aliena repente
Adlata, atque auris aliunde objecta alienis:
Sed pariter prima concepta ab origine Mundi;
550 Certaque pars ejus, quasi nobis Membra, videtur.
Præterea grandi tonitru concussa repente
Terra, supra se quæ sunt, concutit omnia motu:
Quod facere haud ulla posset ratione, nisi esset

quæ astra moveat et verset, sed quænam ex illis sit ista causa definire non est illius Philosophi, qui caute philosophatur. Et ut terra in media mundi regione quiesceret, æquum erat ut illius pondus paulatim decresceret, et diminueretur; ut vero id fiat, necesse est ut habeat aliam naturam (corpoream tamen) sibi subjectam, a prima sua origine conjunctam et unitam mundi partibus aëriis, quibus incumbit: ob hanc causam non est oneri partibus istis aëriis, neque eas premit. Ut cuilibet homini sua membra non sunt onerosa, nec caput premit collum, nec pedes sentiunt totius corporis pondus sibi incumbens; at quæcunque pondera nobis extrinsecus applicita imponuntur, lædunt, quamvis sæpe levia sint, neque magni ponderis: tanti refert quæ res cui rei adjungatur. Ita igitur tellus non aliena (alio loco et non simul cum auris quibus insidet formata) repente allata est, et auris alienis aliunde adjuncta, sed ab ipsa prima origine mundi una cum auris facta est, et certa pars mundi extitit, ut membra nostra una cum corpore constituta, et certæ partes videntur esse. Præterea, terra gravi tonitru repente concussa, omnia quæ supra se sunt concutit, et tremere facit, quod tamen nullo modo possit, nisi

NOTÆ.

535. *Terraque ut in media, &c.*] Merito autem aliquis inquirat, cum telluris grave pondus toties memorat Lucretius, cur in medio aëre quiescat, cur non perrumpat et in infinitum inane præceps descendat. Respondet Poeta, v. 16. quod quamvis telluri aër solus circumfusus esse contingat, quia tamen tam aër quam terra cognatione vincta tenentur, ejusdemque totius partes ab ipsa sui origine sunt, ideo aëri terra non est oneri, sed quasi omni gravitate compressioneque deposita illi insidet. Secus autem foret si terra hæc ex alio mundo adveheretur, sic enim suo pondere aërem istum premeret; quemadmodum minimum pondus nostris corporibus sentitur si extrinsecus apponatur, cum tamen nec caput, nec cætera membra sibi mutuo sint gravia, quod sibi mutuo congenea sint, communique jure vinciantur. Epicurus ad Herodotum dixit, τὴν γῆν τῷ Ἀέρι ἐπεχεῖσθαι ὡς συγγενῆ. Hanc vero telluris cum aëre connexionem probat, v. 6. quia fulmine, quod violentos in aëre motus excitat, concussa tremit. Deinde ne quis miretur aërem, qui sit res adeo tenuis, sustinere molem tantopere crassam, subjungit, v. 8. tenuissimam rem, animam viz. nostram, sustinere corpus ponderosum, imo saltu in altum tollere valere.

539. *Insita sidit*] Optime Lambinus, sed non ita Gifanius, qui, *vivit*.

546. *Cui quæ adjaceat res*] Gifanius, *quid quæ adjaceat res.*

Partibus aëriis mundi, cœloque revincta:
555 Nam communibus inter se radicibus hærent
Ex ineunte ævo conjuncta, atque uniter apta.
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Sustineat corpus tenuissima vis Animaï,
Propterea quia tam conjuncta, atque uniter apta 'st?
560 Denique jam saltu pernici tollere Corpus
Quis potis est, nisi vis Animæ, quæ membra gubernat?
Jamne vides quantum tenuis natura valere
Possit, ubi est conjuncta gravi cum corpore, ut Aër
Conjunctus terris, et nobis est Animi vis?
565 Nec nimio Solis major rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.
Nam quibus e spatiis cunque Ignes lumina possunt
Adjicere, et calidum membris adflare vaporem,
Illa ipsa intervalla nihil de corpore limant
570 Flammarum, nihilo ad speciem 'st contractior Ignis.
Proinde calor quoniam Solis, lumenque profusum
Perveniunt nostros ad sensus, et loca tingunt:

partibus aëriis mundi, et cœlo esset conjuncta: nam communibus radicibus inter se hærent a prima origine conjuncta, atque unita. Nonne etiam vides quam ponderosum corpus sustineat anima, quæ tenuissima est res, quoniam tam arcte conjuncta est, et a prima origine corpori unita? Denique quid præter animam, quæ regit et gubernat artus potest agili saltu corpus tollere? Nonne igitur jam vides quantum valere potest tenuis res quando gravi cum corpore conjuncta est, ut aër terræ conjungitur, et nostro corpori anima? Orbis autem solis nec multo major, nec multo minor esse potest, quam nostris oculis apparet: nam e quocunque intervallo ignes possunt radios lucis jaculari, nostraque corpora suo calore attingere, id intervallum nihil detrahit de corpore ignium, neque facit ut minores nostris oculis videantur, quam revera sunt: proinde, quoniam calor, et emissi radii solis nostros oculos attingunt, et terra hæc ejus splendore illustratur,

NOTÆ.

561. *Quis potis est*] Ita scripserunt scioli, quia dubitaverunt an dici latine possit, *nullum animal potis est efficere*. Idque eo accidit quia Ennium, Plautum, Terentium, alios non legerant, quin nec Lucretii latinitatem unquam observarunt; ipse enim alicubi;

Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali
Discidio potis est *sejungi*—

in lib. 4.

Tenue locis quia non potis est *adfigere adhæsum*.

lib. 5.

Corpus non potis est *cerni*—

ideo lege,

Quid potis est. Faber.

565. *Nec nimio solis major rota, &c.*] De magnitudine solis et siderum Epicurus in epistola ad Pythoclem; *Magnitudo solis, et reliquorum siderum, quod ad nos quidem attinet tanta est, quanta et apparet; quod ad ipsam vero rem spectat, aut paullo major, aut paullo minor, aut præcise tanta, quanta videtur est, ut oculi aut nihil aut non multum mentiantur*. Idem asserit Poeta, v. 10. argumentum a sensu desumens: donec lumen calorque ignis a nobis sentiantur, dum ab igne recedimus, ignis nihilo contractior apparet, quam dum prope sumus. At lumen caloremque solis sentimus, ideo eadem est illius quæ apparet magnitudo. Deinde, v. 10. de luna addit, nos extremam illius oram, ac summam faciem distincte cernere; at confuse cerneretur, si tam longe distaret ut aliquid illius magnitudinis longinquitate detereretur. Demum, v. 7. de sideribus subjungit, ea non multo minora neque multo majora esse, vel tanta esse quanta videantur, quia ista varietate exhibentur et ignes qui apud nos ex intervallo interdiu noctuque spectantur. Hæc ipse Epicurus ad Pythoclem.

569. *Illa ipsa intervalla*] *Nil visus intervalla*. Gifanius.

572. *Et loca tingunt*] Alii, *et loca fulgent*. Et versu sequenti *flumque* Lambi-

Forma quoque hinc Solis debet filumque videri,
Nil adeo ut possis plus, aut minus addere vere.
575 Lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans,
Sive suam proprio jactat de corpore lucem,
Quicquid id est, nihilo fertur majore figura,
Quam, nostris oculis quam cernimus, esse videtur.
Nam prius omnia, quæ longe remmota tuemur
580 Aëra per multum specie confusa videntur,
Quam minimum filum: quapropter Luna necesse 'st,
Quandoquidem claram speciem, certamque figuram
Præbet, ut est oris extremis cunque notata,
Quanta hæc cunque fuat, tanta hinc videatur in alto.
585 Postremo, quoscunque vides hinc ætheris Igneis,
(Quandoquidem, quoscunque in terris cernimus igneis,
Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,
Parparvum quiddam interdum mutare videntur
Alterutram in partem filum, cum longius absint,)
590 Scire licet, perquam pauxillo posse minores
Esse, vel exigua majores parte, brevique.
Illud item non est mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen,
Quod maria, ac terras omneis cœlumque rigando
595 Compleat, et calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc Mundi patefactum totius unum

hinc colligere debemus formam figuramve solis, in cœlo nobis apparere eandem quæ est, ita ut erraves si majorem vel minorem existimares. Luna etiam sive alieno lumine fulget, sive suo de corpore propriam lucem jactet, utcunque id sit, illam habet figuram, illamque dimensionem quam nostris oculis cernimus habere: nam omnia quæ e longinquo per multum aëra videmus prius videntur specie confusa, quam extremos eorum ductus et lineamenta oculis usurpare possumus; quapropter quoniam luna, non specie confusa videtur, sed certam claramque figuram, ut est extremis oris notata, (totius sui corporis) exhibet, quantacunque revera sit, tanta in cœlo nobis appareat necesse est. Postremo, quascunque stellas in cœlo vides (quoniam omnes ignes quos in terris cernimus, dum illorum lux clara, non obscura et confusa appareat, figuram suam et dimensionem paululum mutare videntur alterutram in partem (modo contrahunt, modo ampliant) cum e longinquo spectantur), scire licet eas vel paululum majores vel paululum minores esse quam nostris oculis apparent. Item non est mirandum, qua ratione tam parvus ille sol tantum lumen possit emittere, quod per maria, omnes terras, cœlumque ipsum diffusum sit, et omnia calore attingat: nam fieri potest ut ex hoc sole,

NOTÆ.

aus: vid. v. 581. dum vulg. *sublime*; et Gifanius, *illimque*, id est *illincque*. Frustra. *Sublime* autem ferri potest, cum versu 584. legimus,

Tanta hinc videatur in alto.

588. *Mutare videntur*] Palmerius, *mutare videtur*, id est, *mutari filum*. Hac observatione potuimus carere.

592. *Illud item non est, &c.*] Sed tantus ille calor et lumen per universum, quaqua patet, æthera diffusum e tantulo et quasi pedali sole emanare vix posse videatur. Huic difficultati ut satisfaciat Lucretius, docet, v. 11. solem concipi posse ut fontem perennem lucis et caloris, quod in ipsum ex toto mundo semina lucis et caloris confluant tanquam in scaturiginem, ita ut non unius solis, sed totius mundi lumen et calorem sentiamus. Deinde subjungit, v. 10. forte aërem vicinum soli ab illo accendi, multasque igneas particulas nobis quidem inconspicuas circa solem esse, et inde tantus calor, lumenque tam longe et late profusum.

Largifluum fontem scatere, atque erumpere flumen
Ex omni Mundo, quo sic Elementa vaporis
Undique conveniunt, et sic conjectus eorum
600 Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor;
Nonne vides etiam, quam late parvus aquaï
Prata riget Fons interdum, campisque redundet?
Est etiam quoque, uti non magno Solis ab igni
Aëra percipiat calidis fervoribus ardor,
605 Opportunus ita 'st si forte, et idoneus Aër,
Ut queat accendi parvis ardoribus ictus;
Quod genus interdum segetes stipulamque videmus
Accipere ex una scintilla incendia passim:
Forsitan et rosea Sol alte lampade lucens
610 Possideat multum cæcis fervoribus ignem
Circum se, nullo qui sit fulgore notatus,
Æstiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio Solis simplex, nec certa patescit,
Quo pacto æstivis e partibus Ægocerotis
615 Brumaleis adeat flexus, atque inde revertens
Canceris ut vertat metas se ad Solstitialeis:
Lunaque mensibus id spatium videatur obire,
Annua Sol in quo consumit tempora cursu:

tanquam ex uno fonte, totius mundi lumen effluat, ut omnia caloris semina ita ad hunc solem conveniant, ut ex illo, tanquam ex uno fonte omnis totius mundi calor emanet. Nonne etiam vides quam parvus aquæ fons prata aliquando riget, et inundet agros? Fieri etiam potest, ut immensus calor per aëra excitetur a sole quoad molem parvo, si forsan ea sit aëris temperies et conditio, ut a parva debilique flamma accendi possit, ut interdum videmus segetes et stipulam per latos agros una scintilla accendi: fieri denique potest, ut sol ille qui in cœlo fulgidam ostendit lampada, habeat circum se multos ignes qui non fulgent, qui tamen fervidum radiorum fulgentium calorem augere possunt. Una denique et certa causa assignari non potest, cur sol e partibus æstivis brumales flexus Capricorni adeat (ad tropicum Capricorni tendat), et inde rediret ad Cancrum, et cur luna singulis mensibus illud spatium percurrat, in quo percurrendo annum (duodecim menses) consumit sol:

NOTÆ.

597. *Erumpere flumen*] Alii, *lumen*, fortasse melius. Alias de solis lumine, de quo, v. 593. objectionem instituit, nihil dixisse videatur.

604. *Percipiat*] Sic lib. 4.

Quam quæ percipiunt *oculos, visumque lacessunt.*

608. *Accipere*] Sic lib. 6. v. 149.

Aridior porro si nubes accipit *ignem.*

Gifanius tamen, *accendere.*

613. *Nec ratio solis, &c.*] Annuum solis, et menstruum lunæ cursum per duodecim signa Zodiaci ut explicet, primo, v. 23. proponit sententiam Democriti, qui docuit inferiora sidera a summo cœlo rapi et circumferri, celerius aut tardius pro rata uniuscujusque sideris a summo isto cœlo distantia. Sol igitur celerius quam luna, ideoque illum rarius quam illam signa assequuntur et prætereunt: neque mirum si luna uno mense signa omnia, in quibus duodecim terit sol, percurrere videatur. Deinde, v. 13. Duos aëres lunæ solique inservientes introducit, quorum altero a Cancro ad Capricornum detruduntur, altero a Capricorno ad Cancrum stato tempore subvehuntur: et ne illud incredibile videatur, jubet nubes spectare quas diversi venti in partes diversas protrudunt.

615. *Flexus*] Mox vocat *metas:* viz. de cursu siderum agens vocibus utitur certamini curuli accommodatis.

616. *Canceris*] Ita olim dicebatur, nunc *Cancri.* Apud S. Cyprianum, p. 234. *veluti Cancere infecta* legimus.

Non, inquam, simplex his rebus reddita causa 'st.
620 Nam fieri vel cum primis id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit;
Quanto quæque magis sint terram Sidera propter,
Tanto posse minus cum cœli turbine ferri.
Evanescere enim rapidas illius, et acreis
625 Imminui subter vireis, ideoque relinqui
Paullatim Solem cum posterioribu' Signis,
Inferior multo quod sit, quam fervida Signa:
Et magis hoc Lunam; et quanto demissior ejus
Cursus abest procul a Cœlo, terrisque propinquat,
630 Tanto posse minus cum Signis tendere cursum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur
Inferior quam Sol, tanto magis omnia Signa
Hanc adipiscuntur, circum, præterque feruntur:
Propterea fit, ut Hæc ad Signum quodque reverti
635 Mobilius videatur, ad Hanc quia Signa revisunt.
Fit quoque ut e mundi transversis partibus Aër
Alternis certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstivis Solem detrudere Signis
Brumaleis usque ad flexus, gelidumque rigorem:
640 Et qui rejiciat gelidis a Frigoris umbris
Æstiferas usque in parteis, et fervida Signa.
Et ratione pari Lunam, Stellasque putandum 'st,
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aëribus posse alternis a partibus ire.
645 Nonne vides etiam diversis nubila ventis
Diversas ire in parteis, inferna supernis?
Quî minus illa queant per magnos ætheris orbeis

una inquam et certa causa non potest assignari. Nam primo id videtur posse fieri quod Democritus egregius Philosophus affirmat, viz. quod quanto magis vicina sunt terræ sidera, tanto minus cœli motu possunt circumferri. Nam rapida vis motus supremi cœli priusquam attingit inferiores orbes paulatim imminuitur, ideoque paulatim relinquitur sol cum signis sequentibus, quoniam multo inferior est quam summa cœli signa: luna autem quanto longius a cœlo et terris propius volvitur, tanto minus signorum celeritatem æquare posse videatur, et quanto minus celeri motu quam sol fertur, quoniam inferior est, et longius a summo cœlo distat, tanto magis omnia signa illam assequuntur, circum etiam, et præter illam feruntur: et inde fit, ut luna sæpius et citius ad unumquodque signum reverti videatur, cum revera singula signa illam revisant. Potest etiam fieri, ut ex oppositis mundi partibus aër certo tempore alternatim fluat; qui aër queat solem detrudere æstivis signis, usque ad Hyemalem Capricornum æterno gelu et frigore rigentem, ex altera vero parte queat rejicere ab hibernis signis, et ad æstiva evehere. Et pari ratione credendum est, lunam et stellas quæ magnos annos in magnis orbibus peragunt ab aëribus istis alternatim fluentibus in partes cœli diversas ferri. Nonne etiam vides nubila diversis ventis in partes mundi diversas ire, et inferiora superioribus contraria moveri? Quid igitur impedit quin per magnos cœli orbes

NOTÆ.

635. *Ad hanc quin signa revisunt*] Alii, *recurrunt*. Sed *visere ad*, et *revisere ad*, optimi authores, et ipse Lucretius, lib. 2. et lib. 6.

643. *Magnos—annos*] Stellarum periodos, et Saturni, Jovis, Martisque revolutiones respicere videtur.

Æstibus inter se diversis Sidera ferri?
At Nox obruit ingenti caligine terras,
650 Aut ubi de longo cursu Sol extima cœli
Impulit, atque suos efflavit languidus igneis
Concussos itere, et labefactos aëre multo:
Aut quia sub terras cursum convertere cogit
Vis eadem, supera terras quæ pertulit orbem.
655 Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris Auroram defert, et lumina pandit,
Aut quia Sol idem sub terras ille revertens
Anticipat cœlum radiis accendere tentans:
Aut quia conveniunt ignes, et semina multa
660 Confluere ardoris consuerunt tempore certo,
Quæ faciunt Solis nova semper lumina gigni.
Quod genus Idæis fama 'st e montibus altis
Dispersos igneis orienti lumine cerni;
Inde coire globum quasi in unum, et conficere orbem.
665 Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
Esse, quod hæc Ignis tam certo tempore possint

sidera ipsa æstibus (flatibus aëriis) inter se diversis ferantur? At densis tenebris nox terram obruit, vel quando sol post longum cursum extremas cœli oras attigit, et fatigatus efflavit suos ignes itinere concussos, et labefactos multo isto aëre quem percurrit; aut quia eadem vis quæ orbem solis supra terras volvit, cogit eum convertere cursum suum sub terras. Certo item tempore matuta defert roseam auroram per oras cœli, diemque aperit, vel quoniam ille idem sol sub terras revertens radiis, antequam ipse appareat, præmissis cœlum accendere conatur: aut quia ignes conveniunt, et semina multa flammæ certo tempore consuërunt confluere, quæ novi solis corpus quotidie conficiunt; uti fertur ex altis Idæis montibus oriente sole videri ignes primum dispersos, deinde in unum quasi globum convenire, et orbem solis conficere. Neque tamen mirandum est, quod hæc ignis semina possunt tam certo tempore

NOTÆ.

649. *At nox obruit, &c.*] Diem sequitur nox, quia, v. 6. sol longo cursu languidus, occasurus enim languescere videtur, extinguitur, vel quia eadem vi qua supra terras diurno tempore volvebatur, subter terras nocturno fertur. Epicurus in epistola ad Pythoclem, ortum et occasum solis et lunæ *κατ' ἐμφάνειάν τι ὑπὲρ γῆς, καὶ πάλιν ἐπίκρυψιν*, vel *κατ' ἄναψιν, καὶ κατὰ σβέσιν* posse fieri contendit.

650. *Extima*] Sive *ultima* legas, perinde est.

655. *Tempore item certo, &c.*] Ante Solis exortum splendor quidam, qui aurora dicitur, illustrat cœlos, quoniam sol sub terras ab occasu in ortum revertens, antequam ipse appareat, effundat radios, vel quia dispersa hesterno itinere ignis semina ibi confluunt, et prius quam formarunt aut accenderunt solis globum, debili luce æthera illustrant. Posteriorem causam fabula, quæ apud Pomponium Melam, lib. 5. cap. 6. et Diodorum Siculum, lib. 17. legatur, confirmat; et si constantia illius confluxus cuiquam incredibilis videatur, is consideret non minorem in multis aliis rebus constantiam deprehendi.

655. *Matuta*] Imo, seu Leucothea apud Græcos.

662. *Quod genus Idæis, &c.*] Diodorus Siculus, lib. 17. p. 491. *Ἴδιον δέ τι καὶ παράδοξον συμβαίνει γίνεσθαι περὶ τοῦτο τὸ ὄρος, κατὰ γὰρ τὴν τοῦ Κυνὸς ἐπιτολὴν ἐπ' ἄκρας τῆς κορυφῆς διὰ τὴν νηνεμίαν τοῦ περιέχοντος Ἀέρος ὑπερτιθῆ γίνεσθαι τὴν ἄκραν τῆς τῶν ἀνέμων πνοῆς· ὁρᾶσθαι δὲ τὸν ἥλιον ἔτι τῆς νυκτὸς ὄντος ἀναστίλλοντα τὰς ἀκτῖνας ὑπ' ἐν κυκλοτερεῖ σχήματι τετραμμένον, ἀλλὰ τὴν φλόγα κατὰ πολλὰς τόπους ἔχοντα διεσπαρμένην, ὥστε δοκεῖν πυρὰ πλείω διγγάνειν τοῦ τῆς γῆς ἐρίζοντος. Μικρὸν δὲ ὕστερον δὲ συνάγεται ταῦτα πρὸς ἓν μέγεθος, ἕως ἂν γένηται τρίπλεθρον διάστημα, καὶ τότε τῆς ἡμέρας ἐπιλαζούσης, τὸ φαινόμενον τοῦ ἡλίου μέγεθος πληροῦν τὴν τῆς ἡμέρας ἀκάθεσιν κατασκευάζει.*

Semina confluere, et Solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus: florescunt tempore certo
670 Arbusta, et certo dimittunt tempore florem.
Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore, et impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina postremo, Nix, Imbres, Nubila, Venti,
675 Non nimis incertis fiunt in partibus anni.
'Namque ubi sic fuerunt causarum exordia prima,
Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,
Consequa natura 'st jam rerum ex ordine certo.
Crescere itemque Dies licet, et tabescere Nocteis,
680 Et minui Luces, cum sumant augmina Noctes;
Aut quia Sol idem sub terras, atque superne,

convenire, et solis corpus reparare, nam multa videmus quæ in omnibus rebus fiunt certo tempore; arbusta florescunt certo tempore, et certo tempore dimittunt florem, nec minus certo tempore dentes ætate imperante decidunt, impuber puer pubescit, et malæ illius molli lanugine vestiuntur. Postremo, fulmina, nix, imbres, nubila, venti, fiunt in partibus anni non nimis incertis (fere certis). Nam secundum leges in prima rerum origine constitutas jam ordine certo res omnes fiunt et sequuntur. Potest etiam fieri ut crescant dies et diminuantur noctes, ut dies etiam contractiores fiant cum noctes extendantur; vel quoniam sol idem sub terras et supra terras

NOTÆ.

670. *Dimittunt—florem*] V. 757.
Solque suos etiam dimittere languidus igneis, &c.
672. *Veste*] Virgilius, Æneid. 8.
Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis: hoc est barba, unde e contra *investes* dicimus *imberbes*: unde est,
Tunc mihi prima genas vestibat *flore juventæ.*
Servius.
675. *Non nimis incertis*] Faber, *Non minus hæc certis.*
676. *Namque ubi sic fuerunt*] Hunc versum delet Faber, et in sequenti legit, *namque uti res mundi, &c.* retineri vero potest iste versus, si legatur, *namque uti sanxerunt.* Sic lib. 1. v. 580. 581.
Et quid quæque queant per fœdera Naturæ,
Quid porro nequeant, sancitum *quandoquidem extat.*
Ita igitur conjicio legendum, nec pudet conjecturæ.
678. *Consequa natura 'st rerum*] E vetusto cod. Gronovius,
Consequiæ quoque rerum sunt ex ordine certo.
679. *Crescere itemque Dies, &c.*] Dies noctesque anni decursu sic increscere et decrescere, ut prolixitatis ac brevitatis utriusque vices exquisite per hyemem æstatemque alternentur, res mira semper visa est; id vero fit, quoniam circuitiones solis supra ac infra terram nunc celerius, nunc tardius fiunt, quatenus ipsæ locorum seu viarum, quibus sol incedit, longitudines sunt alternæ, v. 16. In quibus describit Poëta inæqualia arcuum diurnorum nocturnorumque segmenta in positu sphæræ obliquo, æquatorem tamen ab hac lege excipit, qui in quavis etiam obliquitate in duas æquas partes ab horizonte dividitur; ex quo fit ut sol bis in ipso intra annum constitutus, duo ubivis gentium faciat æquinoctia: hinc signum illud in quo nodum æquinoctialem esse dixit intelligendum duplex est, Aries viz. et Libra, in cujus utriusque initio mutua fit signiferi, æquatorisque intersectio. Deinde subjungit, v. 5. id fieri posse, quod certa sunt per ætherem loca, quæ possint a sole ob factam majorem minoremque resistentiam velocius segniusve percurri. Demum, v. 3. quia alternis anni partibus tardius aut citius conveniant isti ignes qui faciunt, vel accendunt solem.
680. *Cum sumant augmina*] Lib. 2.
— *Augmina sumunt.* Augentur.

Imparibus currens anfractibus ætheris oras
Partit, et in parteis non æquas dividit orbem;
Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
685 Ejus in adversa tanto plus parte relatus,
Donicum ad id signum cœli pervênit, ubi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras.
Nam medio cursu flatus Aquilonis, et Austri,
Distinet æquato cœlum discrimine metas,
690 Propter Signiferi posituram totius orbis;
Annua Sol in quo contundit tempora serpens,
Obliquo terras, et cœlum lumine lustrans:
Ut ratio declarat Eorum, qui loca cœli
Omnia dispositis signis ornata notârunt.
695 Aut quia crassior est certis in partibus Aër,
Sub terris ideo tremulum jubar hæsitat ignis,
Nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus:
Propterea noctes hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei.
700 Aut etiam, quia sic alternis partibus anni
Tardius et citius consuerunt confluere ignes,
Qui faciant Solem certa de surgere parte.
Luna potest Solis radiis percussa nitere,
Inque dies majus lumen convertere nobis
705 Ad speciem, quantum Solis secedit ab orbe,

cursum suum peragens imparibus anfractibus cœli orbem partitur, et dividit in partes inæquales, et quod ab alterutra parte cœli detraxit cum defertur in adversam partem tanto plus illi addit, donec attigit cœli illud signum (Arietem vel Libram) ubi anni nodus noctes diesque æquales facit: nam septentrionem et meridiem versus, cœlum metas (solstitium et brumam, seu circulum Cancri et circulum Capricorni) æquali spatio distinet, propter posituram Zodiaci, in quo sol annuum suum cursum perficit, obliquis radiis cœlum et terras lustrans, ut illi (astronomiæ periti) docent, qui omnes cœli partes dispositis signis ornatas descripserunt. Aut quia in certis partibus aër crassior est, ideo tremulum jubar ignis (sol) hæret sub terris, ægre enim penetrat densum istum aërem, et ad ortum emergit: et hanc ob causam noctes hiberno tempore tardæ manent, donec radiatum insigne diei (sol) veniat. Aut denique, quia partibus alternis anni ignes, qui faciant solem de certa parte cœli oriri tardius et citius consuerunt convenire. Luna potest splendescere radiis solis illustrata, et in dies majus lumen nostris oculis videndum obvertere prout a sole recedit,

NOTÆ.

682. *Anfractibus*] Viis sinuosis et flexuosis.

687. *Anni Nodus*] Propter intersectionem Zodiaci et Æquatoris.

696. *Hæsitat*] Tardius sese expedit; *Faber*.

703. *Luna potest solis radiis, &c.*] Quod ad lunam attinet, si lucem a sole accipiat, si globosæ sit figuræ, et sub sole cursum suum peragat, tum varium illius multiplicemque vultum recte illi explicant, qui varia solis illustratione prout ad solem accedit, vel recedit a sole, phases lunæ variari existimant, v. 11. Si vero lucem aliunde non accipiat, tum concipi potest aliud corpus opacum quidem, et cassum omni lumine, quod una cum luna fertur, et illius radios avertit, v. 5. Vel intelligere possumus lunæ globum ex dimidia tantum parte lucidum, qui, si circa suum centrum volvatur, varias quas videmus phases exhibebit, v. 9. Quibus hæc omnia displicent, isti habeant lunas quotidie nascentes et intereuntes; id enim certo tempore fieri posse multa alia demonstrant, v. 20.

Donicum eum contra pleno bene lumine fulsit,
Atque oriens obitus ejus super edita vidit:
Inde minutatim retro quasi condere lumen
Debet item, quanto propius jam Solis ad ignem
710 Labitur ex alia Signorum parte per orbem:
Ut faciunt, Lunam qui fingunt esse pilaï
Consimilem, cursusque viam sub sole tenere;
Propterea fit uti videantur dicere verum.
Est etiam quoque uti proprio cum lumine possit
715 Volvier, et varias splendoris reddere formas:
Corpus enim licet esse aliud, quod fertur, et una
Labitur omnimodis occursans officiensque,
Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
Versarique potest, globus ut, si forte, pilaï
720 Dimidia ex parti candenti lumine tinctus;
Versandoque globum varianteis edere formas,
Donicum eam partem, quæcunque est ignibus aucta,
Ad speciem vertit nobis, oculosque patenteis:
Inde minutatim retro contorquet, et aufert
725 Luciferam partem glomeraminis, atque pilaï:
Ut Babylonica Chaldæûm doctrina refutans
Astrologorum artem contra convincere tendit;
Proinde quasi fieri nequeat quod pugnat uterque,
Aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.
730 Denique, cur nequeat semper nova Luna creari

donec soli tandem opposita totum orbem exhibeat luce illustratum, atque oriens vidit illius occasum: deinde paulatim debet lumen suum quasi retro condere (avertere) prout ex alia parte per signorum orbem ad solem propius accedit; hoc autem dicunt, qui opinantur lunam esse pilæ similem, et sub sole ferri, et profecto rem ipsam attingere, et verum dicere videntur. Potest etiam fieri ut proprio lumine splendescat, et tamen varias (phases exhibeat) splendoris formas reddat: nam potest fieri ut aliud corpus una cum luna volvatur, omni modo illi occurrens, ejusque lucem impediens, et avertens; quod tamen corpus cerni non potest, quia opacum est, et nullo lumine donatur. Potest etiam globus ipsius lunæ circa suum centrum volvi, ut si forte pila ex dimidia parte lumine candenti tincta circa suum centrum versetur, et dum volvitur varias splendoris formas reddere; donec totam istam partem quæ ignita est nostris oculis obvertit, deinde paulatim retro contorquet, et avertit lucidam globi partem: ut Babylonii qui contra Græcos Astrologos disputant, contendunt; quasi utriusque artis sententia non possit esse vera, aut aliqua suaderet ratio cur altera sententia alteri præferatur. Denique cur non potest nova luna semper creari

NOTÆ.

714. *Est etiam quoque uti*] Hæc dicitur Anaximandri opinio, quæ tamen ab illius sententia maxime distat; nam si forsan lunam dixerit ἴδιον ἔχειν φῶς, Plut. de Placit. Phil. lib. 2. cap. 26. et 28. (ἰφαεινὸν τι σελήνην ψευδωνυμῆ, ᾗ ἀπὸ ἡλίου φωτίζεσθαι Laertius) aliud tamen corpus quod una feratur, quod omnibus modis occurrat et officiat, ne quidem in somnis vidit. Plutarch. de Pl. Phil. lib. 2. cap. 26.

719. *Versarique potest*] Ita docuit Berosus sub Antiocho Sotere Astronomia clarus.

726. *Ut Babylonica*] Per Babylonicam Chaldæûm doctrinam intelligit Chaldæos qui Berosi hypothesin contra *vulgarem astrologiam* tuebantur. *Chaldæi* enim hoc loco sectæ nomen est, non gentis: παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις, ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαῖοι, Γυμνοσοφισταὶ παρὰ Ἰουδαῖς· Laertius. Idem Cicero in 2. de Divinat.

Ordine formarum certo, certisque figuris;
Inque dies privos abolescere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte, locoque,
Difficile 'st ratione docere, et vincere verbis:
735 Ordine cum videas tam certo multa creari.
It Ver, et Venus, et Veneris prænuntius ante
Pinnatus graditur Zephyrus vestigia propter;
Flora quibus Mater præspergens ante viaï
Cuncta coloribus egregiis, et odoribus opplet.
740 Inde loci sequitur Calor aridus, et comes una
Pulverulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit; graditur simul Euius Euan:
Inde aliæ tempestates, ventique sequuntur,
Altitonans Vulturnus, et Auster fulmine pollens.
745 Tandem Bruma niveis adfert, pigrumque rigorem
Reddit, Hyems sequitur, crepitans ac dentibus Algus.
Quo minus est mirum, si certo tempore Luna
Gignitur, et certo deletur tempore rursus:
Cum fieri possint tam certo tempore multa.
750 Solis item quoque defectus, Lunæque latebras,
Pluribus e causis fieri tibi posse putandum 'st.
Nam cur Luna queat Terram secludere Solis
Lumine, et a terris altum caput obstruere eii,
Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem:
755 Tempore eodem aliud facere id non posse putetur

certo formarum ordine, et certis figuris donata, cur unaquæque luna ita quotidie creata, quotidie etiam non pereat, atque alia illius locum subeat, et in eadem parte cœli appareat, difficile est rationem reddere, et verbis docere, cum videas tam multa certo ordine creari. It Ver, et Venus, et Veneris prænuntius Zephyrus pennatus graditur juxta ejus vestigia, quibus Flora mater sua dona præspergens omnem viam coloribus et odoribus egregiis (floribus egregii coloris, et odoris) replet. Deinde Calor aridus (æstas) sequitur, et una venit pulverulenta Ceres, ventique Etesii ab Aquilone spirantes. Deinde Autumnus sequitur, et illius comes Bacchus; inde aliæ tempestates et venti sequuntur, altitonans Vulturnus, et Auster pollens fulmine: tandem bruma nives affert, pigrumque frigus, sequitur demum hyems, et Algus crepitans dentibus. Hinc ideo minus est mirandum, si certo tempore gignatur luna, certo etiam tempore deleatur, cum tam multa certo tempore possint fieri. Putandum quoque est solis lunæque defectus (eclipsin) e causis pluribus fieri posse: nam cur possit luna terram luce solis privare, et soli objicere corpus suum supra terras elatum opponens radiis illius splendentibus opacum globum, eodem autem tempore aliud

NOTÆ.

732. *Abolescere*] *Aborisci*, Gifanius, qui tamen fatetur se vocem istam nunquam legisse. Gassendus, *aboriri*.

734. *Difficile 'st*] Faber, *id facile*; quem sequatur ille qui conjecturam certitudini præfert.

746. *Crepitans ac dentibus Algus*] Vulgatæ lectionis, *accentibus Algi*, non meminissem, nisi eam Fayus, acutus et bellus homo, huic, qua nulla est verior aut venustior, prætulisset.

750. *Solis item quoque, &c.*] Demum fit solis defectus, cum luna aut aliud opacum corpus subjectum soli radios illius excipit, et ab ulteriori ad terram progressu prohibet. Luna item deficit, cum incidit in umbram terræ, aut alterius alicujus opaci corporis quod e regione solis interpositum interjectumque sit. Aut denique sol et luna, cum loca quædam cœli suis ignibus infesta et inimica percurrant, languent; et quasi deliquium patiuntur, v. 20.

Corpus, quod cassum labatur lumine semper?
Solque suos etiam dimittere languidus igneis
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
Cum loca præteriit flammis infesta per auras,
760 Quæ faciunt igneis interstingui atque perire?
Et cur Terra queat Lunam spoliare vicissim
Lumine, et oppressum Solem super ipsa tenere,
Menstrua dum rigidas Coni perlabitur umbras:
Tempore eodem aliud nequeat succurrere Lunæ
765 Corpus, vel supera Solis perlabier orbem,
Quod radios interrumpat, lumenque profusum?
Et tamen ipsa suo si fulgit Luna nitore,
Cur nequeat certa mundi languescere parte,
Dum loca luminibus propriis inimica pererrat?
770 Quod superest, quoniam magni per cærula Mundi
Qua fieri quicquid posset ratione, resolvi:
Solis uti varios cursus, Lunæque meatus
Noscere possemus, quæ vis, et causa cieret:
Quove modo soleant offecto lumine obire,
775 Et nec opinanteis tenebris obducere terras,
Cum quasi connivent; et aperto lumine rursum
Omnia convisunt clara loca candida luce.
Nunc redeo ad Mundi novitatem, et mollia terræ

corpus, quod nullo unquam lumine illustratum volvitur, putetur facere id non posse? Cur etiam non potest sol languidus suos ignes certo tempore dimittere, lucemque reproducere, cum præteriit regiones quasdam aëris flammis inimicas, quæ labefactant ignes et extinguunt? Et cur vicissim possit terra lunam lumine privare, et ipsa inter solem lunamque (supra vero solem) interjecta solis radios intercludere, dum luna menstruum suum cursum peragens rigidam terræ umbram quæ est conicæ figuræ perlabitur, tempore autem eodem non possit aliud corpus supra solis globum volvi, et lunæ supponi quod effusos solis radios intercipiat? Et tamen si luna propria luce splendeat, cur non possit certa mundi parte deficere, dum pertransit loca propriæ suæ luci infesta? Quod superest, quoniam docui qua ratione quidque per immensum cæruleum cœlum fieri possit, ita ut scire possemus quæ vis et causa varios solis lunæque cursus cieret et dirigeret, quo etiam modo eclipsin pati solent, et improviso terras tenebris obducere, cum quasi connivent, quo denique modo rursum aperto lumine omnia loca clara luce splendentia illustrant: nunc redeo ad mundi novitatem, et mollia terræ

NOTÆ.

759. *Flammis infesta*] V. 769.
—— *luminibus propriis inimica.*
Lambinus autem, flammis immoderatis oppleta vel occupata, et quodammodo infestata et vexata. Huic vero interpreti ne credas.

762. *Oppressum Solem super ipsa tenere*] Lambinus, *oppressum sub solem ipsa, &c.* Sed ridicule facit, qui istud *Super* de *Luna* intelligit, imo ad *Terram* referri debet, quod ratio, et versus sequentes probant. Ita recte Faber. Fayus autem, *retinere Solem absconditum supra seipsam.* Œdipum quæras, ego Davus sum.

764. *Succurrere*] Succedere in locum Lunæ; *Fayus:* digna Fayo sententia. *Succurrere* autem *subter ire.*

770. *Quod superest, quoniam, &c.*] Explicatis suo more solis, lunæ, et astrorum motibus, a cœlis ad terras, v. 11. descendit, rerum ortum et originem e tellure rerum omnium parente enarraturus.

774. *Offecto*] Obducto et obstructo, et per alicujus corporis interpositionem ad tempus excluso. *Lambinus.*

776. *Cum quasi connivent*] Solem et lunam tanquam duos hujus mundi oculos concipe.

Arva, novo fœtu quid primum in luminis oras
780 Tollere, et incertis tentârit credere ventis.
Principio, genus Herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis; camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore:
Arboribusque datum 'st variis exinde per auras
785 Crescendi magnum immissis certamen habenis:
Ut Pluma atque Pili primum Setæque creantur
Quadrupedum in membris, et corpore pennipotentum;
Sic nova tum Tellus herbas virgultaque primum
Sustulit: inde loci Mortalia sæcla creavit
790 Multa modis multis varia ratione coorta:
Nam neque de Cœlo cecidisse Animalia possunt,
Nec terrestria de salsis exisse lacunis.
Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata:
795 Multaque nunc etiam existunt animalia Terris,
Imbribus, et calido Solis concreta vapore.
Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta,
Et majora nova Tellure, atque Æthere adulto.
Principio, genus Alituum, variæque Volucres
800 Ova relinquebant exclusæ tempore verno;

arva, explicaturus quid primum produxit, et incertis ventis committere auaebat. Primo, virides herbas circum colles produxit tellus, et per omnes campos florida prata viridanti colore fulserunt: deinde variæ arbores surgebant, et illis in altum cr scere, et ramos per auras longe lateque extendere indulsit Natura; ut in membris quad upedum pili et setæ, et in corporibus avium plumæ primum nascuntur: sic tum nova tellus herbas arboresque primum produxit, deinde animalium multa genera diversa ratione, diversisque modis exorta; neque enim quis putet animalia e cœlo cecidisse, aut terrestria in mari produci. Restat igitur ut terra jure meritoque dicatur animalium mater, quoniam ex illa cuncta sunt creata: imo hodierno die multa animalia e terra nascuntur imbribus solisque calore animata et perfecta. Minus ideo mirandum est si tum temporis plura coorta fuerint, et majora, cum nova fuit tellus, et magis vigebat æther. Primo, aves vere exclusæ, ova sua relinquebant,

NOTÆ.

781. *Principio, genus herbarum, &c.*] Ita, v. 18. ortum rerum e recenti tellure enarrat Lucretius, ut ipsam originem spectasse videatur: nam primum Herbæ, deinde Arbores, postea Animalia minus perfecta, et demum perfectiora. Quippe cum mures, ranas, et ejusmodi animalia sponte nasci hodie, cum totus mundus consenuit, videamus, quid a recenti tellure, et adulto æthere sperare non licet?

785. *Magnum immissis certamen habenis*] Arboribus datum, a Natura viz. ut certatim sine ulla mora, ullove impedimento crescerent; allegoria est ducta ab equis quibus habenæ ab aurigis inter currendum laxantur. *Lambinus.*

799. *Principio, genus alituum, &c.*] Primum volucres ovis excluduntur, verno quidem tempore, id enim tempus maxime opportunum, sed plumis, pennis, iis denique viribus instructæ, ut sponte sua victum quæritarent. Deinde e quibusdam folliculis, quos uteros appellemus, terræ adhærentibus, alia animalia, atque ipsi homines eruperunt, quibus alendis idoneus liquor lacti simillimus e matris terræ venis commode in ora singulorum fluxit, nam parienti telluri non minus quam fœminis lac recte attribui videatur: ita tellus alimentum dedit, temperies aëris fecit ut vestimentis non esset opus, et molle cubile præbebat terra multo gramine abundans, v. 17.

Folliculos ut nunc teretes æstate Cicadæ
Linquunt, sponte sua victum, vitamque petentes.
Tum tibi Terra dedit primum Mortalia sæcla:
Multus enim Calor, atque Humor superabat in arvis.
805 Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant Uteri terræ radicibus apti;
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum fugiens humorem, aurasque petissens,
Convertebat ibi Natura foramina terræ,
810 Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem Lactis; sicut nunc Fœmina quæque
Cum peperit, dulci repletur Lacte, quod omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.
Terra cibum Pueris, vestem Vapor, Herba cubile
815 Præbebat multa et molli lanugine abundans.
At novitas Mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras:
Omnia enim pariter crescunt, et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
820 Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque Animal prope certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
Aëriasque simul Volucreis variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,

ut nunc cicadæ rotundas gracilesque tunicas æstate relinquunt, alimentum quo vita sustentetur ipsæ per campos quæsituræ. Tunc primum terra produxit animalia, plurimus enim calor, et plurimus humor in arvis abundabat. Hinc ubicunque idoneus erat locus, uteri crescebant filamentis quibusdam terræ adnexi, quos uteros cum infantes jam maturi perruperant, humorem in istis uteris contentum fugientes, et auras petentes, Natura meatus quosdam terræ opportune in istis locis patefecit, et coëgit terram patulis suis venis effundere liquorem lactis similem, ut nunc unaquæque fœmina cum peperit dulci lacte repletur, quoniam omnis liquor lacteus per totum corpus diffusus tum temporis in mammas derivatur. Terra præbebat cibum infantibus, calor vestem et molle gramen idoneum cubile. In novo autem mundo, nec frigus erat penetrans, nec æstus nimii, nec venti vehementes, aut procellæ: cuncta enim paulatim crescunt, et vires sumunt. Jure igitur meritoque terra mater animalium dicatur, quoniam ipsa edidit humanum genus, omnia etiam animalia, quæ per magnos montes sæviunt, diversa genera avium, quæ per aëra vagantur. Sed quia debet habere aliquem pariendi finem,

NOTÆ.

806. *Uteri terræ radicibus apti*] Συμφύσεις. Olim Censorinus, cap. 2. ut hodie Fayus, vocem *radicibus* voci *terræ* adjunxit: sed fallitur. Vide omnino Diodorum Siculum, lib. 1. magnum enim operæ pretium fuerit: *Faber*.

808. *Fugiens humorem*] In quo viz. infantes in istis uteris inclusi natabant.

809. *Ibi*] *Ibus* pro *iis*, Lambinus. *Ibi* Faber: tam mihi videtur respicere vocem *ubi*, v. 805.

813. *Impetus — alimenti*] Nil melius poterat, sentiri potest, non explicari.

816. *At novitas mundi, &c.*] Quomodo autem vim frigoris aut caloris ferre, aut vivere potuerunt, aut omnino nasci, cum sol exureret, frigus astringeret? quia in principio mundi non erat hyems et æstas, sed perpetua temperies, et ver æquabile, v. 3. Ab omni igitur retro ætate Tellus Mater jure dicta est, cum volucres, feras, ipsum denique hominem produxit.

818. *Omnia enim pariter, &c.*] Ita quoque æstas et hyems, ista enim hujus versus sententia.

824. *Sed quia finem aliquam, &c.*] Cur

825 Destitit, ut Mulier spatio defessa vetusto,
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,
Omnia commutat Natura, et vertere cogit.
830 Namque aliud putrescit, et ævo debile languet:
Porro aliud concrescit, et e contemtibus exit.
Sic igitur Mundi naturam totius ætas
Mutat et ex alio Terram status accipit alter,
Quod potuit, nequeat: possit, quod non tulit ante.
835 Multaque tum Tellus etiam portenta creare
Conata 'st, mira facie, membrisque coorta;
(Androgynum inter utrum, nec utrumque et utrinque remotum)
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
Multa sine ore etiam, sine voltu cæca reperta,
840 Vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu:
Nec facere ut possent quicquam; nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec sumere quod foret usus.
Cætera de genere hoc monstra, ac portenta creabat:
Nequicquam; quoniam Natura absterruit auctum:

cessavit tandem, ut mulier tandem longa ætate sterilis, namque ætas mutat naturam totius mundi, non eadem semper manet rerum conditio, nulla res manet sui similis, mutantur omnia, Natura commutat cuncta, et cogit vertere; namque aliud putrescit, et senio confectum languet, viget interim aliud, et ætate floret: similiter ætas mutat naturam totius mundi, nunc alius, et deinde alius est terræ status, ita ut jam nequeat facere quod olim potuit, jam etiam produceat, quod olim non produxit. Tum etiam terra conata est producere multa monstra, mira facie mirisque membris nata, (androgynum, qui est inter utrumque sexum, nec tamen uterque est, et ab utroque alienus). Partim sine pedibus, partim sine manibus, sine ore multa, multa etiam cæca et sine oculis reperta, alia denique ita agglutinatis et sibi invicem adhærentibus membris, ut nihil potuissent facere, in nullum locum progredi, non malum aut pericula vitare, neque sumere quod sibi foret utile ad vitam. Alia ejusmodi monstra et portenta terra produxit, frustra; Natura enim non passa est illa crescere et nutriri,

NOTÆ.

vero nihil horum fieri etiamnum videmus? Quoniam, v. 11. temporis conditio mutatur, terra desiit parere; et quid mirum si mundus jam senex, modo calore, modo frigore nimio, et aliis longæ ætatis incommodis vexatus, sterilis tandem fiat et effœtus?

835. *Multaque tum Tellus, &c.*] Quoniam fortuito nata erant animalia, putandum est in principio mundi alia quædam innumerabilia animalia miranda specie et magnitudine fuisse nata, sed ea permanere non potuisse, quod imperfecta erant, et quod illa sumendi cibi facultas, aut coeundi, generandique ratio defecit, v. 20. Nam quæcunque videmus animalium genera, aut suis virtutibus aut hominum cura conservantur; leones defendunt vires, dolus vulpes, cervos fuga, &c. Quæ nostris commodis inserviunt, canes, boves, equos, &c. nos ipsi defendimus et tuemur; sed quid imperfecta, et quæ nulli usui forent aleremus?

837. *Androgynum, &c.*] Quid de varia spurii versus lectione inquiramus, cum totus deleri debeat? Monebo tamen Heinsium ad Claudiani Phœnicem legere,

Androgynen inter neutra, atque ab utroque remotum.

Quicunque hunc versum inseruit, Androgynon Platonis (in Symposio) videtur respexisse.

839. *Multa sine ore*] Alii, *muta*, et venustius.

844. *Absterruit*] Nonius, in voce *desuevi*. *Parasitos amovi, lenonem ædibus* absterrui.

845 Nec potuere cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
Ut propagando possint producere sæcla.
Pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
850 Semina qua possint membris manare remissis:
Fœminaque ut maribus conjungi possit, habendum
Mutua queis nectant inter se gaudia, utrisque.
Multaque tum interiisse Animantum sæcla necesse 'st:
Nec potuisse propagando procudere prolem.
855 Nam quæcunque vides vesci vitalibus auris,
Aut Dolus, aut Virtus, aut denique Mobilitas est
Ex ineunte ævo genus id tutata reservans:
Multaque sunt, nobis ex Utilitate sua quæ
Commendata manent tutelæ tradita nostræ.
860 Principio, genus acre Leonum, sævaque sæcla
Tutata 'st Virtus, Vulpeis Dolus, et Fuga Cervos.
At levisomna Canum fido cum pectore corda,
Et genus omne, quod est Veterino semine partum,
Lanigeræque simul pecudes, et Bucera sæcla,
865 Omnia sunt Hominum tutelæ tradita, Memmi.
Nam cupide fugere Feras, pacemque secutæ
Sunt, et larga suo sine pabula parta labore:
Quæ damus Utilitatis eorum præmia causa.
At, queis nil horum tribuit Natura, nec ipsa
870 Sponte sua possent ut vivere, nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præsidio nostro pasci genus, esseque tutum?

adolescere non potuerunt, neque optatum ætatis florem assequi, nec cibum invenire, nec procreandi causa conjungi. Nam videmus multa requiri, multa etiam debere concurrere, ut animalia genus suum propagarent; primum requiritur ut sint pabula idonea, deinde ut sint meatus vasaque per quæ genitalia semina e membris defluentia ferantur; et ut fœmina mari conjungi possit, debet uterque iis membris instructus esse quæ mutuæ voluptati inserviant. Necesse est igitur tum temporis multa animalium genera interiisse, nec propagando prolem producere potuisse. Nam quæcunque hodie vigent genera animalium, aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas, (pedum pernicitas) ab ipsa mundi origine servavit et defendit; multaque sunt quæ, quia nobis commoda et utilia, nos tutamur et fovemus: primo, virtus tutata est leones, et alia ferarum genera, dolus vulpes, fuga cervos; at vigiles hominique fidi canes, omne denique jumentum, oves lanigeræ, et cornuti boves curæ hominum, O Memmi, *committuntur, et ab illis foventur. Nam cupide feras fugerunt, pacemque et larga pabula sine suo labore parta affectabant: eaque pabula nos homines donamus quia nobis præstant commoda. At quæ animalia ita formavit Natura, ut sponte sua non possent vivere, neque nobis essent aliquo modo commoda et utilia, quare nos aleremus aut genus eorum conservaremus?*

NOTÆ.

850. *Qua*] Alii, *quæ*. Et versu sequenti

——*Habere*
Mutua queis nectant inter se gaudia uterque.

856. *Mobilitas*] V. 861. *fuga;* et quis ferat Barthii *Nobilitas?*

863. *Veterino semine partum*] Veterina animalia dicuntur omnia quæ *vehere* quid possint.

871. *Quare*] Propter quam rem, seu propter quam utilitatem, nam *quare* hic non interrogat, sed enuntiando referendi vim habet. *Lambinus;* cui nimium ne credas.

Scilicet hæc aliis prædæ, lucroque jacebant
Indupedita suis fatalibus omnia vinclis,
875 Donicum ad interitum genus id natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo
Esse queat duplici natura, et corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non sic esse potis sit.
880 Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
Principio, circum tribus actis impiger annis
Floret Equus, Puer haudquaquam: quin sæpe etiam num
Ubera mammarum in somnis lactantia quærit.
Post ubi Equum validæ vires ætate senecta,
885 Membraque deficiunt fugienti languida vita;
Tum demum Pueris ævo florente juventas
Occipit, et molli vestit lanugine malas:
Ne forte ex Homine, et Veterino semine equorum
Confieri Credas Centauros posse, nec esse:
890 Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas, et cætera de genere horum,

Scilicet istiusmodi animalia, cum duro et iniquo fato nata se tueri non potuerunt, ab aliis rapiebantur, donec totum tandem eorum genus periit. Sed neque Centauri unquam extiterunt, nec unquam potest esse animal compositum e corporibus diversi generis, et duabus naturis, quæ sibi invicem non conveniant; id autem verum esse, licet minus diligenter inspicias, hinc potes colligere. Principio, equus tribus circiter exactis annis fortis et maturus viget, non ita puer, imo ista plerumque ætate mammas matris lactantes in somnis quærit. Deinde cum validæ vires senio confectæ equum destituunt, membraque languescunt fugiente vita; tum juventas ævo florente occipit pueris, eorumque genas vestit molli lanugine. Ne igitur unquam credas Centauros componi posse ex homine et equo, aut Scyllas unquam extitisse rapacibus canibus semimarinis corporibus succinctas, aut alia ejusmodi monstra

NOTÆ.

876. *Sed neque Centauri, &c.*] At Natura rudis licet et imperita, non ea protulit animalia, de quibus Poetæ tam splendide mentiuntur. Thessalia nullos unquam vidit Centauros, neque enim equus et homo conjungi possunt, cum non eadem ætate, eodem alimento, neque iisdem moribus uterentur, v. 14. Idem de Scyllis, et ejusmodi monstris dicendum, v. 9. Qui autem Chimœram extitisse credidit, non consideravit Leonis, æque ac cujuslibet animalis viscera torreri igne, et consumi posse, v. 7. Qui denique mira et monstrosa istiusmodi animalia e recenti terra produci posse statuat, credat insuper aurea, lacteaque flumina, et reliqua otiosorum Poetarum commenta, v. 19. Perpendat tamen multa herbarum et arborum semina hodie (ut olim omnium animalium primordia) in terra contineri; at nunquam nascuntur complexæ arbores, neque herbæ herbis conjunguntur, v. 9.

879. *Hinc illinc par vis, &c.*] Turnebus, nec incommode: alii aliter. Faber autem spretis aliorum conjecturis hæc habet; Lege,

Hinc illinc par vis ut partibus *esse potis sit.*

Sensu tam necessario, ut aliter scribere potuisse Lucretium nemo suspicari possit. Rem tribus verbis exponam, *nullum animal ita ex duplici et diversa natura constare potest* (e. g. equi et hominis) *ut hinc et illinc* (a natura hominis et equi) *par vis esse partibus possit*, id est, duæ illæ partes *componentes* nunquam parem vim haberent, cum species animantum aliæ aliis citius crescant, citius minuantur: quæ ea ipsa est ratio quam affert Lucretius in illis versibus, qui hunc sequuntur. Denique nescio quis legit: *Hinc pars ut non sit, pars illinc esse potis sit.*

883. *Ubera—lactantia*] Vossius ad Catullum, p. 234. *Lætantia*, quia pueros lætos reddunt; sic lib. 2.

——Lætantia *loca aquarum.*

891. *Scyllas*] Duæ enim fuerunt, hæc Nisi, illa Glauci; *Faber:* ideo et *semima-*

Inter se quorum discordia membra videmus:
Quæ neque florescunt pariter, neque robora sumunt
Corporibus, neque projiciunt ætate senecta;
895 Nec simili Venere ardescunt, nec moribus unis
Conveniunt, nec sunt eadem jucunda per artus:
Quippe videre licet pinguescere sæpe Cicuta
Barbigeras pecudes, Homini quæ 'st acre Venenum.
Flamma quidem vero cum corpora fulva leonum
900 Tam soleat torrere, atque urere, quam genus omne
Visceris, in terris quodcunque et sanguinis extet;
Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?
905 Quare etiam Tellure nova, Cœloque recenti
Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani;
Multa licet simili ratione effutiat ore:
Aurea tum dicat per terras Flumina volgo
910 Fluxisse, et Gemmis florere Arbusta suesse:
Aut Hominem tanto membrorum esse impete natum,
Trans maria alta pedum nisus ut ponere posset;
Et manibus totum circum se vertere cœlum.
Nam quod multa fuere in terris semina rerum,
915 Tempore quo primum Tellus Animalia fudit;
Nil tamen est signi, mistas potuisse creari

quorum membra videmus inter se discordia, quæ neque simul adolescunt, neque simul senio debilitantur, neque simili venere ardent, nec eosdem habent mores, nec eodem alimento nutriuntur, quippe sæpe videmus capras pinguescere cicuta, quæ est venenum homini maxime noxium. Cum autem flamma soleat torrere et urere fulva corpora leonum, non minus quam quodlibet viscus cujuslibet alius animalis; quo modo fieri potuit ut una Chimæra e triplici corpore composita, nempe cujus prima pars sit leo, postrema draco, media vero capra, vehementem flammam suo ore emitteret? Quapropter qui fingit talia animalia gigni potuisse cum jam tellus nova erat, et recens cœlum, uno hoc vano argumento ductus, quia tum mundus novus erat et recens, multa alia absurda pariter effingat; dicat aurea flumina per terras tum passim fluxisse, et arbores gemmis florere solitas, aut homines tantos et tam robustos fuisse natos ut pedes trans maria alta potuissent ponere, et manibus totum circa se movere cœlum. Nam licet eo tempore quo primum tellus produxit animalia, in terra erant multa rerum multarum semina, inde tamen concludere non debemus produci potuisse

NOTÆ.

rinis canibus succincta Nisi Scylla! At Ovidius, Metam. lib. 8. fab. 1. v. 148.

——*At aura cadentem*
Sustinuisse levis, ne tangeret æquora, visa est;
Pluma fuit: plumis in Avem mutata vocatur
Ciris; et a tonso est hoc nomen adepta capillo.

Pro *rapidis canibus* leg. *rabidis canibus.*

892. *Discordia*] Legi potest *Dissortia.* Sic Ovidius, lib. 8. v. 133. de Minotauro,

Dissortemque *utero fœtum tulit*—

Et in prima Epistola Sabini,

—*Nec in uno corpore* dissors
Parthenope.

899. *Flamma quidem vero*] Alii, *igneam flamma quidem.*

912. *Pedum nisus—ponere*] Alii, *pandere.*

Inter se pecudes, compactaque membra animantum:
Propterea quia quæ de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera, ac Fruges, Arbustaque læta,
920 Non tamen inter se possint complexa creari.
Res sic quæque suo ritu procedit; et omnes
Fœdere naturæ certo discrimina servant.
Et genus humanum multo fuit illud in arvis
Durius, ut decuit, Tellus quod dura creâsset:
925 Et majoribus et solidis magis ossibus intus
Fundatum, et validis aptum per viscera nervis;
Nec facile ex æstu, nec frigore quod caperetur,
Nec novitate cibi nec labi corporis ulla:
Multaque per cœlum Solis volventia lustra
930 Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi Moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arva;
Nec nova defodere in terram virgulta, nec altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
935 Quod Sol, atque Imbres dederant, quod Terra creârat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum;
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, et quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta Pœniceo fieri matura colore,
940 Plurima tum Tellus etiam majora ferebat:

pecudes inter se mixtas, aut animalia e diversis corporibus composita: quoniam illa, quorum magnus numerus e terra nunc oritur, herbæ viz. fruges atque arbores, nunquam commiscentur, atque inter se composita producuntur; sic res quæque suo more crescit, omnesque res certo Naturæ fœdere servant discrimina. Illud autem genus humanum multo erat durius, ut par erat, utpote a dura tellure productum, e majoribus et magis solidis ossibus intus fundatum, et magis validis nervis membra illius erant connexa, et quod neque frigore nec calore nec alimenti novitate, nec ullo corporis languore facile afficeretur: longævum insuper erat, multosque per annos tanquam feræ, nullis artibus instructi homines vagabantur. Nondum erat robustus arator, nec quisquam erat qui agros coleret, et ferro domaret arva: nemo qui virgulta tenera plantare, putresque ramos ab altis arboribus falce amputare noverit. Quod sol et imbres dabant, et quod sponte sua tellus edidit, illo vivebant contenti. Plerumque inter quercus glandiferas curabant corpora (sese glandibus alebant) illaque poma sylvestria, quæ nunc cernis hyberno tempore rubenti colore splendida maturescere, tum plura et majora e terra nascebantur.

NOTÆ.

923. *Et Genus humanum, &c.*] Hominum e terra natorum vitam, habitum, ingenium, mores fuse describit, et primo quidem, v. 20. docet primos homines validiori, quam nunc, constitisse corpore, ob innatam duritiem, quam e dura terra geniti contraxerant; inde minus obnoxii morbis erant, et longævi. Nemo autem agros coluit, sed glandibus, pomis sylvestribus, et aliis ejusmodi fructibus placabant famem. Ad sedandam sitim fluvii fontesque suo murmure vocabant, v. 8. Nulla illis vestimenta, nullæ domus; procellarum, frigorisque vim defendebant sylvæ, frutices, et antra, v. 5. Nullæ leges; nullum commune bonum; vivebant rapto, et promiscua Venere (nam vi, blanditiis, aut pretio, glandibus viz. pyris, pomisve mares sibi fœminas conciliârunt) utebantur, v. 8.

928. *Labi*] Labe: sic *parti, tabi, igni*, &c.

930. *Tractabant*] Alii, *tolerabant*.

932. *Molirier*] Aliis non displicet, *Mollirier*.

Multaque præterea novitas tum florida mundi
Pabula dia tulit, miseris mortalibus ampla.
At sedare sitim Fluvii Fontesque vocabant:
Ut nunc montibus e magnis decursus aquaï
945 Claricitat late sitientia sæcla Ferarum.
Denique noctivagi silvestria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,
Humida saxa super viridi stillantia musco:
950 Et partim plano scatere atque erumpere campo.
Necdum res Igni scibant tractare, nec uti
Pellibus, et Spoliis corpus vestire ferarum:
Sed Nemora, atque cavos Monteis, Sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
955 Verbera ventorum vitare imbreisque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti:
Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
960 Et Venus in sylvis jungebat corpora amantum.
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta Viri vis, atque impensa libido:
Vel pretium, Glandes, atque Arbuta, vel Pira lecta.
Et manuum mira freti virtute, pedumque,

Præterea, mundus tum novus, vegetus, et vigens alia edidit alimenta quæ usibus et necessitati miserorum mortalium apta erant et sufficientia. At fluvii et fontes invitabant sedare sitim, ut nunc aquæ e magnis montibus cum sonitu decurrentes feras sitientes invitant. Denique noctu vagantes antra, quæ nos templa sylvestria nympharum dicimus, intrârunt, e quibus antris manabant aquæ, largoque humore saxa, humida inquam saxa, per quæ musco viridi cooperta distillabant aquæ guttæ, madefacere, partim vero per planos campos decurrere properabant. Nondum noverunt usum ignis, neque uti pellibus, spoliisque ferarum vestire sua corpora, sed sylvas, cavos montes, et nemora habitabant, nudaque sua membra inter dumos et arbusta abscondebant, coacti vitare vim acrem ventorum, et imbrium. Nulla erat res publica, nullum commune bonum, neque institutis ullis aut legibus tenebantur, quod prædæ cuique objecit fortuna, illud quisque rapiebat, suæ vitæ suæque saluti consulere a natura edoctus. In sylvis etiam Venus jungebat amantum corpora (rem Veneris peragebant) namque vel mutua cupido fœminas conciliabat, vel violenta vis et impetus maris cogebat, vel pretium aliquod, glandes viz. poma sylvestria, aut lecta pira, pellexit. Lacertis etiam validis pedibusque celeribus instructi

NOTÆ.

945. *Claricitat*] Advocat, invitat; et hæc Simeonis Boysii conjectura (nam quidam, *clare citat ad se*, vel *clarior accitat*) est plausu dignissima. *Faber.*

946. *Noctivagi*] Melius quam *nota vagis.*

962. *Impensa*] Vehemens, magna; sic *impensum pretium*, Cæsar.

964. *Et manuum mira, &c.*] Hi denique robusti immitesque homines per totos dies feras saxis, stipitibus, et id genus armis, persequebantur; et multa cæde fatigati, vel cum nox advenerit, se frondibus foliisque involventes humi dormiebant securi; securi inquam, neque enim timuerunt (ea erat absurda Stoicorum opinio,

Nam rudis ante illos, nullo discrimine, vita
In speciem conversa operum ratione carebat,
Et stupefacta novo pendebat lumine Mundi,
Tum velut amissis mœrens, tum læta renatis

965 Consectabantur sylvestria sæcla Ferarum
Missilibus saxis, et magno pondere clavæ,
Multaque vincebant, vitabant pauca latebris:
Setigerisque pares Suibus sylvestria membra
Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,
970 Circum se foliis ac frondibus involventes.
Nec plangore diem magno, Solemque per agros
Quærebant pavidi, palantes noctis in umbris:
Sed taciti respectabant, somnoque sepulti,
Dum rosea face Sol inferret lumina cœlo.
975 A parvis quod enim consuerant cernere semper
Alterno tenebras, et lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset, mirarier unquam,
Nec diffidere, ne Terras æterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine Solis.
980 Sed magis illud erat curæ, quod sæcla Ferarum
Infestam miseris faciebant sæpe quietem:
Ejectique domo fugiebant saxea tecta
Setigeri Suis adventu, validique Leonis,
Atque intempesta cedebant nocte paventes
985 Hospitibus sævis instrata cubilia fronde.

feras sylvestres venabantur saxis missilibus, magnisque et ponderosis clavis urgentes, multasque perimebant, paucæ vero vim eorum et impetum latebris vitabant. Et cum nox advenerit, tanquam setigeri apri sylvestria sua membra nuda humi sternebant foliis et frondibus se circum involventes. Nec cum sol occiderit magno ululatu implebant agros pavidi quærentes diem, et in tenebris misere vagantes: sed sine questu expectabant, somnumque carpebant, donec sol rosea face lumina cœlo inferret (iterum oriretur). Quod enim a prima origine solebant experiri, diem viz. noctemque sibi invicem succedere, cur unquam mirarentur id fieri posse, cur denique timerent ne perpetuæ tenebræ terras æternum obruerent detracto solis lumine? Illud vero maxime angebat, quod feræ noctu invadentes funestum miseris somnum sæpe reddiderunt: antrisque suis expulsi saxeas domos deserebant, cum spumans aper, aut sævus leo irrumperet; atque nocte intempesta pavidi relinquebant cubilia sua fronde instrata sævis hospitibus (leonibus et apris) occupanda.

NOTÆ.

Sideribus——
Manilius, lib. I. v. 66.) ne adveniente nocte dies deinceps non rediret, ob jam perspectam a prima origine diei ac noctis vicissitudinem, v. 16. Hæc autem vita erat nonnullis incommodis obnoxia; dormientes feræ invadebant, et inde mors cita, vel longa gravisque (nondum vires herbarum noverunt) putrescentia vulnera sequuta est. Multos fames abstulit, plures noxiæ herbæ, quas inscii legerant. Ne vero quis putet tot malis obrutum fuisse totum humanum genus, et ad interitum redactum, consideret feras tum singulos lacerasse, noxiis herbis aut alimenti inopia paucos periisse; at quot millia rapit una acies, quot absorbet mare, quot denique luxuries enecat, et venenata pocula. V. 29.

967. *Vitabant pauca latebris*] Raro fugiebant, et latebrarum præsidio periculum vitabant. *Lambinus.* Utra interpretatio melior sit, lector judicet.

968. *Sylvestria*] *Sylvestribus;* Gifanius.

973. *Sed taciti respectabant*] Primi illi homines, quos Horatius, *mutum et turpe pecus* (quippe Epicuri rationem sequebatur, dum id scribebat), genus, Hercule, mirificissimum erat, quippe qui in soporem dati, aliter longe suis oculis utebantur, ac nos hodie utimur: nos enim ubi semel cœpimus obdormire, nil oculis præter somnum et insomnia videmus. Illi somno gravati et oppressi perpetuo *respectabant*, reflexo capite viz. solem orientem. Scribe igitur,

—*Sed taciti* expectabant. *Faber.*

At non magis *expectant*, quam *respectant* dormientes: mallem igitur *resupinabant.*

Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia sæcla
Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.
Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva feris præbebat dentibus haustus:
990 Et nemora ac monteis gemitu, sylvasque replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto.
At quos effugium servârat, corpore adeso,
Posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum,
995 Donicum eos vita privârunt Vermina sæva,
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa Virûm sub signis millia ducta
Una dies dabat exitio: nec turbida ponti
Æquora lædebant naves ad saxa, virosque.
1000 Sed temere, incassum Mare fluctibu' sæpe coortis
Sævibat, leviterque minas ponebat inaneis;
Nec poterat quemquam placidi pellacia Ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis:
Improba navigii ratio tum cæca jacebat.
1005 Tum Pænuria deinde cibi, languentia letho
Membra dabat: contra nunc rerum Copia mersat.
Illi imprudentes ipsi sibi sæpe Venenum

Attamen tum temporis vix plures homines quam nunc linquebant dulcia lumina labentis vitæ (perierunt). Tum enim unusquisque hominum qui erat a feris ita deprehensus, ut effugere non potuit, illarum dentibus fractus et devoratus, viva illis præbebat alimenta, nemora, montes, sylvasque gemitu implebat, videns viscera sua vivo sepulchro viva condi. At qui fugerunt postquam morsu fuissent vulnerati, putrida sua vulnera manu tremula tegentes horrendis clamoribus mortem vocabant: donec tandem sævi vermes vita privabant illos omnis medicinæ auxilii inopes, et ignaros quæ remedia vulnera poscebant. At tum una dies non dabat exitio multa hominum millia sub signis ducta (nondum erat bellum), nec tumidum turbidumque mare naves virosque ad scopulos allidebant: sed sæpe mare procellis agitatum frustra intumuit, et incassum minabatur; nec quenquam potuit dolosa fallacia tranquilli maris, cum veluti rideant undæ, in pericula allicere, cum nondum nota erat navis, nec aliqua navigandi ars. Tum etiam temporis cibi penuria languebant nonnulli, et fame perierunt; nunc rerum copia et luxuries obruit, tum imprudentes (herbarum enim succos ignorabant) sibi aliquando miscebant venenum;

NOTÆ.

987. *Labentis lumina vitæ*] Ut supra,
—— Fugienti *languida vita.*
Ista est Mureti emendatio; codd. *lamentis.*

995. *Vermina sæva*] Vide Festum, qui hac voce dolores ex vermibus membra interius rodentibus natos significari ait: forsan *vermina* et vermes ipsos significabit. *Faber.*

1000. *Incassum Mare fluctibus*] Codices,
Sed temere, incassum, frustra, mare sæpe coortum.
Sic lib. 2. v. 1059.
Multimodis, temere, incassum, frustraque, &c.
Vossius ad Catullum, pag. 230.
Sed temere, incassum Flustro, *Mare sæpe coortum*
Sævibat ——
Flustrum autem Tertullianus de Pallio interpretatur temperatum maris motum, et medium inter tranquillum mare, et quod decumanis assurgit fluctibus (vid. Tertullianum de Pallio, cap. 2. et Salmasii notas): sed hæc Tertulliani interpretatio Vossii conjecturam refutat, tum enim sævit mare, cum decumanis fluctibus assurgit.

1001. *Minas ponebat*] Alii, *miscebat.*

1003. *Ridentibus undis*] Nihil enim blandius tranquillo mari.

Vergebant: nunc dant aliis sollertius ipsi.
Inde Casas postquam, ac Pelleis, Ignemque parârunt,
1010 Et Mulier conjuncta Viro concessit in unum;
Castaque privatæ Veneris connubia læta
Cognita sunt, Prolemque ex se videre creatam:
Tum genus Humanum primum mollescere cœpit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
1015 Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vireis, Puerique parentum
Blanditiis facile ingenium fregêre superbum.
Tunc et amicitiam cœperunt jungere habentes
Finitima inter se, nec lædere, nec violare:
1020 Et pueros commendârunt, muliebreque sæclum
Vocibus, et gestu, cum balbe significarent,
Imbecillorum esse æquum misererier omnium.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni;
Sed bona, magnaque pars servabant fœdera casti:
1025 Aut genus Humanum jam tum foret omne peremptum,
Nec potuisset adhuc perducere sæcla propago.
At varios linguæ Sonitus Natura subegit

nunc arte docti aliis solerter præbent. Deinde postquam sibi casas exstruxerunt, pellibus vestiti incedebant, et ignem paraverunt, et fœmina mari conjuncta cum eo vitam transigebat, cum casta erant connubia, privata, nec amplius volgivaga Venus, et natam ex se prolem agnoscebant, tum Humanum genus olim durum cœpit mollescere, nam ignis effecit ut corpora alsia frigus sub dio minus valerent pati; Venus deinde et connubia diminuerunt vires, et pueri blanditiis suis ferociam parentum emolliebant. Tunc qui casas vicinas possidebant cœperunt inter se jungere amicitiam, et a vi et injuriis abstinere; pueros etiam et mulieres misericordiæ mutuo commendarunt, cum nutu, gestu, voceque inarticulata significarunt, æquum justumque esse infirmorum omnium misereri: licet vero inter omnes mutua non potuerunt esse fœdera, bona tamen magnaque pars hominum amicitiam pie colebant; alias tum totum genus humanum fuisset peremptum, neque in hodiernum diem durasset illius propago. At Natura coëgit varios linguæ sonos

NOTÆ.

1008. *Vergebant*] Infundebant: Plautus in Curcul. Act. 1. Sc. 2. l. 12. *Invergere in me liquores tuos*
Sino ductim——
Virgilius, Æn. 6. v. 244.
—*Frontique invergit vina Sacerdos.*
Vergere autem, est conversa in sinistram partem manu ita fundere ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit: *Servius.* Ideo huic loco vox ista mire convenit.

1009. *Inde casas postquam, &c.*] Hactenus homines efferos, per sylvas vagantes, et rapto viventes vidimus. Alii jam in scenam prodeunt, mansueti, mites, et civilis vitæ studiosi: non enim manebat ista, quæ in novo mundo fuit, aëris temperies, sed modo durum frigus, modo nimius calor, procellæ et tempestates affligebant: inde paulatim fractæ istorum vires; inde domos struxerunt, quibus sese continentes privata Venere utebantur, et natorum blanditiis assueti mansuetudinem induebant. Deinde pellibus contra Cœli inclementiam usi, et post repertum ignem ita erant emolliti, ut fœdera et amicitiam inire, a vi et injuriis abstinere necessarium foret, si ipsi salvi esse vellent; ita tandem concordia conservatum est humanum genus. V. 18.

1014. *Alsia corpora*] Sunt autem *alsii* et *alsiosi*, qui frigus ferre non possunt. Varro, lib. 2. de re rustica, cap. 3. de capris. *Stabulantur pecus melius, ad hibernos exortus si spectat, quod est* alsiosum: *Lambinus.*

1021. *Balbe*] Quippe qui nondum expedite loqui didicissent, sermone minime adhuc constituto: *Faber.*

1027. *At varios linguæ sonitus, &c.*] Sed quo modo fœdera inter homines (mutum et turpe pecus), qui sentire forsan potuerunt, at quæ sentiebant effari nondum di-

Mittere, et Utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur
1030 Protrahere ad gestum Pueros infantia linguæ,
Cum facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstrent,
Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti,
Cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
Illis iratus petit, atque infensus inurget.
1035 At catuli Pantherarum, scymnique Leonum
Unguibus, ac pedibus jam tum, morsuque repugnant,
Vixdum cum ipsis sunt dentes unguesque creati.
Alituum porro genus alis omne videmus
Fidere, et a pennis tremulum petere auxiliatum.
1040 Proinde putare Aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, et inde Homines didicisse vocabula prima,
Desipere 'st: nam cur Hic posset cuncta notare
Vocibus, et varios sonitus emittere linguæ,
Tempore eodem Alii facere id non quisse putentur?
1045 Præterea, si non Alii quoque vocibus usi
Inter se fuerant; unde insita notities est
Utilitatis, et unde data 'st Huic prima potestas,
Quid vellet, facere, ut scirent, animoque viderent?
Cogere item plureis Unus, victosque domare

mittere (vocem articulare), et utilitas verba docuit, et rebus nomina imposuit: non aliter ac jam ipsa linguæ infantia (loquendi impotentia) pueros ad gestum provocat, cum cogit ut digito monstrent res præsentes, et sibi objectas. Nam unusquisque conscius est illius facultatis quæ sibi inest, et qua possit uti. Priusquam cornua nata frontibus vitulorum extent, illis irati feriunt, et impetum faciunt: at pantherarum et leonum catuli unguibus, pedibus et dentibus se defendunt, cum ungues et dentes vix sint ipsis nati: denique videmus omnes volucres, adhuc implumes alas suas movere, tremulumque ab iis petere auxilium. Proinde putare unum aliquem hominem rebus imposuisse nomina, et inde prima vocabula accepisse homines, id quidem absurdum est: cur enim hic homo vocem articulare, et nomina rebus imponere possit, alii autem eodem tempore illud non potuisse crederentur? Præterea, si alii quoque non usi fuerunt vocibus inter se, unde isti cognoverint vocum utilitatem? aut quo modo potuit ille qui primus rebus nomina imposuit efficere, ut alii scirent et intelligerent quid vellet? Ille enim unus non potuit multos subigere, et subactos cogere

NOTÆ.

dicerant? Respondet Lucretius, homines istos primos suæ facultatis fuisse conscios, et ut unaquæque res sibi objecta dolorem, gaudium, metum, &c. excitabat, diversos sonos expressisse; id enim cogebat natura, et idem faciunt aves, equi, canes, omnia denique animalia quæ respirant. Hoc vero modo *balbe* tantum, v. 1021. significabant: nondum instituta erant commercia, neque nisi rebus nomina imponerentur institui potuerunt. Igitur unusquisque hominum utile sibi aliisque fore sensit certa rebus nomina assignare; ita omnibus, qui eodem fœdere erant juncti, de iisdem vocabulis inter se convenit, et rerum nomina expressit utilitas. Quod vero dicat aliquis, (non tantum Pythagoram, et Platonem, sed et sacram Mosis historiam mihi videtur convellere) unum viz. hominem rebus omnibus nomina dedisse, illud ineptum prorsus et absurdum. Hæc, v. 63.

1030. *Infantia linguæ*] Juvenalis, Sat. x.
Madidi infantia *nasi*.
Sed infantiam linguæ recte interpretari videor.

1037. *Vixdum cum ipsis*] Gifanius, *vix etiam, cum &c.* Lambinus,
Vix dum etiam cum, vel *vix dum eis cum*.

1039. *Tremulum—auxiliatum*] Propter tremulum alarum motum.

1050 Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere ulla, suadereque surdis,
Quid facto esset opus, faciles neque enim paterentur,
Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
1055 Postremo, quid in hac mirabile tantopere est re,
Si genus Humanum, cui vox, et lingua vigeret,
Pro vario sensu varias res voce notaret,
Cum Pecudes mutæ, cum denique sæcla Ferarum
Dissimileis soleant voces variasque ciere,
1060 Cum Metus, aut Dolor est, et cum jam Gaudia gliscunt?
Quippe etenim id licet e rebus cognoscere apertis.
Inritata canum cum primum magna Molossûm
Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis,
Longe alio sonitu rabie distracta minantur;
1065 Et cum jam latrant, et vocibus omnia complent.
At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morsuque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant;
1070 Et cum deserti baubantur in ædibus, aut cum
Plorantes fugiunt summisso corpore plagas.
Denique non Hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi Equus florenti ætate juvencus
Pinnigeri sævit calcaribus ictus Amoris;

ut rerum nomina vellent discere, neque ullo modo potuit docere, et demonstrare hominibus non audientibus quid facto opus sit: neque enim æquo animo ferrent, neque ullo modo paterentur aures suas insolito et non intellecto clamore et vocibus frustra obtundi. Postremo, quid est quod miremur, si homines, quibus vox et lingua competit, res diversas, et a se diverso modo perceptas diversis nominibus notarent: cum ipsæ mutæ (orationis expertes) pecudes, cum feræ etiam diversas et dissimiles voces soleant emittere cum metuunt, cum dolent, et cum voluptate afficiuntur: et hoc quidem frequens docet experientia. Cum primum lati mollesque rictus canum molossorum irritati fremunt, a duris dentibus diducti, eosque nudos relinquentes, minantur sonitu longe diverso ab eo quem emittunt, cum ingenti latratu complent loca omnia: verum cum catulos suos lingua blande lambere conantur, aut ubi eos pedibus molliter movent, et petentes morsu imitantur teneros haustus dentibus suspensis; diverso plane modo voce sua adulantur, ac cum soli in domibus relicti baubantur (latrant), aut cum inclinato et in terram demisso corpore ictus imminentes plorantes vitant. Denique nonne item videtur hinnitus differre, cum equus juventute vigens inter equas furit stimulis alati amoris ictus,

NOTÆ.

1055. *Postremo, quid in hac, &c.*] Si enim nomina ipsa per sese cognitionem aliquam τῶν φύσεων afferrent, atque ex sola pronuntiatione trium quatuorve syllabarum singularis aliqua cognitio pararetur, sane mirandum foret; sed cum ab usu, usus autem a temeritate, fortuna, commoditate, interdum et a popelli imperitia &c. pendeat, nihil sane mirabile est, quod ait Lucretius: *Faber.*

1063. *Ricta*] Ut lib. 4. *volta* pro *vultus.* Et lib. 6. v. 1193. *Inhorrebat rictum. Fremunt* autem recte legitur, nec admittendum est Nonii *tremunt;* rejiciendum vero, licet mille codd. exhibeant, Gifanii *premunt.*

1067. *Morsuque petentes*] Alii, *patente.* Certant etiam Grammatici utrum *lactant,* an *jactant* legeretur. In sequenti versu pro *teneros,* Faber, *veros.* Negligo.

1075 Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma:
Ac cum sis alias concussis artubus hinnit?
Postremo, genus Alituum, variæque volucres,
Accipitres, atque Ossifragæ, Mergique marinis
Fluctibus in salsis victum vitamque petentes,
1080 Longe alias alio jaciunt in tempore voces;
Et cum de victu certant, prædaque repugnant.
Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus, Cornicum ut sæcla vetusta,
Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbreis
1085 Poscere, et interdum ventos aurasque vocare.
Ergo, si varii sensus Animalia cogunt,
Muta tamen cum sint, varias emittere voces:
Quanto mortaleis magis æquum 'st tum potuisse
Dissimileis alia, atque alia res voce notare?
1090 Illud in his rebus tacitus ne forte requiras:
Fulmen detulit in terras mortalibus Ignem
Primitus: inde omnis Flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim cœlestibus incita flammis
Fulgere, cum cœli donavit plaga vapores.
1095 Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
Æstuat in ramos incumbens arboris Arbor,
Exprimitur validis extritus viribus Ignis;
Et micat interdum flammaï fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur:

vel cum in pugnam ruiturus e patulis naribus hinnitum edit, et cum alias propter causas artibus concussis hinnit? Postremo diversa avium genera, accipitres, ossifragæ, et mergi qui in mari vivunt, omni alio tempore voces emittunt longe diversas ab illis quas edunt, cum de victu certant, et pro præda pugnant. Pro diversa etiam cœli temperie diversos edunt raucos sonos, ut longæva gens cornicum, et corvorum turba, quando dicuntur aquam et imbres poscere, et interdum ventos et procellas vocare. Ergo, si varii affectus, et diversæ rerum perceptiones cogunt animalia etiam muta nec voce articulata prædita varias et diversas voces emittere, quanto verisimilius est homines tum potuisse res diversas diversis vocibus notare? Ne vero de igne nimis solicitus sis, fulmen primo ignem detulit in terras hominibus, et inde accensa est omnis ista quæ per totum orbem distribuitur flamma: nam multa videmus a flammis cœlestibus accendi cum regio aliqua cœli multos ignes emisit; et cum ramosa arbor huc et illuc validis ventis agitata in alterius arboris ramos incumbens calorem colligit, vehementi ista agitatione extritus ignis exprimitur, interdum etiam fervida flamma splendet, dum rami stirpesque arborum inter se mutuo teruntur.

NOTÆ.

1075. *Ad arma*] Alius forsan istarum vocum sensus, sed turpiculus.

1076. *Sis*] Suis; ut lib. 3.

Lumina sis *oculis etiam bonus Ancu' reliquit.*

1085. *Ventos aurasque vocare, et imbres poscere*] Inde Virg. 1. Georg.

Tum cornix plena pluviam vocat *improba voce.*

1090. *Illud in his rebus, &c.*] Supra ignis mentionem fecit, v. 1009. Jam vero, v. 17. docet ignem vel fulmine in terras delatum, vel ex arboribus vento jactatis ramisque inter se contritis natum, primo se mortalibus exhibuisse; illius autem ministerio ad præparandos cibos homines fuisse usos, quoniam observaverant solis calore mitiores fieri et sibi aptiores fructus: inde alius victus, alia vivendi ratio, quam invenit ingeniosa luxuries.

1098. *Et micat*] Gifanius, *emicat.*

1099. *Mutua*] Ita lib. 2.

— *mortales* mutua *vivunt.*

1100 Quorum utrumque dedisse potest mortalibus Ignem.
Inde Cibum coquere, ac flammæ mollire vapore
Sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum, atque æstu victa per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
1105 Commutare novis monstrabant rebus, et igni,
Ingenio qui præstabant, et corde vigebant.
Condere cœperunt urbeis, arcemque locare
Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiumque:
Et pecudes, et agros divisere, atque dedere
1110 Pro Facie cujusque, et Viribus, Ingenioque:
Nam Facies multum valuit, viresque vigebant.
Posterius Res inventa 'st, Aurumque repertum,
Quod facile et Validis, et Pulchris demsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
1115 Quamlibet et fortes, et pulchro corpore creti.
Quod siquis vera vitam ratione gubernet,
Divitiæ grandes homini sunt, Vivere parce
Æquo animo; neque enim 'st unquam pænuria Parvi:
At claros se homines voluere esse, atque potenteis,
1120 Ut fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent Opulenti degere vitam:
Nequicquam; quoniam ad summum succedere honorem

Quorum utrumque (fulmen viz. et istæ arbores attritæ) dedisse potest ignem hominibus. Deinde cibum coquere, et calore ignis emollire alimentum sol docuit; videbant enim multa per agros (fructus viz. et fruges) solis radiis mitia et matura fieri. Et qui ingenio præstabant et sagaces erant, nova quotidie alimenta, novosque præparandi modos igne adjuti demonstrabant. Reges ipsi cœperunt urbes condere, et arcem locare sibi præsidium, et quo se recipiant cum alii invadant. Pecudes etiam, agrosque partiti sunt, singulisque portio assignata, prout forma, viribus, aut ingenio præstabant: tum enim forma et vires in maximo honore erant. Postea divitiæ, aurumque inventum est, quod formæ et viribus facile honorem abstulit, nam illius qui divitiis abundat factionem jam sequuntur, et illi serviunt, qui forma et viribus sunt conspicui. Quod siquis secundum rectæ rationis præcepta vitam suam institueret, divitiæ grandes sunt homini frugi vivere æquo animo, nemo enim tam miser quin parvo semper gaudeat. At homines volunt se esse claros et potentes, ut stabili fundamento fortuna inniteretur, et opulenti possint vitam tranquillam agere: frustra; nam turba illorum qui summos honores attingere conantur

NOTÆ.

1107. *Condere cœperunt urbes, &c.*] Ut communi saluti melius consultum foret, summa potestas defertur uni, quem forma, ingenio, aut viribus præstantem, et plane regem effecerat Natura: ille urbes, ille arces condidit sibi subditisque suis ab hostium injuriis præsidium; illius arbitrio agebantur omnia, et O fælix humanum genus sub tali principe! Sed subito corrupit avaritia, evertit omnia ambitio, et ita hodie dominantur, ut si vivere velis, rerum publicarum administrationem fuge; difficulter enim obtinetur imperium, et difficilius retinetur. Pro voluptatibus curas affert et molestias, instabile denique et infirmum est, invidia et insidiis undique petitum. Sed quid moneo? semper rapuit, semperque rapiet homines

Ventoso gloria curru. Hæc v. 28.

1111. *Viresque vigebant*] Faber, *vigentes.*

1116. *Quod siquis vera, &c.*] Lege quæ sequuntur, et fateberis Epicurum providum esse et continentem, ab omni avaritia et ambitione alienum, nam utraque curas affert et molestias, neutra promovet fælicitatem: hinc ipsius effatum, ἥδιστα πολυτελείας ἀπολαύουσιν οἱ ἥκιστα αὐτῆς δεόμενοι.

1122. *Quoniam ad summum, &c.*] Di-

Certantes, iter infestum fecêre viaï.
Et tamen e summo quasi Fulmen dejicit ictos
1125 Invidia interdum contentim in Tartara tetra:
Ut satius multo jam sit parere quietum,
Quam regere Imperio res velle, et Regna tenere.
Proinde, sine, incassum defessi sanguine sudent
Angustum per iter luctantes Ambitionis;
1130 Invidia quoniam seu Fulmine summa vaporant
Plerumque, et quæ sunt aliis magis edita cunque:
Quandoquidem sapiunt alieno ex ore; petuntque
Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis:
Nec magis id nunc est, nec erit mox, quam fuit ante.
1135 Ergo Regibus occisis subversa jacebat
Pristina majestas soliorum, et sceptra superba;
Et capitis Summi præclarum Insigne cruentum
Sub pedibus Volgi magnum lugebat honorem:
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
1140 Res itaque ad summam Fæcem Turbasque redibat,
Imperium sibi cum, ac summatum quisque petebat.
Inde Magistratum partim docuere creare,
Juraque constituêre, ut vellent legibus uti:
Nam genus Humanum defessum vi colere ævum,
1145 Ex inimicitiis languebat; quo magis ipsum

reddidit iter ad honores periculosum, et sæpe invidia tanquam fulmen dejicit homines a summo honoris fastigio in infimam vilissimamque sortem; ita ut multo melius sit modica fortuna contentum vivere, et quietum parere, quam imperare, et regnum obtinere velle. Proinde, frustra, nihil enim moror, improbe laborent, luctantes per angustias ambitionis (summa enim et quæcunque aliis altiora sunt invidia seu fulmine plerumque flagrant,) dum alieno ex ore sapiunt; et honorem et imperium cupiunt quod ab aliis tanquam bona laudantur, potius quam quod ipsi sentiunt: hic nunc est, semper erit, semperque fuit mos hominum. Ergo regibus occisis subversa jacebat pristina majestas soliorum, et superba sceptra, et regii capitis ornamentum diadema ipsius regis sanguine fœdatum sub pedibus vilis plebis jacebat sine honore; quicquid enim olim maxime timebat vulgus, jam dejectum summa cum voluptate calcat. Imperium igitur ad infimam plebem vilemque turbam rediit, dum unusquisque regnum affectabat, et acquirere studebat. Inde magistratus instituere quidam ingenio et virtute præstantes alios docuerunt, et leges condiderunt, secundum quas vitam suam agerent. Nam genus humanum omnia vi, odio et inimicitiis agere tædebat, ideoque libentius sese

NOTÆ.

versam ab aliis, sed veram interpretationem apposuisse videor.

1128. *Sanguine sudent*] Valde laborent, interpretes; quibus credo, quoniam quid melius dici possit nondum inveni.

1130. *Invidia quoniam*] Duos hosce versus, si libri permitterent, delerem, certe ejectis istis integra foret sententia, quæ illorum interventu luxata videatur.

1135. *Ergo, regibus occisis, &c.*] Deturbatis regibus, iterum vis, injuriæ, tumultus, et ad pristinam feritatem rediit hominum vita; tandem placuit magistratus creare, leges constituere, et pœnis coërcere injuriosos: prudenter hoc quidem, nam metus vehementissima causa est, et timore homines maxime continentur. Ne vero quis putet se impune fœdera violare posse, quoniam clam peccet, nam garrula est conscientia, et multi vel morbo delirantes vel in somnis suorum scelerum indicium fecerunt.

1139. *Metutum*] Vox antiquis nota.

1141. *Summatum*] Summum gradum, aut summos honores

1142. *Docuere*] Forsan *didicere*.

Sponte sua cecidit sub leges, arctaque jura:
Acrius ex Ira quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessum 'st Legibus æquis;
Hanc ob rem 'st Homines pertæsum vi colere ævum;
1150 Unde Metus maculat pœnarum præmia vitæ.
Circumretit enim Vis atque Injuria quemque,
Atque, unde exorta 'st, ad eum plerumque revertit:
Nec facile 'st placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
1155 Etsi fallit enim Divûm genus Humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:
Quippe ubi se multi per Somnia sæpe loquentes,
Aut Morbo delirantes procrâxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dedisse.
1160 Nunc quæ causa Deûm per magnas Numina genteis
Pervolgârit, et ararum compleverit urbeis,
Suscipiendaque curârit sollennia sacra,
" Quæ nunc in magnis florent sacra rebu', locisque:
Unde etiam nunc est Mortalibus insitus Horror,
1165 Qui delubra Deûm nova toto suscitat orbi

egibus subjecit, et jure uti constituit; quod enim unusquisque injuria lacessitus et ira percitus acriorem vindictam sumere, quam nunc leges æquæ permittunt, parabat, ideo homines tandem tædebat omnia agere vi, quippe inde natus timor, perpetuusque metus omnes vitæ voluptates contaminat et inficit. Vis enim et injuria unumquemque circumretit, et in eum, a quo primum exorta est, recidit, neque ille securam tranquillamque vitam facile agat, qui communia pacis fœdera facinore scelereque suo violat: nam licet Deos hominesque lateat, timere tamen debet ne aliquando foret palam, nam multi sæpe per somnia loquentes aut morbo delirantes facinora diu celata indicâsse dicuntur et in medium protulisse. Nunc quæ causa Deos per totum terrarum orbem agnosci fecit, et urbes aris implevit, et solennia instituit sacra quæ nunc ubique in usu sunt, et sine quibus nullum facinus egregium suscipitur; unde etiam metus iste Deorum, qui nunc nova templa per totum orbem terrarum extruit,

NOTÆ.

1150. *Unde metus maculat*] Apertior trium horum versuum sententia, si invertatur illorum ordo,

Circumretit enim vis atque injuria quemque,
Atque unde exorta est ad eum plerumque revertit,
Unde metus &c.

1158. *Procrâxe*] Verbum originis Græcæ, a κράζω, ἴκραγον, unde Poeta finxit τὸ procrago, *Faber*: alii, *protraxe* pro protraxisse.

1160. *Nunc quæ causa, &c.*] A primo hominum ortu religio, et deorum metus; unde vero ista numinum notities? a simulachris quibusdam, e Diis ipsis (quibus quasi corpus et quasi sanguinem attribuit Epicurus) profluentibus an fortuito natis incertum est. Ista autem simulachra perpetuo in mentes hominum tam vigilantium quam dormientium incursu efficiebant, ut conjicerent homines extare alicubi ipsis consimiles naturas, intelligentiæ capaces, quippe membra movere, et loqui simulachra videbantur: v. 6. Immortales etiam, quoniam eadem semper simulachrorum forma, et immensa illorum virtus, v. 4. Beatas denique, quoniam neque metu mortis nec periculis erant vexatæ, et nunquam lassatæ æterno quasi otio fruebantur, v. 4.

1163. *Quæ nunc in magnis, &c.*] Hic versus vel spurius est, vel extra omnem medendi spem jacet; sensus enim illius esse debuerat,

Quæ nunc in cunctis fumant arisque focisque:

Faber. At sanus videtur versus et integer.

Terrarum, et festis cogit celebrare diebus:
Non ita difficile 'st rationem reddere verbis.
Quippe etenim jam tum Divûm Mortalia sæcla
Egregias animo facies vigilante videbant,
1170 Et magis in somnis mirando corporis auctu.
His igitur sensum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur, vocesque superbas
Mittere pro facie præclara, et viribus amplis.
Æternamque dabant vitam, quia semper eorum
1175 Suppeditabatur facies, et forma manebat,
(Et manet omnino) et quod tantis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci posse putabant.
Fortunisque ideo longe præstare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum,
1180 Et simul in somnis quia multa, et mira videbant
Efficere, et nullum capere ipsos inde laborem.
Præterea, Cœli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti;
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis:
1185 Ergo perfugium sibi habebant omnia Divis
Tradere, et illorum nutu facere omnia flecti.
In Cœloque Deûm sedes, et templa locârunt,
Per cœlum volvi quia Sol, et Luna videntur:
Luna, Dies, et Nox, et noctis Signa severa,
1190 Noctivagæque faces cœli, Flammæque volantes,
Nubila, Ros, Imbres, Nix, Venti, Fulmina, Grando,

fatosque dies instituit, homines invasit, docere, et carmine explicare non adeo difficile videtur. Quippe tum homines præclara Deorum simulachra animo vigilante percipiebant; in somnis autem ista simulachra majora videbantur, et augustiora. His autem sensum tribuebant, quoniam membra movere videbantur, vocesque minaces mittere augustæ formæ amplisque viribus convenientes. Æternam insuper illis attribuebant vitam, quia forma eorum semper exhibebatur, et eadem manebat (et profecto manet); et quia putabant Deos tantis viribus esse auctos, ut nulla vi nulleque impetu diffringi possint. Ideo autem felicissimos putabant, quod metus mortis eos non vexaret, et quoniam in somnis videbant illos multa miraque efficere, minime tamen delassari. Præterea, videbant solem, lunam, et sidera, varia etiam annorum tempora ordine certo verti, quibus autem causis id fieret cognoscere non potuerunt; ideo ad Deos fugiebant, omniaque illorum numine flecti et gubernari crediderunt. Denique Deorum sedes domosque in cœlis locaverunt, quoniam sol et luna videtur volvi per cœlum, luna, inquam, dies, et nox, et stellæ, meteora etiam ignita, nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,

NOTÆ.

1176. (*Et manet omnino*) *et quod*] Alii, *et tamen omnino, quos;* qui quid velint ipsi videant. Alii, *et manet omnino, quos;* id est, necesse ut maneat illorum forma quos, &c.

1182. *Præterea, Cœli rationes, &c.*] Si aliam religionis originem requiras, en causarum naturalium ignorantiam! v. 11. Nam cum siderum conversiones, vicissitudines tempestatum, grandinem, nivem, ventos denique, fulmenque viderint homines, neque quo modo hæc fierent explicare potuerunt, fugiebant ad Deum, nam constantes siderum motus cui potius quam sapienti gubernatori attribuerent? et ubi illius sedem aptius quam in cœlo collocarent, unde nix, grando, fulmen, &c.?

Ibid. *Cœli rationes*] *Ratos Cœli motus;* sæpe Lucretius, et melius quam *cœli regiones.*

1189. *Signa severa*] Alii, *serena.*

Et rapidi fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum! talia Divis
Cum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas:
1195 Quantos tum gemitus Ipsi sibi, quantaque nobis
Volnera; quas lacrymas peperêre minoribu' nostris!
Nec Pietas ulla 'st velatum sæpe videri
Vertier ad Lapidem, atque omneis accedere ad aras;
Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas
1200 Ante Deûm delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed mage pacata posse omnia mente tueri.
Nam cum suspicimus magni cœlestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum,
1205 Et venit in mentem Solis, Lunæque viarum,
Tunc aliis oppressa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquæ forte Deûm nobis immensa potestas
Sit vario motu quæ candida sidera verset.
1210 Tentat enim dubiam mentem rationis egestas,
Ecquænam fuerit Mundi genitalis origo:

rapidum denique tonitru furens murmure horribili. O infelix humanum genus quando talia facta Diis attribuit, eosque iræ capaces esse docuit! quantos tum sibi gemitus, quantas nobis miserias, quas denique posteris nostris lachrymas, conciliârunt! Nec profecto pietas est ulla velato capite ad lapidem videri sæpe verti, accedere ad omnes aras, humi prostratum procumbere, manus pandere ante Deorum delubra, nec multo animalium quadrupedum sanguine aras spargere, nec vota votis nectere; sed potius profecto pietas est intrepida et tranquilla mente posse spectare omnia: nam cum spectemus cœlum latumque æthera stellis micantibus ornatum, et solis lunæque cursus contemplemur, tunc illa cura, quæ aliis malis oppressa jacebat in pectore sopita, caput suum expergefactum attollere incipit, an viz. forte sint Dii immensa potestate præditi, qui solem, lunam et sidera vario motu versent et gubernent. Cum etiam rerum causas non habemus clare perspectas, dubitamus an mundus unquam incœpit esse,

NOTÆ.

1192. *Murmura magna minarum*] Per quæ Dii videntur hominibus minari, et terrorem inferre.

1193. *O genus infelix humanum!*] Opinio de providentia, si Epicuro credimus, unica est causa solicitudinis illius, quæ vitas hominum affligit, atque hæc sententia, v. 24. qui sequuntur, explicatur. Ab illa autem opinione vulgi vana et inepta superstitio, quæ nulla est erga Deos pietas: qui vere pius, seipsum respicit, explorat naturæ vires, ut omnia intelligat, nihil admiretur; inde enim fit ut siderum motus, et alia Naturæ phænomena intrepidus spectaret, dum omnia fieri sine Deorum interventu noverit: nam pietatis mater (Papicolam crederes Lucretium) ignorantia. Horat. Ep. 6. lib. 1.

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque quæ possit facere, et servare beatum:
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent.

Alius,

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
——strepitumque Acheruntis avari
Subjecit pedibus.

1197. *Velatum sæpe videri, &c.*] Romani velato capite et circumacto dextrorsum corpore Deos (lapides) venerabantur: vid. Plutarch. ῥωμαϊκὰ, et vitam Marcelli: et interpretes Minutii Felicis, pag. 12.

1208. *Ecquæ forte Deûm nobis*] Pro *nobis* Faber substituit *unde polis*, in cælis. Sed ista audacior est conjectura, et *tibi, sibi, vobis, nobis, &c.* pro libitu inserebant veteres Poetæ.

Et simul, ecquæ sit finis, quoad mœnia Mundi,
Et tanti motus hunc possint ferre laborem:
An Divinitus æterna donata salute,
1215 Perpetuo possint ævi labentia tractu,
Immensi validas ævi contemnere vireis.
Præterea, cui non animus formidine Divûm
Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plaga torrida Tellus
1220 Contremit, et magnum percurrunt Murmura cœlum?
Non Populi, Gentesque tremunt? Regesque superbi
Conripiunt Divûm perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fœde, dictumve superbe
Pœnarum grave sit solvendi tempus adactum?
1225 Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit,
Cum validis pariter Legionibus, atque Elephantis:
Non Divûm pacem votis adit? ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas?
120 Nequicquam: quoniam violento turbine sæpe
Conreptus nihilo fertur minus ad vada lethi:
Usqueadeo res humanas Vis abdita quædam
Obterit, et pulchros Fasceis, sævasque Secureis
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.
1235 Denique sub pedibus Tellus cum tota vacillat,
Concussæque cadunt urbes, dubiæque minantur:

an aliquis etiam certus sit finis, quousque mundi mœnia durare possint, et tanti motus laborem ferre; an æternitate a Diis donata perpetuo motu versari possint, et immensi ævi vires sustinere illæsa et infracta. Præterea, cujus animus metu Deorum non percellitur, cujus artus non contrahuntur, quando horrendo ictu fulminis exusta terra tremit, et fremens tonitru percurrit cœlum? Nonne populi et gentes, magnique reges timore Deorum perculsi contremiscunt, soliciti ne jam adsit grave tempus solvendi pœnas propter facta turpiter commissa vel superbe dicta. Cum etiam vehemens impetus procellæ classis imperatorem cum validis suis legionibus et elephantis rapit per mare, nonne ille votis omnibus Deos sibi propitios reddere conatur, multaque prece tranquillum mare et ventos secundos pavidus exposcit? Frustra; quoniam sæpe violenta procella fertur in brevia perniciosa, et ad saxa alliditur, æque ac si nullas preces fudisset: vis aliqua occulta res humanas ita obterit, pulchros fasces sævasque secures (omnia imperii insignia,), calcare videtur, et ludibrio habere. Denique cum tota terra sub pedibus nostris tremit, cum urbes quassatæ cadunt, vel inclinata mœnia ruinam minantur,

NOTÆ.

1213. *Et tanti motus hunc possint ferre*] Alii, *taciti*: sed sive *taciti* sive *tanti* legas perinde est; recte autem leges,

Hunc *tanti motus possint* sufferre *laborem*.

Faber.

1217. *Præterea, cui non, &c.*] Alia denique religionis causa est timor, v. 23. procellis, terræ-motu, aliisque maximis malis, quæ nulla sua vi, nulla arte aut industria eluctari possunt, homines attoniti, potestatum invisibilium opem et auxilium implorabant: inde preces et vota, et,

Primus in orbe Deos fecit timor.

At quid valent vota? sævit ventus, preces simul et vela rapit, nec magis audiunt Numina quam tempestas; casu feruntur, rapiuntur omnia.

1218. *Conrepunt*] Translatio mirabilis et audax, ideo quidam legendum censent, *horrescunt*.

Quid mirum si se temnunt Mortalia sæcla?
Atque potestates magnas, mirasque relinquunt
In rebus vireis Divûm, quæ cuncta gubernent?
1240 Quod superest, Æs, atque Aurum, Ferrumque repertu' st,
Et simul Argenti pondus, Plumbique potestas:
Ignis ubi ingenteis sylvas ardore cremârat
Montibus in magnis, seu cœli fulmine misso,
Sive quod inter se bellum sylvestre gerentes,
1245 Hostibus intulerant ignem formidinis ergo;
Sive quod inducti Terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, et pascua reddere rura:
Sive Feras interficere, et ditescere præda:
Nam Fovea, atque Igni prius est venarier ortum,
1250 Quam sepire Plagis saltum, Canibusque ciere.
Quicquid id est, quacunque e causa flammeus ardor
Horribili sonitu sylvas exederat altis
Ab radicibus, et terram percoxerat igni;
Manabat venis ferventibus in loca terræ
1255 Concava conveniens Argenti rivus et Auri,
Æris item et Plumbi; quæ cum concreta videbant
Posterius claro in terris splendere colore,

quid mirum si homines de seipsis non magnifice sentiant, sed existimant infinitam esse quandam in Diis potentiam quæ omnia dirigat et gubernet? Quod superest, æs, aurum, ferrum, argentum, et plumbum tum inventa sunt, cum in magnis montibus ignis ingentes sylvas combusserat, sive ille ignis ortus sit e misso cœli fulmine; sive quod homines in sylvis pugnantes accendebant istum ignem quo terrerent hostes; sive quod bonitate terræ inducti pandere agros fertiles et rura pascua efficere, sive feras interficere, et præda frui volebant; nam fovea atque igne venabantur, antequam sylvam retibus circumdare, et ciere canibus noverunt. Quicquid vero id sit, cum quacunque e causa ortus iste ignis sylvas ab imis radicibus horrendo sonitu consumserat, et telluren percoxerat, rivus argenti, auri, æris, et plumbi e venis terræ ferventibus ebulliit, et in cava telluris loca confluxit; quæ metalla ita in unam massam collecta cum postea viderunt homines claro colore in terris fulgere,

NOTÆ.

1237. *Se temnunt*] Suæ viz. imbecillitatis conscii.

1240. *Quod superest, æs, &c.*] Prima metallorum inventio et usus, quo denique in honore et pretio singula erant, versibus 40. explicatur. Inventio ad sylvarum exustionem, factamque exinde metallorum colliquationem refertur, v. 18. Combustis enim (quo modo exortum fuit istud incendium nihil attinet) sylvis, liquefacta quæ in terræ venis dispersa jacebant metalla in unam massam confluebant; quam cum lævem splendidamque homines viderint, tollebant experturi cui usui res ista tam lævis et nitida inserviret. Cum vero observaverint massæ illius figuram conformem esse figuræ istius lacunæ seu foveæ in quam confluxerat, concludebant eadem metalla igne iterum resoluta in quamlibet formam duci, ita denique attenuari posse, ut mucronem accipiant et acumen. Inde e quolibet metallo instrumenta faciebant, quibus sylvas excideret, tigna trabesque perforarent, &c. Quoniam vero aurum et argentum facilius obtundebantur, quia molliora; ideo primis istis hominibus æs videbatur pretiosius, quod utilius: neque naturam sequuntur inficeti isti homines, qui auro et argento inutilibus metallis stupent, æs et ferrum utiliora negligunt, v. 21.

1242. *Ignis ubi, &c.*] Idem narrat Posidonius apud Strabonem, lib. 3. de Mineris Turditaniæ sive Andalusiæ. Athenæus lib. 6. cap. 4. Aristoteles de mirabilibus Auscul. et Diodorus Siculus.

1252. *Altis*] Melius quam *altas:* nam *altæ* radices in venas metallorum descendunt.

Tollebant nitido capti, levique lepore:
Et simili formata videbant esse figura,
1260 Atque lacunarum fuerant vestigia cuique,
Tum penetrabat eos, posse hæc liquefacta calore,
Quamlibet in formam, et faciem decurrere rerum,
Et prorsum quamvis in acuta ac tenuia posse
Mucronum duci fastigia procudendo;
1265 Ut sibi tela parent, sylvasque excidere possint,
Materiem lævare, dolare, ac radere tigna,
Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
Nec minus Argento facere hæc Auroque parabant,
Quam validi primum violentis viribus Æris:
1270 Nequicquam; quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterat pariter durum sufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis Æs, Aurumque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum,
Nunc jacet Æs, Aurum in summum successit honorem:
1275 Sic volvenda ætas commutat tempora rerum,
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore;
Porro aliud succedit, et e contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur, floretque repertum
Laudibus, et miro 'st mortaleis inter honore.
1280 Nunc tibi quo pacto Ferri natura reperta
Sit, facile 'st ipsum per te cognoscere, Memmi,
Arma antiqua, Manus, Ungues, Dentesque fuerunt,

tollebant lævore massæ, et nitido splendore capti; observantes insuper illa esse formata ea figura qua cava erant loca in quibus jacebant; inde conjiciebant posse hæc eadem metalla igne resoluta in quamlibet formam speciemque rerum decurrere, et formando in acuta et tenuia prorsus mucronum fastigia duci (acui) posse, ita ut ex iis sibi facerent instrumenta, quibus sylvas excidere, trabes lævare, dolare, et radere, terebrare etiam, pertundere, et perforare possint: atque ad hæc omnia præstanda aurum et argentum non minus quam durum æs formabant; frustra autem, nam obtundebatur molle aurum et argentum, istiusmodi laboribus inidoneum; tum æs magis in pretio erat, aurumque hebes et obtusum tanquam inutile metallum spernebatur: nunc spernitur æs, et in summum honorem successit aurum; usque adeo volubilis ætas rerum tempora commutat, quod fuit in pretio spernitur, et vilescit, aliud vero modo contemptum in summum honorem evehitur, indies magis magisque appetitur, illud laudibus celebrant homines, et vehementer admirantur. Nunc, O Memmi, tibi ipsi licet conjicere, neque explicatione opus, quo pacto ferrum sit inventum: antiqua hominum arma erant manus, ungues, dentes,

NOTÆ.

1265. *Sylvasque excidere*] Quidam non absurde, *quibu' sylvas cædere*. In sequenti versu sive legas,

Materiem lævare, dolare, &c.

sive

Materiamque dolare, et lævia reddere, &c.

perinde est.

1275. *Volvenda ætas*] Virgilius, Æn. 9.

Volvenda dies en attulit ultro.

Volvenda; *volubilis*. Servius.

1280. *Nunc tibi quo pacto, &c.*] Cum ferri, non minus quam æris, argenti, plumbique venæ sylvarum ignescentium ardore colliquescere videantur; unde fere apud veteres nulla ferri, plurima autem æris mentio? Quoniam, v. 16. æs erat tractabilius metallum, et major illius copia; inde arma primorum hominum, et agricolarum instrumenta ærea; demum successit ferrum, induratæ telluri colendæ, et crescenti indies hominum feritati aptius metallum.

Et Lapides, et item sylvarum fragmina Rami,
Et Flammæ, atque Ignes postquam sunt cognita primum:
1285 Posterius Ferri vis est, Ærisque reperta:
Et prior Æris erat quam Ferri cognitus usus;
Quo facilis magis est natura, et copia major.
Ære solum terræ tractabant, Æreque belli
Miscebant fluctus, et volnera vasta serebant,
1290 Et pecus, atque agros adimebant: Nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda et inerma.
Inde minutatim processit Ferreus ensis,
Versaque in opprobrium species est Falcis ahenæ,
Et Ferro cœpere solum proscindere terræ;
1295 Exæquataque sunt creperi certamina belli.
Et prius est reppertum in Equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frænis, dextraque vigere;

lapides, fragmina sylvarum rami, et flammæ atque ignes postquam cognita sunt mortalibus; posthac ferrum atque æs reperta; ære autem prius quam ferro utebantur, quoniam major fuit æris copia, et æs facilius efformatur; ære colebant agros, æreis armis pugnabant, et vulnera infligebant; pecus et agros adimebant, nam nuda et inerma omnia facile illis qui armati erant cedebant (in potestatem venerunt). Inde paulatim ensis e ferro conficitur, et falx ærea in contemtum abiit; ferro agros colere cœperunt, dubiique belli certamina ferro erant exæquata (armis ferreis pugnabant). Prius etiam inventum erat in equum ascendere, illum loris sinistra dirigente regere, dextra interim pugnare,

NOTÆ.

1288. *Ære solum terræ*] Hesiodus, Ἔργων καὶ Ἡμερῶν, lib. 1. v. 150.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεια μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι,
Χαλκῷ τεργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

In ærea ætate. Et Eustathius ad 1. Il. v. 236. χαλκὸν δὲ τὸν σίδηρον λέγει, διὰ τὴν πάλαι χρῆσιν τοῦ χαλκοῦ, &c. His adjungam pauca ex Athenæo, lib. 6. cap. 4. ἱστορεῖ τὰ αὐτὰ καὶ Φανίας, ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων· ὡς χαλκῶν ὄντων τῶν παλαιῶν ἀναθημάτων, καὶ τριπόδων, καὶ λεβήτων, καὶ ἐγχειριδίων· ὧν ἐφ' ἑνὸς καὶ ἐπιγεγράφθαι φησὶν

Θάησαί μ', ἐτεὸν γὰρ ἐν Ἰλίου εὐρεῖ πύργῳ
Ἦν, ὅτι καλλικόμῳ μαρνάμεθ' ἀμφ' Ἑλένῃ
Καὶ μ' Ἀντηνορίδης ἐφόρει κρείων Ἐλικάων,

&c.

1289. *Serebant*] Alii, *ferebant*, id est, *inferebant*. At Tacitus, *prælia serebant*. Livius, *pugnam consererent*. Plautus, *pugnos in faciem serere*.

1295. *Creperi*] Dubii, incerti: *Attius; Nunc in re* crepera *quid captas consilii?*

1296. *Et prius est reppertum*, &c.] Alii, *armatum*. Factam in superiori versu *belli* mentionem excipiunt, v. 53. quibus efferæ latæ, quas bellicas vocamus, artes primorum hominum explicantur: quod autem simplicius et facilius illud prius jure censeatur; ideo ex equis primum pugnabant, equus enim mansuetum animal, deinde equos curru jungebant binos, deinde quatuor, istosque currus falcibus armabant; deinde feræ in prælia eductæ, elephantes ab Afris, a Parthis leones, tauri, denique apri, &c. At quis credet? non ipse Lucretius: quoniam vero in quibusdam historiis talia invenerat, ideo recenset; falsa veris conjungens. Quanquam non videantur prorsus incredibilia, nam quid non invenit ingeniosa feritas, aut quodnam genus auxilii rejiciunt desperantes et oppressi homines?

1297. *Dextraque vigere*] Dextra pugnare; *Lambinus*. Gifanius, *vegere*; id est incitare, impellere, quasi dextra equos equites impellunt! Faber denique, *virgare viere*: *vieo* autem est *flecto*, unde *vimen*, *victor*, et *vietus*; unde *viere equum* est *flectere equum*: usus autem virgæ in moderando equo longe antiquior debet esse quam usus frænorum. Quod si *armatum* (et quidni *armatum?*) in priori versu legatur, tota ista Fabri emendatio concidet; nam equites armatos equos suos *virga vientes* securi rideamus.

Quam bijugo Curru belli tentare pericla:
Et Bijugo prius est, quam bis conjungere Binos,
1300 Et quam falciferos inventum ascendere Currus.
Inde boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni
Sufferre, et magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit Discordia tristis,
1305 Horribile humanis quod gentibus esset in armis:
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentârunt etiam Tauros in mœnere belli,
Expertique Sues sævos sunt mittere in hosteis;
Et validos Parthi præ se misere Leones
1310 Cum ductoribus armatis, sævisque magistris,
Qui moderarier hos possent, vinclisque tenere;
Nequicquam: Quoniam permista cæde calentes
Turbabant sævi nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique cristas;
1315 Nec poterant Equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, et frænis convertere in hosteis.
Inritata Leæ jaciebant corpora saltu
Undique, et advorsum venientibus ora petebant:
Et nec-opinanteis a tergo diripiebant,

quam belli pericula curru bijugo tentare; binos etiam equos prius quam quatuor jungere, aut currum falciferum ascendere, inventum. Deinde Carthaginenses docuerunt anguimanos elephantos turrito corpore horrendos prælia inire, et armatas hostium turmas turbare. Sic effera discordia aliud post aliud, quod in prælio foret horribile hominibus invenit, bellique terrores indies adauxit. Tauris etiam in pugna usi sunt homines, sævosque apros in hostes mittere conati sunt; et Parthi præ suis turmis validos leones miserunt cum armatis ductoribus et sævis magistris qui illos regerent, et catenis retinerent; frustra: illi enim sanguine gustato insanientes, tam suorum quam hostium turmas nullo discrimine turbabant, terrificas capitum cristas undique quatientes: neque equites potuerunt equos suos ferarum fremitu perterritos mulcere, et frænis in hostem convertere; leones jam pugna calentes in omnem partem immani saltu sua corpora jaciebant, omnesque obvios tam suos quam hostes rapiebant; ex improviso alios a tergo adorti sunt,

NOTÆ.

1299. *Et Bijugo*] *Bijugos*, Faber: et felicior hæc quidem conjectura; id est, *inventæ sunt bigæ ante quadrigas.*

1301. *Inde boves Lucas*] Ut *Campas* pro *Campanus* apud Plautum alicubi, ita *Lucas* pro *Lucanus*: sic autem dicti sunt elephantes, quod eos Romani primum apud Lucanos viderint in bello adversus Pyrrhum; *Faber*. Plinius, lib. 8. cap. 6. *Elephantas Italia primum vidit Pyrrhi Regis bello, et boves Lucas appellavit in Lucanis visos.* Varro tamen, lib. 6. de Ling. Lat. *Lucas Bos, Elephas, cur ita sit dicta duobus modis inveni scriptum, nam in C. Ælii commentario a Libycis Lucas, et in Virginii commentario a Lucanis Lucas, ab eo quod nostri maximam quadrupedem quam ipsi habebant vocarent bovem, et in Lucanis Pyrrhi bello primum vidissent apud hostes Elephantos, id est, quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt sunt cornua) Lucam Bovem appellâsse. Ego arbitror potius Lucas a luce, quod longe relucebant, propter inauratos regios clypeos quibus eorum tum ornatæ erant turres.* Frigida interpretatio.

Ibid. *Turrito corpore*] Elephantes dorso turres gestabant.

1302. *Anguimanos*] Proboscis Elephanti *manus* dicitur, sed illa *manus* instar serpentis; unde *anguimani*.

1307. *Mœnere*] Alii, in *munera*.

1314. *Terrificas, &c.*] Hunc versum abesse hinc velim, neque enim facile crediderim cristas capitibus leonum annexas: alibi legitur, lib. 2. v. 632. sed suo loco, et una voce variat: *Faber*.

1320 Deplexæque dabant in terram volnere vinctos:
Morsibus adfixæ validis, atque unguibus uncis.
Jactabantque Sues Tauri, pedibusque terebant;
Et latera, ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.
1325 At validis socios cædebant dentibus Apri,
" Tela infracta suo tinguentes sanguine sævi:
" In se fracta suo tinguentes sanguine tela:
Permistasque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam transversa feros exibant dentis adactus
1330 Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant:
Nequicquam: Quoniam a nervis succisa videres
Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Sic, quos ante domi domitos satis esse putabant,
Efferviscere cernebant in rebus agundis,
1335 Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu:
Nec poterant ullam partem redducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Ut nunc sæpe boves Lucæ ferro male mactæ
Diffugiunt, fera facta suis cum multa dedere.
1340 Sic fuit, ut facerent: Sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo præsentire, atque videre,
Quam commune malum fuerat, fœdumque futurum;

et deplexi illos gravi vulnere victos humi sternebant, validis dentibus, atque uncis unguibus adfixi. Tauri jactabant apros, pedibusque conculcabant, cornibusque suis latera et ventres equorum subter hauriebant, ferocesque ad terram proruebant. Apri autem validis dentibus suos socios occidebant (sævi tingentes tela infracta suo sanguine; in se fracta suo sanguine tingentes tela,) *dabantque confusam equitum peditumque cladem; namque equi transverso saltu sævos dentium ictus declinare conabantur, aut arrecti calcibus auras verberabant; frustra autem, quoniam sæpe videres illos nervis crurum ab apris succisis concidere, gravique casu terram consternere. Ita istas feras, quas domi mansuetas satisque domitas ante existimabant, in prælium eductas, vulneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu iterum feroces fieri et immites cernebant; neque potuerunt homines feras ruptis catenis effugientes iterum reducere; omnes enim, cujuscunque generis erant, diffugiebant, ut hodie frequenter boves leucæ ferro male mactæ diffugiunt, postquam multa damna clademque suis magistris intulerunt. Hæ forsan erant primorum hominum bellandi artes, vix tamen credere possum quin isti præsentiebant, animoque suo prævidebant, quantas et quam miserandas clades feræ tam sibi quam hostibus suis inferrent;*

NOTÆ.

1320. *Deplexæque*] Solutæ, a πλέκω, unde *implico*, &c. Qui *depexæ* legunt, id est, *horridæ*, et locum hunc Terentii afferunt, adeo *depexum dabo*, somnia somniant: hæc Faber e Lambino: alii, *devexæ*, id est pronæ et deorsum ruentes: ego vero *deplexæ*, alia prorsus significatione; *de* enim auget, igitur *deplexæ*, arcte amplexæ, seu implicitæ, postulante sententia interpretor; in versu sequenti *adfixæ*, et in hoc versu vox *vinctos* idem confirmat.

1326. *Tela infracta suo*, &c.] Posteriorem multi, utrumque versum Lambinus veruto conficit, nec crudelis ille.

1329. *Exibant*] Vitabant; Virgilius, *Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus* exit.

1338. *Ut nunc sæpe boves Lucæ*] Lucæ boves, elephantes, quos in spectaculis (si ulli Lucretii ætate in spectaculis elephantes) aliquando vulnerabant. Lambinus, *boves lectæ*. At Gifanius e codd. *boves* templis *ferro male* cæsæ.

Ibid. *Male mactæ*] Ferro cæsæ.

Et magis id possis factum contendere in Omni,
In variis mundis varia ratione creatis,
1345 Quam certo, atque uno terrarum quolibet Orbi.
Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,
Qui numero diffidebant, armisque vacabant.
Nexilis ante fuit vestis, quam Textile tegmen:
1350 Textile post ferrum 'st; quia ferro tela parantur:
Nec ratione alia possunt tam lævia gigni
Insilia, ac fusi, et radii, scapique sonantes.
Et facere ante Viros lanam Natura coëgit,
Quam Muliebre genus, nam longe præstat in arte,
1355 Et sollertius est multo genus omne Virile:
Agricolæ donec vitio vertere severi,
Ut Muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipsi potius durum sufferre laborem;
Atque opere in duro durarent membra, manusque.
1360 At specimen Sationis, et Insitionis origo

et prudentius affirmare possis hæc aliquando fuisse facta in universo, in variis mundis varia ratione factis, quam in aliquo uno et certo terrarum orbe. Quicunque autem feris usi sunt, ideo non utebantur quia sperabant se illarum ope hostes suos superare posse, sed quia damna hostibus inferre, ipsique de sua salute desperantes perire voluerunt, quoniam erant numero inferiores, nec armis satis instructi. Vestis autem nexilis fuit ante quam textilis; textilis enim post ferrum inventum primo extitit, quia textoria instrumenta ferro parantur, neque sine ferro possunt fieri lævia insilia, fusi, radii, et sonantes scapi. Natura etiam coëgit viros lanam facere antequam fœminas, nam viri artes inveniunt et exercent solertius quam fœminæ; donec tandem rigidi agricolæ mollitiem illis et segnitiem exprobrarunt, et effecerunt ut fœminis talia opera relinquerent, ipsi vero durum laborem sufferrent, et in duro opere membra sua et manus durarent. Ipsa vero natura rerum creatrix sationis et insitionis

NOTÆ.

1347. *Quam dare*] *Dare*, facere aliquid novi, struere damnum, &c. Terent. Plaut. et modo Lucretius, *fera facta dederunt*: Faber.

1348. *Armisque vacabant*] Inermes erant; sic *vita vacat*, Furius apud Donat. pro mortuus est. *Faber*.

1349. *Nexilis ante fuit vestis, &c.*] Si molliores artes respicias, prima de vestibus cura; Nexilis autem vestis, e pellibus viz. ferinis quæ non erant consutæ, ante textilem; frustra enim textilem ante usum ferri, quo parantur instrumenta textoria, requiras: neque denique ars textoria primum fœminis commissa, illam viri exercebant, quippe magis solertes et in artibus ingeniosi; deinde agricolæ virls mollitiem exprobrando effecerunt, ut mollioribus artibus relictis magis duras excolerent, v. 11.

1350. *Tela parantur*] Codd. et Gifanius, *paratur*. *Tela* enim aliquando significat ipsum instrumentum textorium, cui accommodatur tela.

1352. *Insilia*] Hæc vox fugit interpretes: Faber demum existimat *insilia* esse eam instrumenti textorii partem, quæ pulsu pedum quatitur, ut staminis pars modo attollatur, modo deprimatur, ut fuso seu radio currenti libere trameare liceat; idque ab *insiliendo*. Quam conjecturam evertere videtur vox ista adjuncta *lævia*. Vossius ad Catullum, p. 249. *ensilia*.

Ibid. *Scapique sonantes*] An significent instrumenta textoris, quorum pulsu tela coarctatur et condensatur, vel jugum circa quod stamina volvuntur, videant grammatici.

1353. *Facere—lanam*] Lanam carpere, texere, et nere.

1359. *Atque opere in duro*] Ostendit versus superior hunc spurium esse, quod primus, opinor, moneo: *Faber*.

1360. *At specimen Sationis, &c.*] Arbores plantare, ab ipsa natura didicerunt, observabant enim baccas glandesque deciduas

Ipsa fuit rerum primum Natura creatrix.
Arboribus quoniam baccæ, glandesque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Unde etiam libitum 'st stirpeis committere ramis;
1365 Et nova defodere in terram virgulta per agros:
Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.
Inque dies magis in montem succedere sylvas
1370 Cogebant, infraque locum concedere cultis:
Prata, Lacus, Rivos, Segetes, Vinetaque læta
Collibus, et campis ut haberent, atque olearum
Cærula distinguens inter plaga currere posset
Per tumulos, et convalleis, camposque profusa:
1375 Ut nunc esse vides vario distincta lepôre
Omnia, quæ pomis intersita dulcibus ornant;
Arbustisque tenent felicibus obsita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lævia carmina Cantu
1380 Concelebrare homines possent, aureisque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agresteis docuere cavas inflare cicutas,

exemplar dedit hominibus, quoniam maturæ baccæ et glandes ab arboribus cadentes multa nova virgulta, prout anni tempestas patiebatur, subter produxerunt: inde primum placuit hominibus feraces stirpes ramis inserere, et passim per agros nova in terram defodere virgulta; deinde aliam atque aliam amœni agri culturam tentabant, et experti sunt fructus agrestes et austeros cura sua et molli cultura agri dulces mitesque fieri; indies etiam cogebant sylvas in montes ascendere, et inferiora loca, valles et planitiem frugibus colendis relinquere; ut haberent prata, lacus, rivos, segetes, et læta vineta collibus et campis, et ut cæruleus ordo olivarum per tumulos, colles, et campos extensus intercurrere possit, grataque varietate agros distinguere et ornare: ut nunc vides varia amœnitate ornata et distincta esse illa loca, quæ dulcibus pomis intersita, et arboribus frugiferis circum sata colunt homines. Sonoras volucrum voces ore suo prius imitabantur quam politos versus canere, et aures delectare potuerunt homines. Zephyri autem (placidi lenesque venti) per ista sibila quæ cavos calamos agitantes excitabant, primum docuerunt rusticos cavos calamos inflare:

NOTÆ.

nova virgulta producere; inde idem tentabant homines, et unusquisque pro ingenio suo aliquid agrorum hortorumque culturæ addidit; et exinde tandem ista, quam videmus, hortorum amœnitas, ista arborum florumque ornata dispositio, v. 18.

1369. *Succedere*] Sursum cedere, nam excisis quæ campos vallesque occupabant arboribus, sylvæ in montes sursum cedere videbantur.

1378. *At liquidas avium, &c.*] Ut aliæ artes, sic etiam Musica primo rudis et inculta; primum enim in avium imitatione constitit; inde fistula e calamis, (nam calami levi vento agitati sibila quædam et murmura emittunt,) compacta: qua pastores mulcebant curas, aut in lætitiam effusi se aliosque maxime oblectabant. Jocis etiam, festivis sermonibus, et saltationi, incompositæ quidem, sed satis ridiculæ indulgebant, inde risus, cachinni, et alia fælicis otii delectamenta. Neque ista operosior qua nos utimur Musica nos majori voluptate, quam rudis ista illos olim perfudit; sed nova semper placent, et pristina fastidimus, v. 44.

1379. *Lævia carmina*] Nam quod gratum sensibus, illud læve Epicuro.

1381. *Et Zephyri, &c.*] Vid. Ovid. Metam. lib. i. v. 705.

Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
1385 Avia per nemora, ac sylvas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia:
Sic unum quicquid paullatim protrahit Ætas
In medium, Ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant atque juvabant
1390 Cum satiate cibi: nam tum sunt omnia cordi.
Sæpe itaque inter se prostrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucunde corpora habebant:
Præsertim cum tempestas ridebat, et anni
1395 Tempora pingebant viridanteis floribus herbas,
Tum Joca, tum Sermo, tum dulces esse Cachinni
Consuerant; agrestis enim tum Musa vigebat:
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, et foliis lascivia læta monebat;
1400 Atque extra numerum procedere membra moventeis
Duriter, et duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur Risus, dulcesque Cachinni,
Omnia quod nova tum magis hæc, et mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somni,
1405 Ducere multimodis voces, et flectere cantus;
Et supera calamos unco percurrere labro:
Unde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur,

inde paulatim didicere dulces istos cantus quos tibia digitis canentum pulsata fundit, tibia inquam ista quam per avia nemora, sylvas, et saltus repertam pastores otio abundantes in locis desertis exercebant. Sic ætas unamquamque artem paulatim protrahit in medium, et ingenii solertia primum invenit, deinde perficit. Hæc illorum animos delectabant cum saturi erant, saturi enim otio maxime indulgent. Sæpe itaque in tenera mollique herba inter se prostrati juxta rivum aquæ, sub ramis altæ arboris corpora sua, licet magnas opes non habebant, bene curabant, præsertim, cum ver erat, cum dies serenus, annique tempestas virides herbas floribus pingebat: tum jocis, faceto sermone, grato innocuoque risu se delectabant, tum enim vigebat agrestis musa. Tunc etiam ludibunda lascivia monebat caput suum et humeros floribus, foliis, plexis denique coronis redimire; incomposite etiam atque extra numerum saltare membra sua rustice moventes, duroque pede matrem terram pulsare; inde risus dulcesque cachinni sequebantur, quod nova hæc erant omnia, ideoque mira. Hinc vigilantibus aderant somni solatia, voces ducere multimodis, et cantus flectere; uncoque labro calamos supra percurrere. (qui dormire nequibant cantu se et tibia oblectabant.) Unde etiam vigiles hodie idem faciunt,

NOTÆ.

1390. *Nam tum sunt omnia cordi*] Faber, *otia cordi*; venuste: Vossius ad Catullum, p. 167. *omnia chordæ*, post satietatem cibi nihil, inquit, hominibus æque placet ac Musica, utpote quæ tunc sit τὰ πάντα: nec est ut quisquam miretur chordas dici tibias, cum vice versa citharæ accipiantur quoque pro tibiis.

1404. *Solatia*] Solatium viz. sumitur pro eo quod rei alicujus amissæ loco datur, unde damnum resarciri queat: *Faber*.

1405. *Ducere multimodis voces*] Vocem varie fingere et figurare; seu voce varie figurata cantillare; *flectere cantus*. Hinc *molles in cantu flexiones* apud Ciceronem. *Lambinus*.

1407. *Vigiles*] Castrenses intelligo: *Faber*. Ego vero curis ægros; ut v. 1404. *vigilantibus*.

Et numerûm servare genus didicere; neque hilo
Majorem interea capiunt dulcedini' fructum,
1410 Quam Sylvestre genus capiebat Terrigenarum.
Nam quod adest præsto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primis placet, et pollere videtur;
Posteriorque fere melior res illa reperta
Perdit, et immutat sensus ad pristina quæque.
1415 Sic odium cœpit Glandis: sic illa relicta
Strata Cubilia sunt herbis, et frondibus aucta.
Pellis item cecidit, vestis contempta Ferina 'st,
Quam reor invidia tali tunc esse repertam,
Ut lethum insidiis, qui gessit primus, obiret;
1420 Et tandem inter eos distractum, sanguine multo
Dispersisse, neque in fructum convertere quîsse.
Tunc igitur Pelles, nunc Aurum, et Purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant:
Quo magis in nobis (ut opinor) culpa residit.
1425 Frigus enim nudos sine Pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil lædit veste carere
Purpurea, atque Auro, signisque ingentibus apta;
Dum Plebeia tamen sit, quæ defendere possit:
Ergo hominum genus incassum, frustraque laborat,
1430 Semper et in curis consumit inanibus ævum;
Nimirum, quia non cognovit, quæ sit habendi

variis etiam numeris utuntur, eorumque modos observant, interim tamen non majorem exinde voluptatem percipiunt, quam olim agrestes rusticique homines e terra orti percipiebant. Nam quod præsens est (nisi ante novimus aliquid suavius) maxime placet, et optimum videtur; quæ vero res posterius inventa est melior plerumque facit ut in minori pretio sint priora, et ut pristina non sint æque grata ac jucunda sensibus, ac antea fuerunt. Hinc fastidium glandis, hinc non amplius utimur cubilibus istis frondibus et herba humi stratis; hinc etiam in contemptum abiit vestis e pellibus ferarum facta; quam tamen vestem qui primus invenit et gessit, omnes illi ob præclarum inventum adeo invidisse puto, ut illi mortem insidiis comparârunt, illumque discerptum multo sanguine istam vestem sparsisse, neque suo invento frui potuisse credo. Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura hominum vitam multis curis vexant, et fatigant bello; quam ob causam nos magis culpandos esse existimo: namque tum quidem homines e terra natos neque pellibus tectos frigus affligebat; at nos sine damno aut molestia carere possumus veste purpurea, auro signisque ingentibus ornata; modo plebeiam, crassam, sordidamque habeamus, quæ frigus possit defendere. Ergo humanum genus incassum et frustra semper laborat, vanisque curis ætatem consumit; nimirum, quia non novit qui modus habendi sit,

NOTÆ.

1418. *Quam reor invidia tali*] Prima vestis ita cæteris iis terrigenis placuit, ut inventori suo mortis causa fuerit: *Faber*.

1420. *Distractum*] Alii, *distractam*, vestem viz. et in sequenti versu *disperiisse*; et hæc lectio, quam codd. vet. exhibent, et Heinsius probat, admitti potuerit, si voces sequentes

Neque in fructum convertere quîsse

commode paterentur.

1422. *Tunc igitur Pelles, &c.*] Illa autem pro pelle pugna et cædes excusari possit, nam ante vestes textiles inventas solis pellibus defendebant frigus; at quis homines excuset qui bellis et rapinis miscent omnia, ut auro clari, et insignes purpura fulgerent? Sed id agunt quoniam insana habendi cupidine aguntur, et ignorant veram voluptatem, quam Epicurus docuit, et quæ non tam delicias appetit, quam necessariis contenta est. v. 13.

Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in Altum,
Et belli magnos commovit funditus æstus.
1435 At vigiles mundi magnum et versatile templum
Sol et Luna suo lustrantes lumine circum
Perdocuere homines Annorum tempora verti:
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.
Jam validis septi degebant Turribus ævum,
1440 Et divisa colebatur, discretaque tellus:
Tum Mare velivolum florebat navibu' pandis;
Auxilia, et socios jam pacto fœdere habebant:
Carminibus cum res gestas cœpere Poetæ
Tradere; nec multo priu' sunt Elementa reperta.
1445 Propterea quid sit prius actum respicere ætas
Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia, atque Agri culturas, Mœnia, Leges,
Arma, Vias, Vesteis, et cætera de genere horum,
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
1450 Carmina, Picturas, et dædala signa polire,

quid satis homini, et quousque crescat voluptas vera: atque hæc ignorantia vitam in oceanum malorum evexit, et omnibus belli fluctibus objecit (hinc tumultus et contentio, omnia denique mala quæ libidinem, avaritiam, et ambitionem sequuntur). At vigiles sol et luna magnum et versatile mundi templum (cœlum) suo lumine circum lustrantes docuerunt homines tempora annorum verti, certamque esse rationem, et certum ordinem tempestatum. Jam tandem homines validis turribus muniti agebant vitam, et partita positisque limitibus divisa tellus colebatur. Tum pandis navigiis pelagus veliferum fervebat; tum inita erant inter gentes fœdera, et inde socii, et mutua auxilia: cum poetæ cœperunt res gestas carminibus celebrare, nec multo prius sunt ipsæ litteræ inventæ. Et hanc ob causam nos non possumus certo scire quid olim sit actum; conjicimus tantum non historia sed ratione ducti. Naves, agriculturas, mœnia, leges, arma, vias, vestes, et reliqua ejusmodi quæ sunt ad vitam commode agendam utilia, delicias quoque omnes vitæ, carmina viz. picturas, artemque statuariam,

NOTÆ.

1433. *Vitam provexit in altum*] Metaphora a navigantibus, versu sequenti habes, *æstus belli*.

1435. *At vigiles mundi, &c.*] Quoniam diutina experientia certos fecisset homines anni tempestates certo ordine redire, neque casu fluere omnia, et turbari (nam atomi primum fortuito convenientes, ita motus sui legibus, et vi naturæ constituuntur, ut nisi aliqua causa extrinsecus adveniens impediat, iisdem semper motibus ferentur): tandem certum stabileque vivendi genus amplexi sunt: inde constitutæ reipublicæ, instituta etiam inter diversas gentes commercia; tum litteræ inventæ, nati tum poetæ historiarum patres; denique inventæ sunt istæ artes, nam omnium authorum nomina describuntur, quæ vitæ nostræ, aut voluptati inserviunt, v. 22.

1440. *Discretaque*] Alii, *descriptaque*.

1441. *Tum Mare velivolum, &c.*] Gifanius,

Tum Mare velivolis *florebat navibus* ponti.

Vossius ad Catullum, p. 77. hæc habet;

Tum Mare velivolum florebat propter odores.

Hæc est scriptura omnium, nisi fallor, librorum, quam merito docti se non intelligere fatentur; sic enim, puto, scripserat Lucretius;

Tum Mare velivolum florebat Protei ad oras.

Proteus et ipse Deus marinus, utpote qui primus navigasse creditur: *oræ* vero *Protei*, sunt oræ in quibus regnabat Proteus, in quibus omnibus navigationem floruisse affirmat. Quibus hæc placent illis nihil unquam displiceat: Lambinus invenit in quibusdam codd. *navibus pandis*, et istis vocibus ego quidem contentus.

Usus, et impigræ simul Experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientes.
Sic unum quicquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras:
1455 Namque alid ex alio clarescere corde videmus
Artibus, ad summum donec venêre cacumen.

usus et solertis ingenii experientia docuit homines pedetentim progredientes. Sic ætas unamquamque artem paulatim protrahit in medium, et ingenii solertia primum invenit, deinde perficit. Sentimus enim artes omnes non esse simul natas, alia ex alia clarescit, donec tandem omnes sint ad summum perfectionis cacumen perductæ.

NOTA.

1455. *Videmus*] Alii, *videbant*: imperite.

QUOD a v. 56. ad v. 417. solem, terram, mare, totam denique mundi compagem nec ab æterno fuisse, nec in æternum duraturam asserit, id quidem piis omnibus et sanis Philosophis commune; quod vero verisimilibus quibusdam, veris autem multis firmisque rationibus probat, illud sane Lucretio proprium videtur; nec meliora unquam (semper excipio sacras scripturas) argumenta invenies. Ideoque magis mirandum est, tam præclarum ingenium inseruisse futiles istos versus a v. 157. ad v. 236. quibus evincere conatur mundum hunc a Deo non fuisse factum: fingit enim Deum parcum nimis seu potius malevolum, qui nihil nostri causa, omnia vero sui emolumenti intuitu agat. Qualem siquis pingat Epicurum, illum dicacis impudentiæ Poeta postularet. Deinde supponit omnem Dei æque ac Hominis notitiem a simulachris dependere; at quis iste Deus? non ille quem percipit mens humana, quem omnes gentes agnoscunt et venerantur. Demum quis ferat illum culpas, quas vocat, mundi enumerantem, falso omnes, et vanissime effictas? Hæccine vero vitia in novo et recenti mundo? Id quidem negat ipse Lucretius, ideoque inepte facit dum labes ruinasque ædificii longa ætate dehiscentis imputat artifici.

A v. 417. ad v. 509. mundi ortum describit, qua descriptione nulla est apud physiologos aut magis verisimilis, aut magis venusta: gravitate sua feruntur atomi, concurrunt, inde resiliunt, et pro varia ponderis ictusque ratione in diversa loca discedunt, ibique coalescunt.

Quoniam vero a v. 510. ad v. 770. non unam certamque causam motuum cælestium, eclipsεων, diei et noctis &c. ea, qua alii solent, pertinacia assignat, ideo quibusdam videtur *fluctuare*; ego vero contendo istam, quam vocant, constantiam in Epicureo Physiologo ridiculam fore, quippe omnia *casu* fieri pronuntiat, neque quis facile deprehendat unam certamque causam, cum eadem phænomena pluribus modis explicari possunt. Nec ego quidem illi succenserem qui multas profert causas, dum inter eas vera certaque proponatur. De solis, lunæ, &c. magnitudine nihil addam, supra enim monui istam opinionem plebeiam nimis esse, et rusticam.

Lege quæ sequuntur, et admirabilis ingenii tam vehementer delirantis miserere: ea autem est omnium, qui negant providentiam, sors, ut in Ethicis vana doceant, in Physicis absurda; at vero *Primorum* hominum indoles ea, quæ omnium barbarorum gentium, et in *terrigenis* Lucretii, Margaltas, Brasilios, plerosque Indiæ occidentalis populos agnosces.

TITI LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

LIBRI SEXTI

ARGUMENTUM.

PRIMI 41. *versus continent Epicuri Atheniensis laudes: sequitur ad v.* 95. *quam ab Epicureo Philosopho expectes, argumenti hujus libri explicatio: et de Meteoris dicturo primum occurrunt* Tonitru, Fulgur, Fulmen, *de quibus diligenter disputat; et demum istos deridet qui neglectis causis naturalibus ipsum Jovem fulmina jaculari existimant, ad v.* 421. *His subjungitur* (*nam Prester Fulmini affinis*) *v.* 28. *Presteris brevis explicatio. Deinde a v.* 450. *ad v.* 533. *multa de Nubibus et Pluvia; pauca de Iride, de Nive, Vento, Grandine, Pruina, et Gelu. Si Terræmotus causas velis cognoscere, a v.* 534. *ad v.* 606. *habes fuse explicatas. A v.* 606. *ad v.* 638. *de Mari Poeta disserit. Ad v.* 710. *de Ætna. Sequentes* 30. *v. Nilo destinantur. Deinde a v.* 740. *ad v.* 840. *de Avernis, aliisque Terræ tractibus, Hominibus, Cervis, Corvis, Equis, &c. noxiis disputatur. Ad v.* 905. *de Puteis, variisque admirandis Fontibus. Et ad v.* 1087. *Magnes diligenter explicatur. Postremo de Morbis et Peste quædam, quibus subjungit elegantem descriptionem Pestis illius, quæ tempore belli Peloponnesiaci Athenas vastavit, e Thucydide desumtam.*

T. LUCRETII CARI

DE

RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

PRIMÆ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ:
Et recreaverunt vitam, Legesque rogârunt:
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,
5 Cum genuere VIRUM tali cum corde repertum,
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit;
Cujus et extincti propter divina reperta
Divolgata vetus, jam ad cœlum Gloria fertur.
Nam cum vidit Hic, ad victum quæ flagitat usus,
10 " Et, per quæ possent vitam consistere tutam,

INTERPRETATIO.

Athenæ olim fama nobiles primæ dederunt hominibus miseris et salubri victu destitutis fruges; et fecerunt institutis legibus ut vitam vi et injuriis olim oppressam tuto agerent homines: primæ etiam dulcia vitæ solatia dederunt (fecerunt ut vitam ageremus tranquillam et beatam), cum produxerunt hominem adeo insigniter sapientem, qui quondam rerum naturam explicuit, veramque vitæ rationem docuit; cujus jam mortui fama, quam propter egregia inventa meretur, olim per gentes omnes diffusa adhuc vivit, et ad cœlum tollitur. Cum enim insignis hic vir animadverterit omnia quæ sunt ad victum necessaria,

NOTÆ.

1. *Frugiferos*] Alii, *frugiparos:* Athenæ tritici, olei, &c. inventrices; nil tritum magis.

4. *Et primæ*] *At primæ*, Faber. Hoc sensu, Athenas quidem multa bona hominibus fecisse, inventis frugibus, excultis artibus, humanitate, doctrina, legibus, atque aliis rebus pœne infinitis: *at* multo etiam melius de hominibus meritas esse, cum Epicurum protulerint. Ista observatione potuimus carere.

10. *Et, per quæ, &c.*] Delet Lambinus, quoniam *vitam tutam consistere* nullo modo dici potest: et exempla Gifanii ab hac significatione τοῦ *consistere* prorsus aliena esse recte affirmat Faber. Vix tamen a me impetrare possum quin credam Lucretium scripsisse *consistere;* ista enim vox Epicuro propria, qui ἡδονὴν καταστηματικὴν τοῦ σώματος, et non solum ἡδονὴν ἐν τῇ κινήσει agnovit. Vid. Epicuri Epist. ad Pythoclem.

Omnia jam ferme Mortalibus esse parata;
Divitiis homines, et Honore, et Laude potenteis
Affluere, atque bona Natorum excellere fama:
Nec minus esse domi cuiquam tamen Anxia corda,
15 Atque animum infestis cogi servire querelis:
Intellexit, ibi vitium Vas efficere ipsum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ conlata foris, et commoda cunque venirent;
Partim quod fluxum, pertusumque esse videbat,
20 Ut nulla posset ratione explerier unquam:
Partim quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæcunque receperat intus.
Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem statuit Cuppedinis atque Timoris,
25 Exposuitque Bonum Summum, quo tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monstravit tramite prono,
Qua possemus ad id recto contendere cursu:
Quidve Mali foret in rebus mortalibu' passim,
Quod flueret Naturæ vi, varieque volaret,

omnia quibus vita sustentatur jamjam esse in hominum potestate; homines divitiis, honore, fama abundare; liberos etiam optimæ indolis et populi judicio probatos habere; at nihilominus anxietate turbari, semper queri, suamque sortem misere lugere; subito intellexit vas ipsum vitiosum esse, et illius vitio omnia quæ foris infundebantur commoda intus corrumpi; partim quod sentiebat vas illud perforatum et pertusum esse, ita ut nulla unquam ratione impleri possit, partim quod videbat tetro sapore quasi inficere et ingrata reddere omnia quæ infundebantur. Veridicis igitur dictis purgavit hominum animos, quantum cuperent, quantum timerent, docuit, demonstravit quid sit illud summum bonum ad quod omnes tendimus, rectam insuper facilemque viam qua ad illud recto cursu contendere possemus: quid denique mali foret in rebus mortalibus, quod vel casu vel vi naturæ,

NOTÆ.

14. *Cuiquam*] Alii, *quidquam*.

16. *Vas*] Animum ipsum avarum, aut metu superstitioso, opinione de Providentia et pœnis post mortem, tanquam tetro sapore imbutum.

18. *Quæ conlata foris*] Faber, *quæ congrata foris;* id est, *quæcunque grata et commoda hinc illinc convenirent, &c.* Amat autem *Tmeses* Lucretius, ut infinita in omni genere exempla abunde fidem facere possunt.

19. *Fluxum, pertusumque*] Avarum vides.

24. *Finem Cuppedinis atque Timoris*] Epicurus enim cupiditates necessitate et natura terminabat, metuque homines exsolvit, (id vero non minus inepte quam improbe dictum) dum providentiam, religionemque sustulit.

29. *Quod flueret Naturæ vi*] Lambinus: codd. enim, *Quod flueret naturali:* Gifanius, *Quod flueret naturaï.* Alii, *Quod flueret naturali viro atque veniret.* Faber denique; sic proponit et partitur Poeta, *Quicquid mali est in rebus mortalibus, id omne vel a casu est,* vel a natura profluit; et quantacunque malorum, cladium, calamitatumque agmina percenseas, ea nusquam referenda fuerint, quam ad illa duo capita; nam præter casum et *Naturam quo confugies alio? Quid erit tertium?* Nam Deus Epicuri pœne nemo est. Hinc itaque jam intelligis clarissimi Lambini emendationem stare haud quaquam posse. Dein quod perquam foret vitiosum, in hoc ipso versu diceret Lucretius, quod in sequenti tantum dici debuit,

Seu casu, seu vi, quod sic Natura parásset.

Sed cur ea mala quæ naturalia sunt *vi* fieri dicit? Nimirum lex naturæ, necessitas naturæ, fœdera naturæ *vis* est, quam eluctari, quamque eludere non possis: itaque scribit *vi, quod sic natura parásset;* quia nempe res nostræ a natura ita comparatæ fuerunt, ut multa humanæ conditioni an-

30 Seu Casu, seu Vi, quod sic Natura parâsset;
Et quibus e portis occurri cuique deceret:
Et genus Humanum frustra plerumque probavit
Volvere curarum tristeis in pectore fluctus.
Nam veluti Pueri trepidant, atque omnia cæcis
35 In tenebris metuunt; sic Nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ Pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse 'st
Non radii Solis, nec lucida tela diei
40 Discutiant, sed Naturæ species, Ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et quoniam docui, Mundi mortalia templa
Esse, et nativo consistere corpore Cœlum;
Et quæcunque in eo fiunt, fientque, necesse
45 Esse ea dissolvi: quæ restant percipe porro.
Quandoquidem semel insignem conscendere currum
Vincendi spes hortata 'st, atque obvia cursu

prout leges naturæ varie constituerant, accideret, impetumque faceret; et e quibus portis, et quo modo cuique malo deberet occurri; et probavit homines plerumque frustra volvere in pectore tristes curarum fluctus. Nam ut pueri trepidant, et omnia metuunt in tenebris, sic nos in luce timemus ea, quæ interdum non sunt magis metuenda, quam quæ pueri in tenebris metuunt, et imaginantur futura. Hos igitur terrores tenebrasque quæ mentem obsident, non radii solis aut diei splendor dissipabit, sed contemplatio vel cognitio naturæ, et vera philosophia. Eo igitur libentius inceptum opus carmine explicare pergam. Et quoniam docui templa mundi, cœlum, mortalia esse, et e corpore nativo (quod olim compingebatur, et quod aliquando dissolvetur) constare, et quæcunque in cœlo fiunt, vel fient, necesse esse ea dissolvi; quæ restant docenda jam accipe: (Quandoquidem spes vincendi me impulit insignem currum conscendere, et quæ olim obstare cursui

NOTÆ.

nexa incommoda sint. Quamobrem nec *naturali*, nec *naturæ vi*, nec Gifanianum *naturali*, locum habere ullum in versu priori potest. Legendum igitur, *Quod flueret permananter* vel *permutatim*. Hæc quidem acute Faber, si opus foret isto acumine. E quonam codice *permananter*, vel *permutatim* effingi potest? Igitur deleatur iste versus, et sane abesse potest, aut admittatur Lambini *naturæ vi*, Lucretius enim solet alio versu explicare quod in priori obscurius dixerat, ita *varie volaret* voce *casu* exponit, *naturæ vi*, istis vocibus *vi, quod sic natura parâsset*.

31. *Quibus e portis*] Metaphora e re militari, e portis Urbium aut Castrorum, e quibus in hostem fit eruptio.

34. *Nam veluti Pueri, &c.*] Vid. lib. 2. v. 54.

42. *Et quoniam docui, &c.*] Hactenus Epicuri laudes: sequitur, v. 53. argumenti hujus libri explicatio: quippe post descriptum mundi ortum, et cælestes motus, de *Meteoris* aget, atque aliis Naturæ admirandis, quorum causas dum homines non intelligunt, illa Diis attribuunt; inde religio, Numinum metus, timor, solicitudo, anxietas; inde periit vera pietas, et dominatur vana superstitio.

44. 45. *In eo fiunt, fientque, necesse esse ea dissolvi.*] Alii, *Fierique necesse est, Pleraque dissolvi:* meræ nugæ.

47. *Vincendi spes, &c.*] Gifanius, *Ventorum* (eorum quæ consequentur) *exhortantur spes.* Alii, *votorum.* Alii,

Quandoquidem semel haud segnis *conscendere currum*
Ventosum *spes hortata est, atque obvia cursu;*
Sive *cursui.*

Lambinus hos tres versus suppositiitios putavit, Vossius tandem ad Catullum, p. 191. scribit,

Quandoquidem semel insignem conscendere currum
Ventorum exhortat pellacia, *et omnia* rursum

Quæ fuerant, sunt placato conversa furore.
Cætera, quæ fieri in Terris, cœloque tuentur
50 Mortales, pavidis cum pendent mentibu' sæpe,
Efficiunt animos humileis formidine Divûm,
Depressosque premunt ad terram, propterea quod
Ignorantia causarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, et concedere regnum: et
55 Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, hæc fieri Divino numine rentur.
Nam bene qui didicere Deos securum agere ævum:
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,
60 Quæ supera caput ætheriis cernuntur in oris,
Rursus in antiquas referuntur Relligiones,
Et Dominos acreis asciscunt, omnia posse
Quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
Quid nequeat; finita potestas denique cuique
65 Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens:
Quo magis errantes tota regione feruntur.
Quæ nisi respuis ex animo, longeque remittis,
Diis indigna putando, alienaque pacis eorum,
Delibata Deûm per te tibi numina sancta
70 Sæpe aderunt; non quod violari summa Deûm vis
Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis:
Sed quia Tute tibi placida cum pace quietos

videbantur, jam posito odio favent et incitant). Reliqua quæ homines vident in terris cœloque fieri, dum illa admirantur pavidi illorum causas ignorantes, reddunt animos suos metu Deorum humiles, et abjectos; ad terram deprimunt, quoniam ignorantia causarum cogit eos res omnes ad imperium Deorum conferre, et Diis rerum omnium regimen concedere; et illa quorum causas nulla ratione explicare possunt, a Deo fieri credunt. Nam qui satis edocti sunt Deos tranquillam vitam agere, et æterno otio frui, si tamen interea mirentur qua ratione res quæque fieri possint, præsertim res illæ quæ in cœlis fieri cernuntur, in pristinas superstitiones relabuntur, sibique comparant acerbos dominos, quos omnia posse credunt miseri; ignari quid possit esse, quid non possit, qua etiam ratione cujusque rei potentia finita est, et limites potentiæ cujusque rei sunt in ipsa rei natura fixi: quapropter magis errantes ineptiunt, aut delirant. Quæ omnia nisi ex animo respuis, longeque rejicis, dum de Diis indignas opiniones, et æternæ illorum tranquillitati parum convenientes foveas, Numina Deorum sancta per te delibata sæpe aderunt tibi; non quod summa Deorum potestas ita violari possit, ut irascatur, pœnasque infligere gauderet, sed quia tute credes illos qui summa animi tranquillitate semper

NOTÆ.

Quæ fuerant, sunt placato conversa favore.

Currum, id est, *navim; rursum* sive *retro*. Forsan ita scripsit Lucretius, neque enim vox ista *currenti* v. 92. obstat, nam Horatii mercator

Currit ad Indos.

Si tamen verior, non est luculentior quam illa altera Lambini lectio.

66. *Tota regione*] Alii, *cæca ratione*.

67. 68. *Longeque remittis, Diis indigna putando*] Alii, *Longeque renutas* vel *remittis Diis indigna putare*. Ego vero, *Longeque remittis, Diis indignas putando;* neque ea qua alii interpretatione usus sum. Heinsius autem, *putata*.

69. *Delibata*] An *delibrata* legi debeat certent Lambinus et Gifanius, dum neutra vox ferri potest. Lege autem *deirata*, valde irata, istamque emendationem illi qui sequuntur versus confirmant.

Constitues magnos irarum volvere fluctus:
Nec delubra Deûm placido cum pectore adibis;
75 Nec, de corpore quæ sancto Simulacra feruntur,
In menteis hominum Divinæ nuntia formæ,
Suscipere hæc animi tranquilla pace valebis:
Inde videre licet, qualis jam vita sequatur.
Quam quidem ut a nobis Ratio verissima longe
80 Rejiciat, quanquam sunt a me multa profata,
Multa tamen restant, et sunt ornanda politis
Versibus, et ratio Cœli, speciesque tenenda.
Sunt Tempestates, et Fulmina clara canenda,
Quid faciant, et qua de causa quæque ferantur:
85 Ne trepides cœli divisis partibus amens,
Unde volans Ignis pervenerit, aut in utram se
Verterit hinc partem; quo pacto per loca septa
Insinuârit, et hinc dominatus ut extulerit se:
Quorum operum causas nulla ratione videre
90 Possunt, ac fieri Divino numine rentur.
Tu mihi supremæ præscripta ad candida calcis
Currenti spatium præmonstra callida Musa,
Calliope, requies Hominum, Divûmque voluptas:

fruuntur, magnos irarum fluctus volvere. Nec cum pectore perturbatione omni metuque vacuo adibis Deorum templa, neque poteris animo imperturbato suscipere ista simulachra quæ de sancto Deorum corpore feruntur in hominum mentes, illisque Deorum formam ostendunt; inde concipere licet quam misera, quam perturbata sequatur vita. Quam quidem vitam ut ratio verissima a nobis longe repellat, quanquam multa jamjam docui, multa tamen restant, et politis carminibus ornanda sunt, et cœli phænomena explicanda. Tempestates, et coruscantia fulmina sunt canenda, et docendum quæ sit illorum vis, et quæ sit motus in hanc vel illam mundi regionem causa: ne forsan trepides divisis cœli partibus, superstitiose inquirens e qua cœli regione erupit ignis, in quam tendit, quo pacto parietes in loca undique clausa penetrat, et facta clade exit. Quorum phænomenum causas ignorantes homines omnia divino Numini attribuunt. O Calliope, Musa carminum artifex, Hominum Deorumque deliciæ, me dirige, viamque ostende mihi ad designatam metam properanti,

NOTÆ.

74. *Nec delubra Deûm*] Ista enim erat vanissima Epicuri opinio, providentem et omnia curantem Deum terribilem fore et horrendum; ita ut nunquam Dei imago in mentem venerit, quin metus, timor, anxietas sequatur.

79. *Ratio verissima*] Epicuri doctrina, quæ rationi consentanea est, et veras rerum causas explicat.

80. *Profata*] Alii, *Profecta*.

82. *Ratio cœli, speciesque*] Ut sæpe alibi, *Naturæ species, ratioque*. Alii aliam sequuntur lectionem, nempe, *ratio superûm cœlique*: Supera autem, Meteora. Et e libro primo confirmant,

Quapropter bene cum superis *de rebus habenda*
Nobis est ratio——

84. *Qua de causa quæque*] Alii, *Qua de causa cunque*.

85. *Cœli divisis partibus*] Hoc pertinet ad Etruscorum disciplinam, de qua Cicero in 2. lib. de Divinat. *Cœlum in xvi. partes diviserunt Etrusci; facile id quidem fuit quatuor quas nos habemus duplicare, post idem iterum facere, ut ex eo dicerent fulmen qua ex parte venisset.*

91. *Præscripta ad candida calcis*] Seneca, Epist. 19. docet eam quam nunc in Circo *metam* dicunt Latini, *calcem* antiquos appellâsse, quia viz. finis curriculi sæpe *calce* notaretur. Hinc vero licet colligere Lucretium nunquam plures quam sex libros fuisse meditatum, jam enim properat *ad præscripta candida supremæ calcis.*

Te duce ut insignem capiam cum laude coronam.
95 Principio, Tonitru quatiuntur cærula cœli
Propterea quia concurrunt sublime volantes
Ætheriæ Nubes contra pugnantibu' Ventis:
Nec fit enim sonitus cœli de parte serena,
Verum ubicunque magis denso sunt agmine Nubes,
100 Tam magis hinc magno fremitus fit murmure sæpe.
Præterea, neque tam condenso corpore Nubes
Esse queunt, quam sunt Lapides, ac Tigna; neque autem
Tam tenues, quam sunt Nebulæ, Fumique volantes:
Nam aut cadere abrupto deberent pondere pressæ,
105 Ut Lapides; aut, ut Fumus, constare nequirent,
Nec cohibere niveis gelidas, et grandinis imbreis.
Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi,
Carbasus ut quondam magnis intenta theatris
Dat crepitum malos inter jactata, trabeisque;
110 Interdum perscissa furit petulantibus Euris,
Et fragileis sonitus chartarum commeditatur:
Id quoque enim genus in Tonitru cognoscere possis,

ut te duce coronam capiam insigni cum laude. Primum, cæruleum cœlum concutitur tonitru, ideo quod ætheriæ nubes per altum volitantes adversis ventis impulsæ concurrunt; nam de serena regione cœli nunquam fit sonitus, verum in quacunque parte cœli plures et densiores nubes sunt, ab ea parte major plerumque fit et terribilior sonitus. Præterea, nubes non possunt constare corpore tam denso quam lapides, ac trabes, neque tam raro quam nebulæ levesque vapores; nam vel gravi suo pondere depressæ deciderent, ut lapides, vel ut fumus, subito dispergerentur, nec continere valerent frigidas nives, imbresque grandinis. Nubes etiam sonum edunt per lata cœli spatia, ut velum super magna theatra extensum inter malos et trabes jactatum sonum edit; interdum vi venti disruptum sonum edit, et imitatur fractarum chartarum crepitantes sonitus. Observare etiam potes talem esse tonitrus sonum

NOTÆ.

95. *Principio, Tonitru, &c.*] De meteoris disputaturus a tonitru incipit, quod varie explicat: et primum quidem, v. 12. fit iste sonus cum nubes adversis ventis impulsæ collidunturr; hæc fuit Stoicorum, Democriti, aliorum opinio, et si hodiernos Philosophos audiamus, est veritati proxima: siquis vero objiciat nubes raras esse, ideoque ad tantum sonitum edendum maxime inidoneas; dicendum, quod licet lapidum aut ligni densitatem non æquant, tamen non adeo raræ sunt, quin nives et grandinem cohiberent.

98. *Cœli de parte serena*] Id enim negabant Epicurei, ideoque Horatius, insanientem istam Sapientiam relicturus hæc habet, lib. 1. Od. 34.

—— *Namque Diespiter*
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum *tonantes*
Egit equos, volucremque currum, &c.

103. *Tam tenues*] Leg. *tam tenui*: ut v. 101. *tam condenso.*

104. *Nam aut cadere abrupto*] Revocanda est vulgata lectio, *Nam cadere aut bruto.* Bruto id est *gravi*, unde et Horat.

Quo bruta *tellus et vaga flumina:*

et apud Donatum, *corpus brutum*, quod magno molimine movetur.

107. *Dant etiam sonitum, &c.*] V. 8. alia tonitrus explicatio, una enim nubes vento agitata, aliquando vento perscissa sonum edit; nec displicebit hæc explicatio, si sonitum quem vela latis theatris intenta, quem chartæ diruptæ, aut suspensæ vestes vento agitatæ dant, cum tonitru compares.

109. *Malos inter*] Nam ob loci nimiam amplitudinem trajectis malis vela intendebantur. *Carbasina autem vela primus in theatrum duxisse traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis:* Plinius, lib. 19. cap. 1. Vid. lib. 4. v. 74.

Aut ubi suspensam vestem, chartasve volanteis
Verberibus venti versant, planguntque per auras.
115 Fit quoque enim interdum, ut non tam concurrere nubes
Frontibus adversis possint, quam de latere ire
Diverso motu radentes corpori' tractum:
Aridus unde aureis terget sonus ille, diuque
Ducitur, exierit donec regionibus arctis.
120 Hoc etiam pacto Tonitru concussa videntur
Omnia sæpe gravi tremere, et divolsa repente
Maxima dissiluisse capacis mœnia mundi,
Cum subito validi Venti conlecta procella
Nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem
125 Turbine versanti magis ac magis undique Nubem
Cogit, uti fiat spisso cava corpore circum.
Post ubi commovit vis ejus, et impetus acer,
Tum perterricrepo sonitu dat missa fragorem:
Nec mirum, cum plena animæ Vesicula parva
130 Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente.
Est etiam ratio, cum Venti nubila perflant,
Cur sonitus faciant: etenim ramosa videmus
Nubila sæpe modis multis, atque aspera ferri:
Scilicet ut crebram sylvam cum flamina Cauri

qualem vestes suspensæ aut chartæ volantes edunt, cum a vento versantur, et per auras agitantur. Interdum quoque fit, ut nubes non tam frontibus adversis concurrant, quam de latere ferantur, diversoque motu totum corporis tractum mutuo radant, unde oritur aridus ille sonus, diuque continuatur, donec tandem e locis angustis evasit. Hanc quoque ob causam omnia vehementi tonitru concussa tremere, et maxima capacis mundi mœnia (cœli) subito divulsa videntur dissilire, nempe cum subito validus ventus sese nubibus involvit, ibique conclusus circumvolvitur, eoque turbine excavat nubem, et condensat illius latera: deinde ubi omnes simul collegit vires, exitumque quærit, tum horrendo cum fragore erumpit. Neque hoc quidem admirabile, cum parva vesica spiritu inflata, si repente dirumpatur, haud absimilem edit sonum. Potest etiam fieri ut venti, cum perflant nubes, faciant sonitus; nubes enim ramosas asperasque in cœlis sæpissime videmus; nimirum, ut cum venti densam sylvam

NOTÆ.

115. *Fit quoque enim interdum*] Aliquando tonitrus murmur est stridori simile, id vero fit cum nubes nubis alterius latus radit; inde enim oritur iste stridor, quem v. 118. vocat *aridum sonum*. v. 5.

117. *Corpori' tractum*] *Corporis tactum*, id est *corpus*, Gifanius; ridicule. *Corporis* autem *tractum* nihil elegantius; nam nubes diverso motu de latere euntes totum corporis tractum, ab altera usque ad alteram extremitatem, radunt.

119. *Exierit*] Mallem *exierunt*. Nubes viz.

120. *Hoc etiam pacto, &c.*] V. 11. Ventus in nube inclusus furit, inde murmur; tandem facto impetu erumpit, inde horrendus ille fragor: qua ratione Plinius declaravit, *posse spiritum nube cohibitum tonare, natura strangulante sonitum dum rixetur, edito fragore dum erumpat, ut in membrana spiritu intenta.* Si ridere libet, vid. Aristophanis Nubes, Act. 1. Sc. 4.

124. *Intorsit sese*] Alii, *infercit se*.

127. *Commovit*] Melius quam *contumuit*.

131. *Est etiam ratio, &c.*] Nubes quasdam videmus quæ arborum ramosarum instar habent partes eminentes, et huc illuc projectas; has si venti perflare concipiantur, tonitru sequetur; quippe cum venti densas sylvas perflent, rami ab illo agitati fragorem edunt, v. 5.

132. *Ramosa*] Alibi hamata semina dixit *ramosa*, eadem significatione.

134. *Flamina Cauri*] Caurus nempe ventus ab occasu æstivo spirans.

135 Perflant, dant sonitum frondes, ramique fragorem.
Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti
Perscindat nubem perfringens impete recto:
Nam quid possit ibi flatus, manifesta docet res;
Hîc, ubi lenior est, in terra cum tamen alta
140 Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.
Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
Dant infringendo graviter: quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur æstu.
Fit quoque, ubi e nube in nubem vis incidit ardens
145 Fulminis; hæc multo si forte humore recepit
Ignem, continuo ut magno clamore trucidet:
Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.
Aridior porro si Nubes accipit ignem,
150 Uritur ingenti sonitu succensa repente:
Lauricomos ut si per monteis flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno;
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica Laurus

perflant, frondes dant sonitum, et fragorem rami. Aliquando etiam potest fieri, ut vehementis venti vis perscindat nubem, illam recto impetu perrumpens; quantum enim in cœlis vis venti valeat manifestum est, cum in terra, licet hic lenior sit, magnas evertit arbores, illasque haurit ab imis radicibus. Denique per nubes sunt fluctus, qui graviter infringendo quasi murmur edunt, cujusmodi licet observare in altis fluminibus, vastoque mari, cum æstu frangitur. Fit quoque ut ignitum fulmen e nube excussum in nubem incidat; hæc autem nubes si multo humore abundans istum ignem recepit, protinus extinguit, atque inde oritur ingens fragor, ut cum ferrum e calidis fornacibus candens subito in frigidam aquam demergimus, stridor oritur. Deinde si nubes paulo aridior flammam concipit, continuo ex omni parte incensa ingenti cum sonitu crematur. Ut si vehemens flamma per colles lauro consitos ventorum turbine feratur, et magno impetu omnia devastet; neque res ulla magis, quam laurus Apollinis Delphica,

NOTÆ.

136. *Fit quoque, ut interdum, &c.*] Nubes etiam rumpi potest, cum ventus ex adverso in illam impingitur, atque inde Tonitru, v. 5. Ventos autem posse nubes perrumpere nemo dubitabit, qui vidit eversas arbores et radicitus evulsas.

141. *Sunt etiam fluctus, &c.*] Si hæc omnia displiceant, tandem concipias aërem tanquam vastum mare, in quo nubila sint fluctus; illa demum collidas, et illum, quem in mari æstuoso sentis, in aëre sentiès fragorem, v. 3.

144. *Fit quoque, ubi, &c.*] Quidam Philosophi docuerunt a stellis in madidam nubem decidentibus, et cum humore colluctantibus stridens tonitru oriri; loco stellarum, Lucretius, v. 5. assumit ignem fulmineum, qui e nube arida excussus in nubem humidam tanquam ferrum candens demergatur.

146. *Ut magno clamore trucidet*] Magno cum stridore extinguat.

148. *Stridit*] Horat. lib. 2. Sat. 8. v. 77.

—— *Tum in lecto quoque videres*
Stridere secreta divisos aure susurros.

149. *Aridior porro, &c.*] Ne aliquam prætermittat causam tonitrûs, jam v. 6. nubem ipsam accendit, et quoniam laurus, aliæque res accensæ crepitant, idem etiam nubes posse contendit.

153. *Delphica Laurus*] Laurus manifesto abdicat ignes crepitu; duo ejus genera tradit Cato, Delphicam et Cypriam: Plinius, Hist. Nat. lib. 15. cap. 30. Apollini autem grata (vid. Plinium) quia spectatissima erat in Parnasso monte, et ut ait Hesiodi interpres ἐνιεγεῖ πρὸς ἐνθουσιασμός. Nota etiam est de Daphne fabula; Ovid. Met. lib. 1. v. 556.

Cui Deus, at conjux quoniam mea non potes esse,
Arbor eris certe, dixit, mea: semper habebunt
Te coma, Te citharæ, Te nostræ, Laure, pharetræ.

Terribili sonitu flamma crepitante crematur.
155 Denique sæpe Geli multus fragor, atque ruina
Grandinis, in magnis sonitum dat Nubibus alte:
Ventus enim cum confercit, franguntur in arctum
Concreti montes nimborum, et grandine misti.
Fulgit item, Nubes ignis cum semina multa
160 Excussere suo concursu, seu Lapidem si
Percutiat Lapis, aut Ferrum, nam tum quoque lumen
Exsilit, et claras scintillas dissupat ignis.
Sed Tonitrum fit uti post auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculi, quia semper ad aureis
165 Tardius adveniunt, quam visum quæ moveant res.
Id licet hinc etiam cognoscere; cædere siquem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per aureis
Det sonitum: sic Fulgorem quoque cernimus ante
170 Quam Tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni,
E simili causa, et concursu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
Nubes, et tremulo tempestas impete fulgit;
Ventus ubi invasit Nubem, et versatus ibidem
175 Fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere Nubem,
Mobilitate sua ferviscit; ut omnia motu

terribili sonitu crematur crepitante flamma. Denique sæpe multum gelu grandoque decidens dat sonitum in magnis nubibus; nam cum ventus constipavit, et in loca angusta impulit, tum montes nimborum concreti, et misti grandine franguntur. Fulgurat vero, cum nubes concurrentes multa ignis semina suo conflictu excusserunt, ut cum silex, vel ferrum silicem percutiat, tum enim lux nascitur, ignisque lucidas scintillas dispergit. Fit vero ut tonitrum auribus accipiamus postquam fulgur oculis percepimus; quoniam res istæ quæ aures movent non tam celeri motu feruntur, quam quæ oculos movent: hoc autem quod dico verum esse certus esse possis, si e longinquo videas aliquem arborem ferro ancipiti cædentem, nam ictum prius cernes quam ictus sonum audies, similiter fulgorem videmus antequam audimus tonitrum, qui simul cum igne mittitur, ex eadem nempe causa, et eodem nubium concursu ortus. Aliam fulguris causam jam subjungam, hoc enim pacto nubes volucri lumine tingunt loca, tremuloque impetu tempestas fulgit (fit fulgur quod celeri et tremulo motu fertur), cum ventus sese in nubem insinuavit, et in illa circumrotatus fecit cavam nubem, ut modo docui, spissescere, illo pernici motu calorem concipit; omnia enim motu

NOTÆ.

155. *Denique sæpe Geli, &c.*] Deinde, cum tonat, multa glaciei fragmina, et grando decidunt, præcipue in partibus septentrionalibus; ideo congelatarum nubium disruptioni fragor iste jure adscribatur, v. 4.

159. *Fulgit item, &c.*] Hactenus de tonitru, deinde de fulgure inquiritur, quod ex induratis nubibus inter se collisis exprimi potest, ut e ferro, silice, aut ligno, nam in nubibus non minus quam in istis rebus semina ignis latere putandum est.

163. *Sed Tonitrum fit uti, &c.*] Si vero tonitru et fulgur ex eadem nubium collisione, cur cernitur fulgur antequam auditur tonitru? Nempe, v. 9. quia lux sono est velocior, imo omni experientia probatur speciem rei visibilis sono velocius transferri.

167. *Arboris auctum*] Arborem; alibi *corporis auctum* pro *corpore*.

172. *Hoc etiam pacto, &c.*] Quod si tonitru fiat vento nubes perrumpente, fulgur quoque fit ab eodem vento pernici motu, dum inter nubes rotatur, accenso, v. 14. Hos versus Gassendus, et qui illum sequuntur, perperam interpretati sunt.

Percalefacta vides ardescere: plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.
Ergo fervidus Hic Nubem cum perscidit atram,
180 Dissupat ardoris quasi per vim expressa repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde Sonus sequitur, qui tardius adlicit aureis,
Quam quæ perveniunt oculos ad lumina nostros.
Scilicet hoc densis fit nubibus, et simul alte
185 Exstructis aliis alias super impete miro.
Nec tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam sint lata magis, quam sursum exstructa quid extent;
Contemplator enim cum montibus adsimilata
Nubila portabunt Venti transversa per auras;
190 Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Insuper esse aliis alia, atque urgere superna
In statione locata sepultis undique ventis:
Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum,
Speluncasque velut saxis pendentibu' structas
195 Cernere, quas Venti cum, tempestate coorta,
Complerunt, magno indignantur murmure clausi
Nubibus, in caveisque ferarum more minantur:
Nunc hinc, nunc illinc fremitus per Nubila mittunt;
Quærentesque viam circumversantur, et ignis
200 Semina convolvunt e Nubibus; atque ita cogunt

percalefacta ardescunt, globulusque plumbeus dum longo cursu fertur liquefit. Cum vero fervidus hic ventus nubem densam perruperit, dispergit flammæ semina, quæ fulgur faciunt, tanquam vi subita expressa. Inde sequitur sonus, qui tardius ad aures venit quam lumen oculos attingit. Scilicet hoc densis fit in nubibus, quæ aliæ super alias mira vi et denso agmine coacervantur. Ne vero huic rationi diffidas, quod nos in terris collocati videmus nubes potius latas esse, quam altas, et alias super alias coacervatas; observa enim cum venti per aëra nubes transversas agunt montibus similes; aut cum videas circum magnos montes alias super alias coacervatas, et superiores, licet nullo vento impellantur, inferiores deorsum premere: tum enim cognoscere poteris nubes esse altas, et videre speluncas in illis velut saxis pendentibus structas, quas speluncas cum validi venti impleverint, nubibus inclusi magno murmure indignantur, et ut feræ in caveis fremunt. Nunc en hac, nunc en illa parte murmura emittunt, et viam quærentes circumversantur, multa ignis semina e nubibus corradunt, in unum congregant,

NOTÆ.

177. 178. *Plumbea vero glans, &c.*] Id non magis verum quam quod de sagitta Acestæ in 5. scripsit Virgilius, quæ exarsit, et in ventos abiit.

182. *Adlicit*] Al. *attigit*, sed eadem est significatio. Alii, *adficit*, et Palmerius, *adligit*. Pro *nictantia* in præcedenti versu, quidam, *minitantia*.

185. *Impete miro*] Id quidem ferri potest; at melius *agmine*.

186. *Nec tibi sit fraudi, &c.*] V. 17. Scrupulus propter nubes visas non ut latas, ita profundas, ideoque non istis fornacibus, et speluncis, quas fingit, extructas. Hunc eximit; et quædam subjungit de vento inter nubes fremente, et tandem cum fulgure erumpente.

194. *Saxis pendentibu'*] In speluncis enim saxa videntur pendere, *pendentia tecta* Virgilius, et passim poetæ.

196. *Magno indignantur murmure*] De ventis, Virg.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt——

200. *E nubibus*] Leg. *in nubibus*, id enim tota postulat sententia.

Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
Donec divolsa fulserunt nube corusci.
Hac etiam fit uti de causa mobilis ille
Devolet in terram liquidi color aureus ignis,
205 Semina quod Nubeis ipsas permulta necesse 'st
Ignis habere; etenim cum sunt humore sine ullo,
Flammeus est plerumque colos et splendidus ollis:
Quippe etenim Solis de lumine multa necesse 'st
Concipere, ut merito rubeant, igneisque profundant.
210 Hasce igitur cum Ventus agens contrusit in unum
Compressitque locum cogens, expressa profundunt
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.
Fulgit item, cum rarescunt quoque Nubila cœli.
Nam cum Ventus eas leviter diducit eunteis,
215 Dissolvitque, cadant ingratis illa necesse 'st
Semina, quæ faciunt fulgorem: tum sine tetro
Terrore, et Sonitu fulgit, nulloque tumultu.
Quod superest, quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus, et inusta vapore
220 Signa, notæque graveis halantes Sulfuris auras:
Ignis enim sunt hæc, non Venti signa, neque Imbris.

versantque flammam in cavis nubium fornacibus, donec tandem dirupta nube erumpunt multo fulgore coruscantes. Potest etiam fieri, ut mobilis ille color aureus liquidi ignis (ut velox ille, purus, fulgidusque ignis qui fulgur dicitur) in terram devolet hanc ob causam, nempe quia necesse est nubes ipsas multa semina ignis continere; namque nubes quæ aquam nullam continent, splendidi plerumque flammeique coloris sunt; quippe necesse est illas recipere multa ignis corpuscula a sole, et hanc ob causam merito ruber illis color, et ignem possunt emittere; cum autem ventus in unum locum contrusit hujusmodi nubes, easque cogens compressit, tum illa corpuscula exprimuntur quæ faciunt fulgur. Fulgur denique fit, cum nubes cœli rarescunt; nam cum ventus nubium volitantium partes leviter diducit, easque distrahit, tum necesse est ut ista semina ignis quæ fulgur faciant (diductis viz. a quibus continebantur nubibus) deciderent; tum autem fit fulgur sine horrendo tonitru. Proinde, quali natura prædita sunt fulmina demonstrant illorum ictus, signa quæ relinquunt perusta flamma, et notæ tetros sulphuris odores emittentes. Hæc enim sunt indicia ignis, non aëris, neque aquæ.

NOTÆ.

203. *Hac etiam fit uti, &c.*] Non tantum ignis in nubibus circumrotatus accendi potest, sed ipsæ nubes multa ignis corpuscula sive a sole, ut docuit Empedocles, sive aliunde accepta continent; id enim splendidus et flammeus color quarundam nubium demonstrat; ista autem corpuscula a vento, compellente et comprimente nubes, expressa fulgur efficiunt, v. 11.

213. *Fulgit item, &c.*] Modo dixit semina ignis, quæ in nubibus continentur, vi et impetu venti exprimi; jam, v. 5. licet non exprimantur, tamen diductis et distractis nubium partibus decidant necesse est, atque inde lene illud et mite fulgur, quod lumine oculos perstringit, nullo autem tonitru percellit aures.

215. *Ingratis*] Velit nolit, nam diductis nubibus necesse est inclusas ignis scintillas erumpere.

218. *Quod superest, quali, &c.*] Cum fulmen urat res tactas, cum domos incendat, &c. neminem videas qui ejus naturam igneam esse diffiteatur. Quod autem parietes penetrat, quod aurum, æs, reliqua metalla liquefacit, quod vase integro exhaurit liquorem, vel facit ut effluat, id quidem pernici motui, et subtilitati illius ignis attribuendum.

219. *Inusta vapore, &c.*] Res tactæ fulmine ustæ videntur, et illis odor sulphureus.

Præterea, per se accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipsis.
Hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
225 Constituit natura minutis, mobilibusque
Corporibus, cui nil omnino obsistere possit:
Transit enim valide Fulmen per septa domorum,
Clamor uti, ac Voces; transit per saxa, per æra;
Et liquidum puncto facit æs in tempore, et aurum.
230 Curat item ut vasis integris Vina repente
Diffugiant; quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vasis,
Adveniens calor ejus et insinuatur in ipsum; et
Mobiliter solvens differt primordia Vini:
235 Quod Solis vapor ætatem non posse videtur
Efficere: usqueadeo pollens fervore corusco,
Tanto mobilior vis, et dominantior hæc est.
Nunc ea quo pacto gignantur, et impete tanto
Fiant, ut possint ictu discludere Turreis,
240 Disturbare domos, avellere tigna, trabeisque,
Et Monumenta virûm demoliri, atque ciere,
Exanimare Homines, Pecudes prosternere passim:
Cætera de genere hoc qua vi facere omnia possint,

Præterea, fulmina per se incendunt domos, celerique flamma in ipsis ædibus dominantur: hunc autem subtilem ignem, e minutissimis ignibus, et seminibus maxime mobilibus composuit Natura, cui igni nihil omnino potest obsistere; fulmen enim magno cum impetu transit per parietes domorum, ut clamor et voces, per saxa etiam, et per æra transit, et momento temporis aurum et æs liquefacit: facit etiam, ut vase non dirupto vinum defluat subito, et dilabatur, nimirum, quia ignis ejus se in vas insinuans partes lateritii vasis diducit, novosque in illis meatus aperit, et ipsum corpus vini dissolvens illius semina dispergit: quod calor solis non poterit efficere per multos annos; vis fulminis fervore corusco pollens tanto penetrantior et potentior est quam solis calor. Nunc quo pacto generatur fulmen, unde tanta sit illius vis, et impetus, ut ictu possit turres discutere, ædes disjicere, tigna et trabes avellere, hominum monumenta evertere, homines pecudesque exanimare et prosternere; qua denique vi alias istiusmodi strages edat,

NOTÆ.

222. *Per se*] Melius quam *sæpe*.

228. *Clamor uti, ac voces*] Alii, *clamor uti vocis*. Sed totus hic versus abesse potest.

232. *Lateramina vasis*] Dolia enim vinaria lateritii operis erant, Horatio, *Testæ*: et ex latere *lateramen*, ut ex ferro *ferramen*, ex ære *æramen*, &c.

235. *Ætatem*] Terentius, Eun. Act. 4. Sc. 5. *jamdudum ætatem lites sunt inter eos factæ maximæ. Jamdudum ætatem* pro longinquo tempore. Lucilius, *Ut multos mensesque, diesque; non tamen ætatem*: Donatus.

236. *Pollens*] Recte Lambinus; et valeat Gifanii *tollens*, et aliorum *candens*, vel *cellens*, viz. excellens.

238. *Nunc ea quo pacto gignantur, &c.*] Cum ortum fulminis exquiras, observandum est nunquam sine nubibus densis fulminare; nisi enim spissæ essent nubes, atque alte exstructæ, non illa grandinis et imbris copia fulmen sequeretur. In istis igitur nubibus concipias ventum pernici motu circumrotatum isto motu calescentem, et multa ignis semina e nubibus istis exprimentem; tandem vel motu suo vel ab igneis istis particulis accensum ingenti cum fragore, et immani impetu erumpere; ista autem eruptione ita concutit et distrahit nubium partes, ut totæ in grandinem abeant, vel in imbrem dissolvantur. Hæc, v. 55.

241. *Demoliri*] Alii commoliri

Expediam, neque Te in promissis plura morabor.
245 Fulmina gignier e crassis, alteque putandum 'st
Nubibus exstructis; nam cœlo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
Quod tunc per totum concrescunt Aëra nubes
250 Undique, uti tenebras omneis Acherunta reamur
Liquisse, et magnas cœli complesse cavernas:
Usqueadeo tetra nimborum nocte coorta
Impendent atræ formidinis ora superne,
Cum commoliri tempestas fulmina cœptat.
255 Præterea, persæpe niger quoque per mare Nimbus,
Ut picis e cœlo demissum flumen, in undas
Sic cadit, et fertur tenebris procul, et trahit atram
Fulminibus gravidam tempestatem, atque procellis,
Ignibus, ac ventis cumprimis ipse repletus;
260 In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant.
Sic igitur supera nostrum caput esse putandum 'st
Tempestatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, nisi inædificata superne
Multa forent multis exemto Nubila sole:
265 Nec tanto possent hæc terras opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, camposque natare,
Si non exstructis foret alte Nubibus æther.
His igitur Ventis, atque Ignibus omnia plena

docebo, neque te in promissis diutius morabor. Jam vero credendum est fulmen gigni e crassis nubibus, et alte aliis super alias coacervatis; nulla enim fulmina e cœlo sereno, aut e nubibus non valde spissis mittuntur. Hoc autem verum esse quotidiana docet experientia, quoniam tum nubes per totum aëra ita densantur, ut putes omnes tenebras inferos reliquisse, et spatiosa cœli loca replevisse, tam atra et horrenda nox e coactis nubibus coorta impendet desuper et terret, cum nimbus procellosus incipit præparare fulmina. Præterea, sæpe niger nimbus, ut nautæ observant, tanquam picis flumen e cœlo demissum, in mare tanto cum impetu descendit, ita tenebris horret, et trahit atram tempestatem fulminibus et procellis gravidam, ipse ignibus et ventis plenus, ut licet longe a nobis feratur, tamen nos in terra collocati terremur, et subimus domos; igitur credendum est nubes esse densas, alteque exstructas supra nostrum caput, neque enim tam atra caligine terras obruerent, nisi aliæ super alias essent coacervatæ, quæ ab ulteriori progressu radios solis prohibere possint: neque tantis imbribus istæ nubes terras valerent opprimere, ut flumina ripas superare, camposque inundare facerent, si non essent in cœlo altæ, et aliæ super alias exstructæ. Omnes nubium cavernæ sunt his ventis atque ignibus plenæ,

NOTÆ.

245. 246. *Alte—Nubibus exstructis*] Tullius, *Sepulchrum altius exstruere.* Horatius, Sat. 6. lib. 2.

Quæ procul exstructis *inerant hesterna cumistris.*

250. *Undique, &c.*] Vid. lib. 4. v. 170.

257. *Sic cadit, et fertur tenebris procul*] Fateor, neque me illius pudet, non intelligo, quid hoc sit negotii, *Nimbus fertur tenebris procul:* lego autem, *Et fertur terris procul;* Faber. Ego autem videor intellexisse, nempe, *fertur valde tenebrosus per mare, procul ab iis qui in terra collocati horrescunt.*

265. *Nec tanto possent hæc terras opprimere imbri*] Hæc viz. nubila, ut enim obruunt terram caligine, ita imbre opprimunt: nec video cur huic lectioni præferatur alia,

Nec tanti possent venientes opprimere imbres.

Sunt; ideo passim fremitus, et fulgura fiunt:
270 Quippe etenim supera docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis; et multa necesse 'st
Concipere ex Solis radiis, ardoreque eorum.
Hic ubi Ventus eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expressit multa vaporis
275 Semina, seque simul cum eo commiscuit igni;
Insinuatus ibi Vortex versatur in alto,
Et calidis acuit Fulmen fornacibus intus:
Nam duplici ratione accenditur, Ipse sua nam
Mobilitate calescit, et e contagibus ignis.
280 Inde ubi percaluit vis Venti, vel gravis Ignis
Impetus incessit; maturum tum quasi Fulmen
Perscindit subito Nubem, ferturque coruscis
Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor:
Quem gravis insequitur Sonitus, displosa repente
285 Opprimere ut cœli videantur templa superne.
Inde tremor Terras graviter pertentat, et altum
Murmura percurrunt cœlum; nam tota fere tum
Tempestas concussa tremit, fremitusque moventur:
Quo de concussu sequitur gravis Imber, et uber,
290 Omnis uti videatur in Imbrem vertier Æther
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare.

idcirco ubique et frequenter tonitru et fulgur: supra enim demonstravi cavas nubes continere multa ignis corpuscula, multa etiam necesse est ut accipiant a solis radiis; cum autem idem forte ventus, qui illas nubes in unum quemvis locum compulit, multa ignis semina expressit, et se cum isto igni commiscuit, tum rapida tempestas cavernis nubis inclusa circumrotatur, et in calidis intus fornacibus fabricatur, parat, acuit, et excudit fulmen. Ventus vero iste duplici ratione accenditur, nam vel suo pernici motu flammam concipit, vel ab igneis, quæ sunt in nube, seminibus accenditur; inde cum ventus ipse flammam conceperit, aut cum ab alio igne accenditur, tum fulmen quasi maturum subito perrumpit nubem, et impetuosus ignis evolat coruscis luminibus loca omnia perlustrans: hunc ignem ingens fragor insequitur, ut fornices cœli subito impetu dirupti in terras casuri videantur, suoque casu omnes mortales oppressuri. Inde totam terram pervadit tremor, altum cœlum murmura percurrunt, tum enim tota fere tempestas (nubes plena tempestatis) concussa tremit, et murmura oriuntur: qua de concussione sequitur gravis et copiosa pluvia, ita ut totus æther in pluviam resolvi videatur, præcepsque cadens diluvium minari.

NOTÆ.

276. *In alto*] In cavis viz. et profundis nubium speluncis.

278. *Ipse sua nam*] Alii, *ipse suapte*, melius forsan, non enim placet vocis istius *nam* repetitæ sonus.

279. *Contagibus*] *Contages* alibi Lucretius, viz. lib. 3. v. 472. 735. 741. id est, contactu.

286. *Pertentat*] Sæpe Virgilius,

Nonne vides ut tota tremor pertentet *equorum*
Corpora?
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno

Pertentat *sensus*, &c.

291. *Atque ita præcipitans*] Mendum in hoc versu esse arbitror, neque tu, lector, aliorsum ibis, si mecum otiose et placide seriem verborum ipsorum attenderis [*aër videtur in imbrem verti, et ad diluviem revocare*]. Nihil sentis? poteras tamen: Quid enim? ille aër quos, quas revocare videtur? Ecquid dubitas quin vox aliqua exciderit quæ in quarto casu esset? Deinde, ad quam diluviem? Ogygiamne, an Deucalioneam? Quamobrem a me non est ut impetretur, quin pro *atque ita præcipi-*

Tantus discidio nubis, ventique procella,
Mittitur ardenti Sonitus cum provolat ictu.
Est etiam cum vis extrinsecus incita Venti
295 Incidit in validam maturo fulmine Nubem;
Quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine Fulmen:
Hoc fit idem in parteis alias, quocunque tulit vis.
Fit quoque ut interdum Venti vis missa sine igni,
300 Ignescat tamen in spatio, longoque meatu,
Dum venit, amittens in cursu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras;
Atque alia ex ipso conradens Aëre portat
Parvula, quæ faciunt ignem commista volando:
305 Non alia longe ratione, ac plumbea sæpe
Fervida fit Glans in cursu, cum multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.
Fit quoque, ut ipsius Plagæ vis excitet ignem,

Tam ingens et horrendus fragor una cum fulmine emittitur e nube a vento incluso perrupta. Fieri etiam potest, ut vehemens ventus extrinsecus incidat in nubem densam, in qua fulmen est jam formatum et perfectum, quam nubem cum ventus ille perruperit, statim cadit igneus ille vortex, quod nos Latini Fulmen *dicimus. Fulmen autem in hanc vel in illam partem erumpit prout impetus determinat: aliquando etiam fit, ut ventus sine igne erumpens in longo cursu dum ad terras tendit, ignescat, amittens quædam grandia corpora, quæ simul aëra penetrare nequeunt, alia vero minuta ex ipso aëre corradens secum portat, quæ minuta corpuscula (dum per aërem simul cum vento feruntur) ignem concipiunt, et ventum ipsum accendunt: pari fere modo ac glans plumbea in cursu fit fervida, cum rigida multa frigidaque corpuscula dimittens ignem in aëre concepit. Fit quoque ut ipsius ictus impetus ignem excitaret,*

NOTÆ.

tuus legi oporteat, *atque ita Pyrrhæ nos.* Horat. lib. 1. Od. 2.

Terruit urbem,
Terruit gentes, grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ *nova monstra questæ.*
Faber.

Ingeniose quidem, at tota hæc Critica pendet e scrupulosa nimis vocis istius, *revocare*, acceptatione; cui non favet ipse Lucretius: vid. lib. 5. v. 256.

Pars etiam glebarum ad Diluviem revocatur
Imbribus.

293. *Provolat*] Alii, *pervolat.*

294. *Est etiam cum vis, &c.*] Si ventus inclusus nubem perrumpere non valeat, a vento extrinsecus impingente adjuvari possit, quocunque autem modo dirumpatur nubes, maturum fulmen excidat necesse est, v. 5.

296. 297. *Igneus Vortex*] Vortex e nube effugiens sine igne *Typhon* vocatur, non *fulmen.* Plinius, lib. 2. cap. 48.

299. *Fit quoque ut interdum, &c.*] Duos alios modos quibus fulmen paretur subjungit Lucretius, quorum prior, v. 9. continetur. Quippe ventus sine igne e nubibus erumpens longo cursu et pernici motu incalescere possit et accendi; neque illud incredibile, cum globulus v. g. plumbeus e tormento emissus liquefiat: hoc quidem non adeo verum est, sed multas res motu pernici accendi neminem videas qui diffiteatur.

306. 307. *Multa rigoris corpora*] Multa frigida corpora: infra, v. 367. et lib. 5. v. 639. 745.

308. *Fit quoque, ut ipsius, &c.*] Posterior, v. 14. Ventus in rem aliquam impingat, ad ictum tam ex vento quam ex re perculsa semina ignis confluant; inde ventus accenditur, et fit fulmen: talem autem seminum ignis confluxum fieri posse demonstrat ferri et silicis conflictus: neque quis objiciat ventum esse frigidum, (illud autem minime concedendum, cum motu tam pernici fertur) ferri enim natura non minus frigida, at e ferro percusso ignes evolant.

Frigida cum Venti pepulit vis missa sine igni:
310 Nimirum quia cum vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipso possunt elementa Vaporis;
Et simul ex illa, quæ tum res excipit ictum,
Ut lapidem ferro cum cædimus, evolat Ignis;
Nec quod frigida vis sit ferri, hoc secius illa
315 Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum:
Sic igitur quoque res accendi Fulmine debet,
Opportuna fuit si forte, et idonea flammis.
Nec temere omnino plane vis frigida Venti
Esse potest, ex quo tanta vi immissa superne 'st:
320 Quin prius in cursu si non accenditur igni,
At tepefacta tamen veniat commista calore.
Mobilitas autem fit Fulminis, et gravis ictus,
Et celeri ferme pergunt sic Fulmina lapsu:
Nubibus ipsa quod omnino prius incita se Vis
325 Conligit, et magnum conamen sumit eundi:
Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,
Exprimitur vis, atque ideo volat impete miro,
Ut validis quæ de Tormentis missa feruntur.
Adde quod e parvis, ac lævibus est elementis:
330 Nec facile 'st tali naturæ obsistere quicquam;
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offensibus in remorando

cum vehemens ventus, frigidus licet et sine igne erumpens, rem aliquem percusserit; nimirum, quia cum ictu vehementi percutit, semina ignis confluere possunt ex ipso vento, et simul ex illa re quæ tum percutitur: ut cum silicem ferro percutimus ignis exilit, et licet ferrum sit corpus frigidum, nihilominus semina ignis ad ictum confluunt; sic igitur res a fulmine tacta, si apta et idonea flammis fuerit, ab illo accendi debet: quin vix fieri potest ut ventus plane foret et omnino frigidus, cum tanto impetu e nubibus emittitur: sed si in cursu non accendatur, et inflammetur, tepefactus saltem et calidus ad terras veniat. Ideo autem mobilitas fulminis tanta est, et tam gravis illius ictus, tam pernici motu decidit, quoniam, intra nubem ventus sese colligit, et intendit vires ut violentius erumpat; tum demum cum nubes adauctum impetum cohibere non valeat, exprimitur, et hanc ob causam miranda vi et pernicitate fertur, ut saxa aut tela e validis tormentis jaculata. Adde, quod fulmen constat e parvis et lævibus seminibus, et rei ex iis compositæ quicquam non facile obsistit, nam penetrat, et fertur per inanes meatus rerum; igitur non in multas res quæ ipsum remorari queant

NOTÆ.

322. *Mobilitas autem fit fulminis, &c.*] Pernicitas et vehementissimus ictus fulminis e supra positis facile explicari potest; nam ventus nubibus inclusus fremit et fervet, omnia nubis latera pertentat, exitumque quærit, ideoque cum perruperit magno cum impetu evolet necesse est, v. 7. Adde quod e minutis et lævibus seminibus constat, ideoque per inanes meatus aëris transit, v. 5. His subjunge illius gravitatem, eamque ictu maxime adauctam, v. 5. Demum, v. 8. Adde quod e longinquo cadit, ideoque plures celeritatis gradus momento quolibet acquirit, forsan etiam ab ipso aëre adjuvatur; et quid mirum si corpus grave magna cum vi erumpens, et ab aliis corporibus protrusum magna celeritate cadat, et graviter percellat omnia?

325. *Conligit, et magnum conamen sumit eundi*] Metaph. ab iis sumpta, qui collectis viribus et spiritu sese ad cursuram parant. *Faber.*

Hæsitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura Pondera deorsum
335 Omnia nituntur: cum plaga sit addita vero,
Mobilitas duplicatur, et impetus ille gravescit:
Ut vehementius, et citius, quæcunque morantur
Obvia, discutiat plagis, itinerque sequatur.
Denique, quod longo venit impete, sumere debet
340 Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,
Et validas auget vireis, et roborat ictum:
Nam facit, ut, quæ sint illius Semina cunque,
E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
Omnia conjiciens in eum volventia cursum.
345 Forsan et ex ipso veniens trahat Aëre quædam
Corpora, quæ plagis intendunt mobilitatem.
Incolumeisque venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidis quia travolat Ignis:
Multaque perfringit, cum corpora fulminis ipsa
350 Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
Dissolvit porro facile Æs, Aurumque repente
Confervefacit; e parvis quia facta minute
Corporibus vis est, et lævibus ex elementis,
Quæ facile insinuantur, et insinuata repente
355 Dissolvunt nodos omneis, et vincla relaxant.

offendit, et hanc ob causam tam celer est illius motus. Deinde, quod omnia gravia deorsum Natura tendunt, ubi vero corpus aliquod grave protruditur, duplicatur ejus celeritas, et impetus illius major fit, ita ut potentius et celerius quæcunque obvia morantur ictu discutiat, et quo primum dirigebatur eo pergat. Deinde quodcunque e longinquo cum impetu emittitur debet sumere mobilitatem, quæ semper eundo intenditur, quæ validas vires auget, et ictum illius reddit potentiorem; nam facit ut omnia illius semina in unum quasi locum directo ferantur, omnia semina volubilia, et quæ illius motum promovere possunt, in eundem cursum conjiciens (eodem dirigens). Forsan etiam dum volat trahat ex ipso aëre quædam corpora, quæ ictibus suis illius celeritatem augeant. Denique fulmineus ille ignis volat per res illæsas, et multa integra permanat (transit per quasdam res quas non diffringit et dissolvit), quoniam per inanes rerum meatus transit; multas autem res perfringit, cum ipsa corpora fulminis in rerum corpuscula, qua sibi invicem conjuncta hærent, impingant. Porro facile dissolvit æs, et repente liquefacit aurum, quia constat e minutis et lævibus seminibus, quæ facile insinuantur, et insinuata subito dissolvunt omnes nodos, et rerum vincula relaxant.

NOTÆ.

342. *Nam facit, &c.*] Longus ille viz. impetus: nam fulminis semina, ut aliarum rerum corpuscula, vaga sunt neque ad certum locum determinata, longo vero illo impetu diriguntur: hunc locum ab aliis non satis explicatum, recte mihi videor interpretari.

347. *Incolumeisque venit, &c.*] Non omnia in quæ incidit diffringit fulmen; rara corpora integra manent et illæsa, nam per illorum meatus libere transit subtilis ignis. Solida, æs, aurum, &c. dissolvit, quia in solida corpora impingit, et eorum poros ingressus, dum exitum non invenit, disjungit ipsa corpuscula, metalla liquefacit, saxa redigit in pulverem.

348. *Foraminibus liquidis*] Apertis, vel inanibus; sed *liquidus* forsan legas, viz. ignis subtilis.

352. 353. *Corporibus parvis vis facta est*] Vis æris et auri inquit Lambinus, sed fallitur, quod et ratio, et versus sequentes probant; vis enim illa fulminis est, non auri,

Quæ facile insinuatur, &c.

Sed res plana est, neque monuissem, nisi adolescentibus ab autoritate docti hominis periculum esset: *Faber.*

Autumnoque magis stellis fulgentibus alta
Concutitur Cœli domus undique, totaque Tellus;
Et cum tempora se Veris florentia pandunt:
Frigore enim desunt Ignes, Ventique Calore
360 Deficiunt, neque sunt tam denso corpore Nubes.
Inter utrumque igitur cum Cœli tempora constant,
Tum variæ causæ concurrunt Fulminis omnes.
Nam fretus ipse anni permiscet Frigus, et Æstum:
Quorum utrumque opus est fabricanda ad Fulmina nobis,
365 Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus, et Ventis furibundus fluctuet Aër.
Prima Caloris enim pars, et postrema Rigoris,
Tempus id est Vernum; quare pugnare necesse 'st
Dissimiles inter se res, turbareque mistas.
370 Et Calor extremus primo cum Frigore mistus
Volvitur, Autumni quod fertur nomine tempus:
Hîc quoque confligunt Hiemes Æstatibus acres.
Propterea sunt hæc Bella anni nominitanda:
Nec mirum 'st in eo si tempore plurima fiunt
375 Fulmina, tempestasque cietur turbida cœlo,
Ancipiti quoniam bello turbatur utrinque,
Hinc Flammis, illinc Ventis, Humoreque misto.
Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam

Et altum cœlum stellis fulgentibus ornatum ex omni parte magis concutitur, et tota tellus, in autumno, et (in vere) cum florentia tempora veris se pandunt; nam in hyeme desunt ignes, in æstate venti, neque nubes sunt satis densæ: in anni igitur tempestate quæ inter hyemem et æstatem est (in vere et autumno) omnes variæ causæ fulminis concurrunt. Nam ipse anni fretus calorem et frigus miscet, quorum utrumque necessarium est ad facienda fulmina, ut sit rerum discordia, et furibundus aër magno tumultu a ventis simul et ignibus turbatus agitaretur. Nam postrema pars hyemis, et prima pars æstatis faciunt ver, quare necesse est res contrariis qualitatibus imbutas pugnare, et cum miscentur, turbas et tumultus excitare: ultima pars æstatis et prima pars hyemis faciunt istam anni tempestatem, qui autumnus dicitur; igitur in hac etiam tempestate acre frigus cum calore pugnet necesse est; propterea hæc sunt dicenda Anni Bella. *Neque mirum est, si in ea tempestate plurima sint fulmina, et multi tumultus in cœlo excitentur, quonium utrinque ancipiti bello pugnatur, e parte æstatis ignibus, e parte hyemis ventis simul et humore. Hæc scire est perspicere ipsam naturam igniferi fulminis,*

NOTÆ.

356. *Autumnoque magis stellis fulgentibus alta, &c.*] Leg. *Stellis fulgentibus apta:* vel cum Fabro (quamvis ista lectio non sit adeo necessaria) *telis fulgentibus*, id est, *fulmine*. V. 22. inquiritur cur autumno et vere frequentius quam hyeme et æstate (quod quidem de quibusdam Italiæ regionibus intelligendum) fulminet? Quia viz. cum fulmen sit igneæ naturæ, atque e densis nubibus erumpit, tum fulmina sunt maxime expectanda, quando calida est tempestas, et frigoris non omnino expers, nam ubi nullus calor, ibi frustra requiras ignem; nimius autem calor non patitur ut densentur nubes. At in vere et autumno calor cum frigore miscetur, inde nubes, venti, ignis, tumultus tandem in aëre, e quibus tonitru, fulgur, fulmen.

363. *Nam fretus ipse anni*] Ita vocat eas tempestates quæ frigus et calorem interjacent, ut fretum dividens duas continentes: dicebant autem veteres *fretus* et *fretum*. Faber. Seneca, Nat. Quæst. lib. 7. cap. 28. *Æquinoctium in calorem frigusque flectentis anni signum.*

376. *Ancipiti—bello*] Vere et autumno calor et frigus contendunt; æstate calor, hyeme frigus dominatur.

378. *Hoc est igniferi, &c.*] V. 8. Sacrificulorum augurumque generi insultat:

Perspicere, et qua vi faciat rem quamque videre:
380 Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
Indicia occultæ Divûm perquirere mentis,
Unde volans Ignis pervenerit, aut in utram se
Verterit hic partem, quo pacto per loco septa
Insinuârit, et hinc dominatus ut extulerit se,
385 Quidve nocere queat de cœlo fulminis ictus.
Quod si Jupiter atque alii fulgentia divi
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt igneis, quo cuique 'st cumque voluptas,
Cur, quibus incautum scelus aversabile cumque 'st,
390 Non faciunt, icti flammas ut Fulguris halent
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?
Et potius nullæ sibi turpis consciu' rei
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,
Turbine cœlesti subito conreptus et igni?
395 Cur etiam loca sola petunt, frustraque laborant?
An con brachia suefaciunt, firmantque lacertos?
In terraque Patris cur telum perpetiuntur

et intelligere qua vi rem quamque faciat: frustra autem ille qui libros Etruscorum solicite evolvit, ut secreti Numinum consilii indicia inquirat, ut superstitiose notet e qua parte cœli erupit ignis, in quam tendit, quo modo per domorum parietes transiit, et quo modo facta strage exierit, et quid mali de cœlo veniens portendat; nam post hanc inquisitionem factam Naturam fulminis ignorabit. Quod si Jupiter, atque alii Dii horrendo fragore splendentes domos cœlestes quatiunt, et pro libitu jaciunt fulmina; cur isti Dii non faciunt, ut qui non cavent a sceleribus quæ debent aversari (qui horrenda scelera committunt), pectoribus fulmine transfixis flammas fulguris emittant, aliis hominibus divinæ vindictæ insigne monimentum? Cur potius innocens et innoxius qui nullius criminis sibi conscius sit, flammis involvitur, et impeditur, turbine cœlesti et igne (fulmine) subito afflatus? Cur etiam in deserta loca jaciunt, et frustra laborant? An tum consuefaciunt (exercent ut certius fortiusque jaculari discant) sua brachia, et lacertos firmant? Cur patiuntur telum patris sui Jovis in terra

NOTÆ.

istuc, inquit, est scire quæ natura sit fulminis, &c. quod nunquam in vestris libris deliramentorum plenis reperietis. *Retro volventem*, id est, a capite ad calcem, a calce ad caput volvendo, revolvendo aniles istos libros quos Tyrrheni seu Tusci condiderunt. *Faber.* Nihil dici potuit brevius, aut elegantius.

380. *Tyrrhena*] Tages enim (ut in libris est Hetruscorum) in agro Tarquiniensi cum terra araretur, et sulcus esset altius impressus, extitisse repente dicitur; et Haruspicinæ disciplinæ præcepta tradidisse. Vid. Ciceronis lib. 2. de Divinat. et Lucani lib. 1. v. 530. 587. 606.

384. *Hinc dominatus ut extulerit se*] Nam reditus fulminis maxime observabatur.

386. *Quod si Jupiter, &c.*] Versibus 36. Jovi, aliisque Diis eripit fulmina, quibus non satis prudenter uti videantur: et iisdem argumentis totam Hetruscorum disciplinam refutat, nam nisi Dii jaculentur fulmina, nulla est divinatio; si vero Dii emitterent, cur scelerati homines intacti, innocentes vero sæpe perimuntur? Quid proficit Jupiter, cum in desertas solitudines fulmen jacit? Quid cum in medium mare? Quid cum in altissimos montes quod plerumque fit? Cur denique nullum sine nubibus fulmen? Cur sua templa atque aliorum Numinum simulachra discutit? Hic multa acriter, multa ad ridiculum dicta invenies.

Ibid. *Alii—Divi*] Thuscorum literæ novem Deos fulmen emittere existimant; Plinius, lib. 2. cap. 52. Arnobius, p. 122. *Diis novem Jupiter potestatem jaciendi sui fulminis permisit.*

390. *Halent*] Alii, *edunt:* et v. 388. *Quo inducit quemque voluptas.*

396. *An con brachia suefaciunt*] Alii, *an tum brachia consuescunt.*

Obtundi? cur Ipse sinit, neque parcit in hosteis?
Denique, cur nunquam cœlo jacit undique puro
400 Jupiter in terras Fulmen, sonitusque profundit?
An simul ac Nubes successere, Ipse in eas tum
Descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
In Mare qua porro mittit ratione? quid undas
Arguit, et liquidam molem, camposque natantes?
405 Præterea, si vult caveamus Fulminis ictum,
Cur dubitat facere, ut possimus cernere missum?
Si nec-opinanteis autem vult opprimere igni,
Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?
Cur tenebras ante, et fremitus, et murmura concit?
410 Et simul in multas parteis quî credere possis
Mittere? An hoc ausis nunquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno sub tempore plures?
At sæpe 'st numero factum, fierique necesse 'st,
Ut pluere in multis regionibus, et cadere imbreis,
415 Fulmina sic uno fieri sub tempore multa.
Postremo, cur sancta Deûm delubra, suasque
Discutit infesto præclaras Fulmine sedes;
Et bene facta Deûm frangit simulachra? suisque
Demit imaginibus violento volnere honorem?

obtundi? cur ipse permittit, cur non reservat tela, ut in hostes utatur? Denique cur non Jupiter jaculatur fulmen in terras et tonitru spargit, cum cœlum sit ex omni parte serenum? an simul ac nubes subtexunt cœlum ipse in eas descendit, ut ex illis teli sui ictus prope, atque ideo certius, determinet? Quam denique ob causam in mare vibrat fulmen? Quid undas, liquidam molem, et campos natantes arguit? Præterea, si vult ille Jupiter ut ictum fulminis evitemus, cur non facit, ut videre possimus fulmen dum volat? Si vero nos non opinantes et nihil tale timentes igne percutere voluit, cur tonat ex illa parte qua fulminat, ut possimus evitare, cur antequam fulmen jaculatur, tenebras facit, fremitûs et murmura concitat? Et quomodo possis credere illum Jovem in multas terrarum partes simul jaculari posse? An audes asserere multa fulmina nunquam uno tempore emitti? At profecto sæpe id factum est, et necesse est fieri, ut in multis regionibus uno eodemque tempore imbres pluviamque, sic et fulmina cadere. Præterea, cur sancta Deorum delubra, et præclara sua templa fulmine inimico disjicit? Cur frangit Deorum simulachra summa arte elaborata? Cur violento ictu pulchras suas imagines deformat?

NOTÆ.

398. *Neque parcit in hosteis*] Neque iis minus frequenter utitur, ut ubi occasio fuerit, hostes suos male perdat.

404. *Undas arguit*] Nam cur in aliquid jaciat fulmen Jupiter, nisi illud aliquo crimine arguat? Huic versui Lambinus existimat versum, qui ab hoc septuagesimus est, si modo Lucretianus est,

Nam ratio cum sanguine abest humoribus omnis,

subjungendum.

405. *Præterea, si vult, &c.*] His v. 11. proponit duo mira argumenta, quibus fulmen Jovi conatur eripere: vult enim ille Jupiter ut evitemus fulmen, aut non; si velit, cur tanta illius subtilitas, tam pernix motus, ut sensum fugiat? si non, cur murmure, tenebris, &c. monet e qua parte fulmen mittetur? Deinde in plurimas partes uno tempore fulmen spargitur, at illud uni Jovi foret nimis laboriosum.

418. *Bene facta Deûm—simulachra, &c.*] Ad ridiculum istud *bene facta*. Quanti enim vænire poterant! Indignum vero Deos tantum damni facere, tam elaborata simulachra ad canonem Polycleteum exacta, ὦ πόνου, hoi hei! *Faber.*

420 Altaque cur plerumque petit loca? plurimaque hujus
Montibus in summis vestigia cernimus Ignis?
Quod superest, facile 'st ex his cognoscere rebus,
Πρηστήρας Graii quos ab re nominitârunt,
In mare qua missi veniant ratione superne.
425 Nam fit, ut interdum tanquam demissa columna
In mare de cœlo descendat, quam Freta circum
Ferviscunt graviter spirantibus incita flabris:
Et quæcunque in eo tum sunt deprensa tumultu
Navigia, in summum veniunt vexata periclum.
430 Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita Venti
Rumpere, quam cœpit, nubem; sed deprimit, ut sit
In mare de cœlo tanquam demissa columna
Paullatim, quasi quid pugno, brachiique superne.
Conjectu trudatur, et extendatur in undas:
435 Quam cum discidit, hinc prorumpitur in mare Venti
Vis, et fervorem mirum concinnat in undis;
Versabundus enim Turbo descendit, et illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem.
Quam simul ac gravidam detrusit ad æquora Ponti,
440 Illé in aquam subito totum se immittit, et omne
Excitat ingenti sonitu Mare fervere cogens.

Cur denique alta loca plerumque ferit? Et cur in altissimis montibus plurima signa ignis fulminei videmus? Proinde ex iis quæ jam docui facile est cognoscere qua ratione turbines isti, quos Græci (quoniam res ipsa id nomen postulat) Presteras *vocarunt, e cœlo in mare descendant. Aliquando enim fit, ut veluti columna e cœlo demissa in mare descendat, circa quam columnam mare flabris spirantibus incitatum vehementer exæstuat: et quæcunque naves in eo tumultu sunt deprehensæ in summum discrimen jactatæ veniunt. Hoc autem fit, cum impetuosus ventus non valet perrumpere nubem ex ea parte qua cœpit, sed istam deprimit, ut sit tanquam columna de cœlo in mare paulatim demissa, quasi res aliqua manu brachiique impetu desuper trudatur, et in undas extendatur: quam nubem cum perruperit ventus, valida procella in mare effunditur, quæ mirum fervorem in undis excitat. Nam turbo versabundus descendit, et secum deducit nubem quæ lenta est, et non facile diduci, aut perscindi potest. Quam nubem ventis plenam simul ac detrusit ad mare, se totum in undas repente immittit, totum pelagus excitat horrendo murmure cogens ferviscere seu bullire.*

NOTÆ.

420. *Plurimaque hujus*] *Plurimaque plus*, Gifanius, cui nunquam placet versus integer.

422. *Quod superest, facile 'st &c.*] Fulmen sequitur presteris explicatio, v. 20. Prester autem turbo igneus, qui scilicet ventus circumactus, et se in ipsa vertigine concitans cum sit, si pugnacior est et diutius volutatur, in flammam abit. Si ventus hic e nubibus excutitur, et recto impetu feratur, tum fit fulmen; si nubem, quæ lenta est, perrumpere non valeat, sed deorsum in mare extendat, ibique erumpens rapida vertigine omnia torqueat, tum fit prester, maxima navigantium pestis: quoniam vero de fulmine satis dixisset, jam turbinem tantum explicat, et inde conjicit (perperam ni fallor) Gassendus, Epicuri presterem esse Ecnephian non igneum, et docet presterem *ab re a Græcis nominatum* ita dici, non quasi *inflammantem*, sed quasi *inflantem*, seu tumefacientem, quatenus incidens in mare tumescere ipsum cogit; seu *fervefacientem*, quatenus aquam sic commovet, ut veluti *ferviscere*, seu quasi bullire videatur.

431. *Quum cœpit, nubem*] Gassendus, *qua cœpit*, ita enim postulat sententia.

438. *Lento cum corpore nubem*] Nubem, quæ fertur tardo cum corpore: *Fayus*. Agnoscis ingenium hominis.

Fit quoque, ut involvat venti se nubibus ipse
Vortex conradens ex Aëre semina nubis,
Et quasi demissum cœlo Prestêra imitetur.
445 Hic ubi se in terras demisit, dissolvitque;
Turbinis immanem vim provomit, atque procellæ:
Sed quia fit raro omnino, monteisque necesse 'st
Officere in Terris; apparet crebrius idem
Prospectu Maris in magno, cœloque patenti.
450 Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando
Hoc super in Cœli spatio coiere repente
Asperiora, modis quæ possint indupedita
Exiguis, tamen inter se comprensa teneri.
Hæc faciunt primum parvas consistere Nubeis;
455 Inde ea comprendunt inter se, conque gregantur,
Et conjungendo crescunt, ventisque feruntur
Usqueadeo, donec Tempestas sæva coorta 'st.
Fit quoque uti Montis vicina cacumina cœlo
Quam sint quæque magis, tanto magis edita fument
460 Assidue fulvæ Nubis caligine crassa;

Aliquando etiam fit, ut venti vortex se nubibus involvat, nubis semina ex aëre corradens, atque imitetur presterem cœlo demissum. Cum hic vortex se in terram dimisit, nubemque dissolvit, ingentem turbinem et procellam evomit; cum vero infrequens sit ejusmodi turbo in terris, quoniam montes impediant, illiusque vim frangant, frequentius in lato mari et cœlo patenti accidit. Nubila fiunt, cum multa corpora hamata et aspera, quæ huc et illuc in aëre vagantur, in illo cœli spatio, quod supra nostrum caput est, repente coëunt; quæ quidem corpora aliquo modo connecti possunt, at non arcte conjungi atque implicari. Hæc primum faciunt tenues nebulas consistere, deinde spissius pressiusque connectuntur, novis etiam additis corporibus augetur eorum spissitudo, ventis huc et illuc delata ita condensantur, ut totum cœlum subtexat horridas, et procellosus nimbus. Fit quoque ut quo magis montes sint cœlo vicini (qua altiores sunt) eo magis fumare videantur, et perpetuo emittere crassam caliginem fulvæ nubis;

NOTÆ.

442. *Fit quoque, ut involvat, &c.*] Mare plurimum vexat prester, terras autem turbo ille qui proprie vortex dicitur, qui est rapidus ventus circumactus et circumvolutus in nube, cum nube autem descendens in terras ibique erumpens sine igne, rotat omnia, et versat: neque hic quidem turbo in terris frequens, nam descensum illius montes impediunt, et vim frangunt. At in lato mari nautæ miseri sæpe timent.

450. *Nubila concrescunt, &c.*] Unde nubes docet Lucretius, v. 8. Hamata viz. quædam asperaque corpora, quæ in aëre volitant, coëunt, inde tenues primum nubes, ex istis vero tenuibus simul junctis et condensatis tandem nubila.

453. *Comprensa*] Sic potius legendum, quam *compressa*. Ita v. 455. *Comprendunt inter se*. Dictum autem *comprendunt inter se*, ut *amant inter se*.

456. *Ventisque feruntur, &c.*] Scilicet crassa hæc moles modicis ventis cietur, vehementibus disjicitur: ita quidam, sed frustra; aliam vero interpretationem sequutus sum.

458. *Fit quoque uti montis, &c.*] Plurimæ autem nubes de altorum montium cacuminibus surgere videntur, nempe quoniam tenues nebulæ quæ visum fugiunt ad montium vertices a ventis feruntur, ibique conjunctæ et condensatæ fiunt aspectabiles.

460. *Fulvæ nubis caligine crassa*] Homerus, Il. ξ. v. 343.

——Τοῖόν τοι ἐγὼ νέφος ἀμφιπαλύψω
Χρύσεον, ὃν ἄν τοῖ διαδράκοι ἠέλιός περ.

Eustathius, πυκνότητα πολλὴν ὁ Ζεὺς ἐπλεῖ νέφους· Χρύσεα δὲ φάσιν οἱ παλαιοὶ νέφη, τὰ ἐν ὑψηλῷ ἀέρι, ἃ πυροειδῆ ὄντα Αἰθὴρ χρυσίζειν ποιεῖ.

Propterea, quia cum consistunt Nubila primum,
Ante videre oculi quam possint tenuia, Venti
Portantes cogunt ad summa cacumina Montis:
Hîc demum fit, uti turba majore coorta,
465 Condensa, ac stipata simul cernantur, et udo
Vertice de Montis videantur surgere in æthram.
" Nam loca declarat sursum ventosa patere
" Res ipsa, et sensus, Monteis cum ascendimus altos.
Præterea, permulta Mari quoque tollere toto
470 Corpora Naturam, declarant littore vestes
Suspensæ, cum concipiunt humoris adhæsum.
Quo magis ad Nubeis augendas multa videntur
Posse quoque e salso consurgere momine ponti.
" Nam ratio cum sanguine abest humoribus omnis.
475 Præterea, fluviis ex omnibus, et simul ipsa
Surgere de terra nebulas, æstumque videmus;
Quæ velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur,
Suffundunt que sua Cœlum caligine, et altas
Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo.
480 Urget enim quoque signiferi super Ætheris æstus,
Et quasi densando subtexit cærula nimbis.

quoniam cum primum nebulæ consistunt, antequam oculi tenues istas videre valeant, venti portant ad summos montium vertices: ibi demum fit, ut, quoniam copiosiores sint, et densatæ et constipatæ, oculo percipiantur; et videantur de humido montis cacumine ascendere in ætherem. Nam loca ventosa sursum patere, (ad loca superiora tendere, ibique regnare ventos) res ipsa et sensus demonstrat, cum montes altos ascendimus. Præterea, naturam multa corpora e toto mari evehere docent vestes in littoræ suspensæ, cum adhærente humore madefiant. Quapropter multa corpora videntur posse consurgere e salso mobilique æquore quibus nubes augeantur; nam ratio omnis cum sanguine abest humoribus. *Præterea, e cunctis fluminibus, ex ipsa quoque terra nebulas et vapores videmus surgere, quæ, velut halitus, e terris expressa sursum feruntur, sua caligine cœlum denigrant, et paulatim coëundo in densum corpus nubes in aëre constituunt. Æstus etiam cœli signis ornati desuper premit, et quasi condensando nebulas cœlum cæruleum subtexit nimbis.*

NOTÆ.

465. *Condensa ac stipata, &c.*] Alii, *Et condensa atque arta apparere, et simul ipso.* Hunc versum cum v. 467. et 468. multi rejiciunt: ferri tamen possunt, seu potius videntur necessarii, præcipue duo posteriores, quibus ventos sursum tendere, atque ideo nebulas ad montium cacumina tollere declaratur.

469. *Præterea, permulta Mari, &c.*] Ne desit materia e qua tantæ nubium moles componantur, e mari vapores et halitus attollit, v. 11. Deinde e fluviis et terra ipsa, non quod terrestres aliquas particulas attolli putat (ut Gassendus) sed quod terra rore aut pluvia madefacta fumare videtur.

473. *Momine ponti*] Melius quam aliorum *nomine.*

474. *Nam ratio, &c.*] Hunc versum nonnulli subjungunt v. 404. Alii v. 522. at quocunque in loco ponas, si sapis subito iterum ejicies.

480. *Urget enim quoque, &c.*] Si æstum cum Gassendo, atque aliis interpreteris *calorem*, habebis causam quæ dissipet nubes, at quæ nunquam condenset, neque te juvabit, quam vocant, Antiperistasis: igitur per æstum ætheris intellige corpora ista quæ e cœlo continuo venientia ictibus suis tenues nebulas in nimbos cogunt. vid. v. 513.

481. *Densando subtexit cærula nimbis*] Densando nebulas superinducit illis colorem cæruleum: *Fayus.* Bipedum stupidissimus.

Fit quoque, ut hunc veniant in cœtum extrinsecus illa
Corpora, quæ faciunt Nubeis, nimbosque volanteis.
Innumerabilem enim numerum, summamque Profundi
485 Esse infinitam docui : quantaque volarent
Corpora mobilitate, ostendi, quamque repente
Immemorabile per spatium transire solerent.
Haud igitur mirum 'st, si parvo tempore sæpe
Tam magnos Monteis tempestas, atque tenebræ
490 Cooperiant Maria, ac Terras, impensa superne :
Undique quandoquidem per caulas ætheris omneis,
Et quasi per magni circum spiracula mundi
Exitus, introitusque elementis redditus extat.
Nunc age, quo pacto Pluvius concrescat in altis
495 Nubibus humor, et in terras demissus ut Imber
Decidat, expediam. Primum jam semina Aquaï
Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis
Omnibus ex rebus, pariterque ita crescere utrasque,
Et Nubeis, et Aquam, quæcunque in Nubibus extat;
500 Ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
Sudor item atque humor quicunque est denique membris.
Concipiunt etiam multum quoque sæpe marinum

Fit quoque ut illa corpora, quæ nubes, et nimbos vagantes constituunt, extrinsecus veniant, et in nostro aëre coalescant; jamjam enim demonstravi semina esse numero infinita, inane etiam nullis terminis circumscriptum, ostendi insuper quanta celeritate feruntur semina, et quam brevi tempore immensum spatium solent transire; minime igitur debemus mirari, si frequenter temporis exiguo spatio tenebrosæ nubes per cœlum diffusæ operiant tam magnos montes, maria, et terras, cum ex omni parte per omnes meatus ætheris, et per omnia circum quasi spiracula (aditus et fauces) magni cœli intrare possunt in nostrum aërem semina, atque iterum exire. Nunc age, docebo quo pacto pluvius humor in altis nubibus concrescat, et in terras demissus decidat ut imber. Primum demonstrabo semina multa aquæ una cum ipsis nubibus attolli ex omnibus rebus, et utrumque simul augeri, nubes viz. et aquam quæ est in nubibus; ut nostrum corpus una cum sanguine, et omnis humor qui est in corpore una cum corpore augetur. Nubes quoque, quando super latum æquor a ventis feruntur, multam aquam marinam

NOTÆ.

482. *Fit quoque, ut hunc, &c.*] Ex infinito spatio, aliisque mundis nubium semina, v. 12. accersit. Alii, in *hoc cœlum*.

494. *Nunc age, quo pacto, &c.*] De pluvia sequitur brevis disputatio, v. 29. Multa viz. aquæ corpuscula una cum seminibus nubium evehuntur, et ut sanguis aliique humores cum nostro corpore (nam nubes concipi potest tanquam corpus, in quo pluvia, quæ componatur cum sanguine, continetur), cum nubibus pariter augentur: his adde istas aquæ particulas, quas nubes tanquam lanæ vellera, quibus similes videntur, e mari et fluminibus hauriunt. Ita aqua plenæ nubes, si vel ventorum impetu, aut proprio suo pondere comprimantur, ex iis guttæ exiliant necesse est, v. 18. Deinde partes nubium diducant venti, excident inclusi imbres; dissolvat autem calor solis, et tum tanquam cera ab igne liquefacta defluent nubes, v. 4. Vehemens imber vehementem nubium compressionem sequitur, v. 2. Diuturna denique pluvia, cum a pluribus nubibus coacervatis continuatur imber, et terra pluviam, quam recepit, in vapores resolutam remittit, v. 5.

500. *Ut pariter nobis corpus*] Lambinus, *Ut pariter nobis sanguis*, et versum sequentem delet; recte forsan: at *corpus cum sanguine*, et *humor cum membris* respondent versui 498. *Pariterque ita crescere utrasque* (alii utrumque) et nubes et aquam.

502. *Concipiunt*] Alii, *consugunt*, aut *conciliant*.

Humorem, veluti pendentia vellera lanæ
Cum supera magnum venti mare nubila portant.
505 Consimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis: quo cum bene semina aquarum
Multa modis multis convenere undique adaucta,
Confertæ nubes vi venti mittere certant
Dupliciter; nam vis venti contrudit, et ipsa
510 Copia nimborum, turba majore coorta,
Urget, et e supero premit, ac facit effluere Imbreis.
Præterea, cum rarescunt quoque Nubila ventis,
Aut dissolvuntur Solis super icta calore;
Mittunt humorem pluvium, stillantque, quasi igni
515 Cera super calido tabescens multa liquescat.
Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque
Nubila vi cumulata premuntur, et impete venti.
At retinere diu pluviæ, longumque morari
Consuerunt, ubi multa fuerunt Semina aquarum;
520 Atque aliis aliæ Nubes, nimbique rigantes
Insuper, atque omni volgo de parte feruntur:
Terraque cum fumans humorem tota rehalat.
Hinc ubi Sol radiis tempestatem inter opacam
Adversa fulsit nimborum aspergine contra;
525 Tum color in nigris existit nubibus Arqui.
Cætera, quæ sursum crescunt, sursumque creantur;

tanquam pendentia lanæ vellera hauriunt; similiter etiam ex omnibus fluviis humor in nubes tollitur; in quas nubes cum multa aquæ semina e mari, terra, undique multis modis surgentia convenirent, tum confertæ gravidæque nubes duas ob causas pluviam dimittunt; ventus enim nubes istas contrudit, et ipsa nimborum copia (nam confertas nubes supponimus) desuper premit, et imbres exprimit e nubibus. Præterea, cum nubes a ventis rarefiunt, aut dissolvuntur ictibus radiorum solis desuper incidentium, tum pluvium humorem dimittunt, et distillant, tanquam cera quæ vehementi igne liquefit. Vehemens autem fit imber, cum nubes coacervatæ tam pondere suo, quam venti impetu comprimuntur. At pluviæ solent morari, diuque homines domi retinere, cum multa sint in nubibus aquæ semina, atque aliæ super alias nubes, et stillantes nimbi; cum ex omni parte cœli circum portantur nubes, et cum tota fumans terra vapores remittit. Inde cum sol inter opacam tempestatem adversis radiis rorantem nubem in pluviam resolutam percusserit, tum in atris nubibus fit Iris. Reliqua quæ in superiore aëris regione fiunt,

NOTÆ.

508. *Confertæ nubes vi venti mittere certant*] Viz. Nubes vi venti condensatæ aquas collectas mittunt: ita interpretes, contenderem vero voces istas *vi venti* e sequenti versu fuisse huc delatas, et Lucretium scripsisse, *imbres tum mittere certant.*

516. *Utroque*] Alii, *utrinque.*

518. *At retinere diu*] Morari, domi homines retinere. *Faber.*

519. *Multa fuerunt*] Nescio quis, *multa flentur*; ista observatio nulla est.

522. *Rehalat*] Humorem e cœlo delapsum iterum atque iterum sursum halat: *Lambinus.*

523. *Hinc ubi sol, &c.*] De Iride pauca, v. 3. neque multis opus, quippe nubem roridam ex adverso sitam illustrant solis radii, atque inde Iris; quoniam vero nihil de coloribus aut forma Iridis Lucretius, quid ipse adjiciam?

525. *Color—Arqui*] Ipse cœlestis arcus, ut alibi *flammæ colores*, Flamma. Sive *Arcus*, sive *Arci*, sive *Arqui* legatur, nihil interest.

526. *Cætera, quæ sursum crescunt, &c.*] V. 8. de nive, vento, grandine, pruina, glacie, nihil speciale Lucretius; qui vero res has contempletur, qui nubes, et imbres consideret, qui denique varias principio-

Et quæ concrescunt in nubibus omnia, prorsum
Omnia, Nix, Venti, Grando, gelidæque Pruinæ,
Et vis magna Geli, magnum duramen aquarum;
530 Et mora, quæ fluvios passim refrænat eunteis:
Perfacile 'st tamen hæc reperire, animoque videre,
Omnia quo pacto fiant, quareve creentur,
Cum bene cognoris, elementis reddita quæ sint.
Nunc age, quæ ratio Terraï motibus extet,
535 Percipe: et in primis Terram fac ut esse rearis
Subter item, ut supera 'st; Ventis, atque undique plenam
Speluncis, multosque lacus, multasque lacuna
In gremio gerere, et rupeis, deruptaque saxa:
Multaque sub tergo Terraï flumina tecta
540 Volvere vi fluctus, submersaque saxa putandum 'st:
Undique enim similem esse sui, res postulat ipsa.
His igitur rebus subjunctis, suppositisque:
Terra superne tremit magnis concussa ruinis
Subter, ubi ingenteis speluncas subruit ætas,
545 Quippe cadunt toti montes, magnoque repente
Concussu, late disserpunt inde tremores;
Et merito, quoniam plaustris concussa tremiscunt

et omnia quæ in nubibus generantur, omnia inquam, nix, ventus, grando, gelida pruina, item rigida glacies, quæ indurat aquas, moratur vagantes fluvios, et amnes passim labentes reprimit; hæc inquam omnia, eorumque causas, et quo modo generantur, facile intelliges, postquam vim virtutemque seminum penitus perspexeris. Nunc age, jam audi quæ sit terræ-motus causa: et imprimis concipe terram ut supra, ita subter esse; ventis ex omni parte refertam, et speluncis excavatam, multos insuper lacus, et multas lacunas in visceribus habere, rupes etiam et dirupta saxa; putandum denique est, occulta multa flumina fluctus magno cum impetu et submersa saxa volvere sub cortice terræ. Nam res ipsa postulat ut terra sit ex omni parte sibi ipsi similis. His igitur datis et concessis, terra superne tremit magni alicujus ponderis casu subter concussa cum longa ætate exesæ speluncæ corruant; quippe toti montes decidunt gravi subitoque casu, atque inde tremor per magnam terræ partem diffunditur: et merito, totæ enim domus juxta

NOTÆ.

rum formas, figuras, motusque in animo habeat, ille reliqua quæ non explicantur meteora commode explicare possit.

530. *Fluvios, refrænat eunteis*] Virgilius—

—*Glacie cursus* frænaret *aquarum*.

531. *Reperire*] Alii, *te per te*, quos pauci sequentur.

534. *Nunc age, quæ ratio, &c.*] Ut terræ-motus recte explicetur, nonnulla (quæ tamen nemo unquam negavit) supponi debent. Supponas igitur, v. 8. terram esse cavernosam, in cavernis autem halitus contineri, et in illas ventos posse irruere; supponas denique multos sub terra lacus, et lata aquarum stagna; multa etiam flumina per interiores telluris meatus volvi: atque his suppositis, primo fit terræ tremor, v. 9. cum spelunca aliqua longa ætate subruta, pars terræ in profundum decidat; quinetiam tremorem ab istiusmodi concussione oriri posse minime dubitandum, cum videamus terram curru vel plaustro prætereunte succuti.

540. *Submersaque saxa*] Vossius ad Catullum, p. 269. legit e codd. *submerso capte*, id est, capite.

547. *Plaustris concussa, &c.*] Seneca, Nat. Quæst. lib. 6. cap. 22. *Si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt*, (fort. per vicos vehiculorum plurium ordine tracta sunt) *et rotæ majore nisu in salebras inciderunt, terram concuti senties: Asclepiodotus tradit, cum petra e latere montis abrupta cecidisset, ædificia vicina tremore collapsa. Idem sub terris fieri potest, ut ex his quæ impendent rupibus aliqua resolutâ magno*

Tecta viam propter non magno pondere tota:
Nec minus exsultant, ubi currus fortis equûm vis
550 Ferratos utrinque rotarum succutit orbeis.
Fit quoque, ubi magnas in aquæ, vastasque lacunas
Gleba vetustate e terra provolvitur ingens,
Ut jactetur aqua, et fluctu quoque terra vacillet:
Ut vas in terra non quit constare, nisi humor
555 Destitit in dubio fluctu jactarier intus.
Præterea, Ventus cum per loca subcava terræ
Conlectus parti ex una procumbit, et urget
Obnixus magnis speluncas viribus altas;
Incumbit tellus, quo Venti prona premit vis:
560 Tum, supera terram quæ sunt exstructa domorum,
Ad cœlumque magis quanto sunt edita quæque,
Inclinata minent in eandem prodita partem;
Protractæque trabes impendent ire paratæ:
Et metuunt magni Naturam credere Mundi
565 Exitiale aliquod tempus, clademque manere,

viam sitæ plaustris non magno pondere onustis prætereuntibus concussæ tremunt, neque minus tremunt cum fortes equi ferratos orbes rotarum currus ex utraque parte succutiunt (cum equi rapido impetu currum juxta trahunt). Fit quoque ut, cum magna pars terræ ætate resoluta decidat in latas vastasque aquæ lacunas, aqua jactetur, terra quoque aquæ fluctu agitata, titubet: ut vas non potest in terra quiescere, sed titubet necesse est, quamdiu liquor in illo contentus huc et illuc agitetur. Præterea, cum ventus in terræ cavernis collectus parte ex una impetum facit, et obnixus magnis viribus altas speluncas premit, tellus inclinat in eam partem in quam ruit ventus. Tum domus supra terram exstructæ, quo magis altæ sunt, eo magis in eandem partem inclinatæ videntur ruituræ, et trabes protractæ impendent casuræ. Et tamen quidam non audent credere magnum mundum aliquando periturum;

NOTÆ.

pondere, et sono in subjacentem cavernam cadat, eo vehementius, quo aut plus ponderis habuit, aut venit altius; et sic commovetur omne tectum cavatæ vallis.

551. *Fit quoque, &c.*] V. 5. alia tremoris terræ causa continetur, nempe si in vastam aquæ paludem decidat gravis terræ portio, aquæ istius fit agitatio, istam vero aquæ jactationem, sequitur telluris, quæ istam aquam tanquam vas continet, titubatio.

553. *Ut jactetur aqua, et fluctu quoque terra vacillet*] Alii, *ut jactetur* aquæ fluctu *quoque terra* vacillans: nullo vero modo terri potest istud Gifanii, Ut jactetur, *aquæ fluctu quoque terra vacillet.*

554. *Ut vas in terra*] Vossius ad Catullum, p. 331. *Ut vas inferii.* Vinum autem *inferium* est Vinum novum (*Vinum inferium, id quod in sacrificando infra pateræ labrum ponebatur, Festus*), quis vero nescit vinum novum non contineri in vasis aut doliis, si non satis deferbuerit? At rem ipsam non satis attendit vir ille doctus, quis enim vidit dolia ab isto novo vino quod non satis deferbuit jactata? et quæ *novi vini* necessitas, cum idem efficeret liquor vilissimus? Recte igitur *in terra* editur.

556. *Præterea, Ventus, &c.*] Tertio, v. 20. tellus vento agitatur, nam ventus in speluncas telluris irruens, facit ut inclinet tellus, sed cum flatus venti non sit continuus, cum aliquando repulsus cedat, se sua gravitate in pristinas sedes, imo in alteram partem nimis prolabitur terra; istam autem terræ fluctuationem sequitur tectorum dissolutio, et ruina.

562. *Minent*] Unde natum imminent, prominent, &c.

563. *Protractæque trabes*] Nam inclinata tellure, trabes e suis sedibus excussæ protrahi videntur.

564. *Et metuunt—credere*] Et homines metuunt usque adeo, ut credant exitium aliquod, clademque mundo imminere, *Lambinus;* et forsan hæc est verior interpretatio.

Cum videant tantam Terrarum incumbere molem.
Quod nisi respirent Venti, non ulla refrænet
Res, neque ab exitio possit reprendere eunteis:
Nunc quia respirant alternis, inque gravescunt,
570 Et quasi conlecti redeunt, ceduntque repulsi;
Sæpius hanc ob rem minitatur Terra ruinas,
Quam facit: inclinatur enim, retroque recellit,
Et recipit prolapsa suas se in pondere sedeis.
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,
575 Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Est hæc ejusdem quoque magni causa tremoris,
Ventus ubi, atque Animæ subito vis maxima quædam,
Aut extrinsecus, aut ipsa a tellure coorta
In loca se cava Terraï conjecit, ibique
580 Speluncas inter magnas fremit ante tumultu,
Versabundaque portatur; post incita cum vis
Exagitata foras erumpitur, et simul artam
Diffindens terram magnum concinnat hiatum:
In Tyria Sidone quod accidit, et fuit Ægis

licet cernant tantam terrarum molem inclinare, ita ut nisi venti cessarent flare, nulla res integram possit conservare, illamque a ruina et dissolutione prohibere. Nunc quoniam venti alternis cessant, et impetum faciunt, quasi redintegratis viribus revertuntur, iterumque cedunt repulsi; hanc ob causam terra sæpius minatur ruinam, quam facit: inclinat enim, iterumque reclinat, et e sede sua mota propria gravitate in pristinam stationem relabitur. Hac igitur ratione omnia tecta agitantur, summa quidem magis quam media, media magis quam infima, infima perpaululum. Hæc quoque est causa magni ejusdem tremoris, quando ventus, et magna vis spiritus vel extrinsecus, vel in ipsa tellure orta in cavernas terræ se contulit, ibique magno fremit cum murmure, et circumrotatur; deinde cum concita hæc venti vis, et maxime agitata foras erumpit, et solidam terram diffindens ingentem hiatum efficit: quod olim in Tyria Sidone accidit, quod fuit Ægis

NOTÆ.

568. *Reprendere eunteis*] *Euntes*, impetum facientes, melius *euntem*; terram viz. perituram: alibi *ire* pro mori, aut perire.

572. *Retroque recellit*] Reclinat; *Festus*.

575. *Ima perhilum*] Paululum modo, fere nihil, imo nihil omnino, quanquam verum non est: *Faber*.

576. *Est hæc ejusdem quoque*] Inclinationem tremoremque terræ pulsus et succussio sæpe comitatur; nam si ventus cavernas perrumpat, diffindatque terram, tum populi, urbes, insulæ, &c. ingenti hiatu absorbentur, si ventus non perrumpat, tum tantum tremor, et veluti horror telluris, a frigido viz. vento per omnes terræ meatus diffuso ortus; etsi autem nihil parumve timendum videatur a tremore simplici, esse nihilominus possit cum aliis speciebus conjunctus, nec certus esse quisquam valeat, non ita increbiturum, virescque accepturum tremorem, ut aut tecta evertantur, aut terra nonnihil dehiscat, v. 24.

577. *Animæ*] *Spiritus*, Interpretor, propter Senecam, Nat. Quæst. lib. 6, cap. 20. *Nullam tamen placet* Epicuro *causam esse majorem, quam Spiritum*.

580. *Inter magnas*] *Magno*: Faber.

584. *In Tyria Sidone, &c.*] Quod de Sidone ait confirmatur a Posidonio, dum apud Strabonem scribit urbem sitam supra Sidonem terræ motu absorptam fuisse, et ipsius Sidonis corruisse propemodum Bessem. Quod autem subjicit de Ægis, respicit cladem Helices et Buræ Ægis Peloponnesiacis vicinarum apud veteres celebrem. Ovid. Metam. lib. 15.

Si quærus Helicen, et Buran, Achaidas urbes
Invenies sub aquis, et adhuc extendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

585 In Peloponneso : Quas exitus hic animaï
Disturbât urbeis, et Terræ motus obortus !
Multaque præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, et multæ per mare pessum
Subsedere suis pariter cum civibus urbes.
590 Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse Animaï
Et fera vis Venti per crebra foramina terræ
Dispertitur, ut Horror; et incutit inde tremorem :
Frigus uti nostros penitus cum venit in artus,
Concutit invitos cogens tremere atque moveri.
595 Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis :
Tecta superne timent, metuunt inferne, cavernas
Terraï ne dissolvat Natura repente ;
Neu distracta suum late dispandat hiatum,
Idque suis confusa velit complere ruinis.
600 Proinde licet, quamvis cœlum terramque reantur
Incorrupta fore æternæ mandata saluti :
Attamen interdum præsens vis ipsa pericli
Subditat hunc stimulum quadam de parte timoris,
Ne pedibus raptim Tellus subtracta feratur
605 In barathrum, rerumque sequatur prodita Summa
Funditus, et fiat Mundi confusa ruina.
Nunc ratio reddunda, augmen cur nesciat Æquor.

in Peloponneso. Quot quantasque urbes hæc spiritus eruptio, et inde ortus terræ motus dejecit, et evertit ! Præter hæc multa oppidorum mœnia magnis in concussionibus corruerunt per terras, per mare etiam multæ civitates una cum suis civibus deorsum subsedere. At vero si non erumpat incitatus hic ventus atque spiritus, tamen per frequentes meatus terræ dispergitur, tanquam horror, atque ita tremorem facit, ut cum frigus membra nostra penetraverit, concutit nos, cogens, licet invitos, tremere et moveri. Homines igitur passim per urbes ancipiti (nam ab utraque parte timent exitium) terrore trepidant, a superiori timent ne tecta cadant, et obruant, ab inferiori timent ne tellus subito dissolveret suas cavernas, ne disjuncta latum hiatum aperiret, illumque tectis hominibusque absorptis complere conaretur. Proinde quamvis existimant cœlum et terram immortalia fore, et in æternum integra mansura, interdum tamen vis ipsa præsens periculi quadam de parte subdit hunc stimulum timoris (facit ut quodammodo timeant) ne terra raptim pedibus substracta in abyssum feratur, ne dissoluta rerum compages sequatur, et confusa fiat totius mundi ruina. Nunc reddenda est ratio cur mare non augetur ;

NOTÆ.

592. *Horror*] Celsus, lib. 3. cap. 3. de febribus : *horrorem voco, ubi totum corpus intremit.*

597. *Terraï—Natura*] Ipsa tellus.

599. *Idque suis*] *Imque* Lambinus, id est, illumque hiatum.

600. *Proinde licet, &c.*] Demum, v. 7. illis insultat, qui putant mundum æternum fore et immortalem, cum terram magnam illius partem, adeo concussam sentiunt, et labefactatam ; imo cum ipsi totius compagis dissolutionem et ruinam timent.

Ibid. *Proinde licet, quamvis*] Proinde quamtumvis licet : *Lambinus.*

607. *Nunc ratio reddunda, &c.*] Quamobrem ex tot, tantorumque fluminum in mare exoneratione mare non exundet, sive non excrescat ? Respondet Lucretius, v. 8. Ista vorago in quam fit fluminum effusio tam vasta est, ut omnis illorum decursus una cum imbribus, nive, grandine, &c. vix unam guttam infundere videatur. Deinde, v. 7. sol e mari alto multum humoris evehit. Tertio, v. 4. multum venti auferunt. Quarto, v. 4. nubes rapiunt. Denique, v. 8. ut fluvii in mare decurrunt, ita per terræ meatus ad fontes suos rela-

Principio, Mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo tantu' fuat decursus aquarum,
610 Omnia quo veniant ex omni Flumina parte:
Adde vagos imbreis, tempestatesque volanteis;
Omnia quæ maria, ac terras sparguntque, rigantque.
Adde suos fonteis: tamen ad Maris omnia summam
Guttaï vix instar erunt unius ad augmen:
615 Quo minus est mirum, Mare non augescere magnum.
Præterea, magnam Sol partem detrahit æstu:
Quippe videmus enim vesteis humore madenteis
Exsiccare suis radiis ardentibus Solem:
At Pelage multa, et late substrata videmus.
620 Proinde licet quamvis ex uno quoque loco Sol
Humoris parvam delibet ab æquore partem:
Largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
Tum porro Venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt verrentes æquora ponti:
625 Una nocte vias quoniam persæpe videmus
Siccari, mollisque luti concrescere crustas.
Præterea, docui multum quoque tollere Nubeis
Humorem magno conceptum ex æquore ponti:
Et passim toto terrarum spargere in orbe,
630 Cum pluit in terris, et venti nubila portant.
Postremo, quoniam raro cum corpore Tellus
Est, et conjunctas oras maris undique cingit:
Debet, ut in mare de terris venit humor aquaï;
In terras itidem manare ex æquore salso;

mirantur enim homines naturam non reddere æquor majus, in quod tantus fit aquarum decursus, et in quod omnes fluvii ex omni parte defluunt. His autem fluviis si vagos imbres, et volantes nimbos quæ maria omnia, et terras irrigant et conspergunt, fontes etiam fluviorum conjungas, cuncta tamen si cum vasto æquore componantur, vix unam guttam ad mare augendum conferre videantur: minus igitur mirandum est mare magnum non augeri. Præterea, sol calore suo magnam aquæ partem detrahit, nam videmus solem radiis suis ardentibus madidas vestes exsiccare, at multa vastaque maria solis radiis exposita jacere videmus; proinde licet sol partem aquæ quantumvis parvam ex unaquaque parte maris detrahat, multum tamen humoris in tanto spatio auferet. Tum porro venti maris æquora verrentes possunt multum humoris tollere: siquidem sæpe videmus vias una nocte exsiccari, et luti mollis, utpote madidi, crustas indurescere. Præterea, demonstravi nubes multum humorem e mari haustum tollere, eoque totum orbem terrarum irrigare, cum in terras imber decidat, et venti portant nubes, (et nebulosum sit cœlum.) Postremo quoniam in corpore telluris pori et meatus sunt, et quoniam ista tellus mari ex omni parte adjuncta est, oportet fieri, ut quemadmodum de terris in mare fluat aqua, ita e mari in terras vicissim manet;

NOTÆ.

buntur; ita fit humoris ejusdem circuitus, ideoque minime mirandum quod æquor non augetur.

609. *Quo tantu' fuat*] Alii, *Quo fit tantus.*

619. *Pelage*] Lib. 5. v. 36.

Propter Atlantæum littus, Pelageque *severa.*

Frustra igitur illi sunt, qui legunt, *Pelagi multa.*

632. *Conjunctas oras maris, &c.*] Lambinus, at omnes codd. *Et conjuncta est oras maris undique cingens.*

635 Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis
Confluit: inde super terras redit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ sit, per fauceis montis ut Ætnæ
640 Exspirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam: neque enim media de clade coorta
Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros
Finitimis ad se convertit gentibus ora,
Fumida cum cœli scintillare omnia templa
645 Cernentes pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum Natura novarum.
Hisce tibi rebus late 'st, alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis dispiciendum,
Ut reminiscaris, Summam rerum esse profundam,
650 Et videas, cœlum Summaï totius unum
Quam sit parvula pars, et quam multesima constet:
Et quota pars Homo Terraï sit totius unus.

humor enim salsus percolatur, et retro remeat, omnis ad fontes fluviorum confluit, inde super terras redit dulci flumine, qua via semel secta detulit undas liquido pede. Nunc cur ignes per fauces montis Ætnæ tanto impetu interdum erumpunt, docebo: neque enim flammæ tempestas media de clade orta per campos Siculorum grassata oculos vicinorum populorum ad se convertit; quando videntes fumantes omnes cœli fornices flammis micare erant valde solicíti, expectantes quid novi natura moliretur. Cum vero de hujusmodi rebus inquiritur, late, longe, alteque in cunctas partes animum tuum vagari debes permittère, ut reminiscaris Universum infinitum esse, et ut videas quam parvula et quam multesima pars Universi unum cœlum sit, et quota pars totius terræ unus homo sit;

NOTÆ.

635. *Virus*] Salsus humor æquoris: vid. lib. 5. v. 270.

639. *Nunc ratio quæ sit, &c.*] Quoniam meteora, terræ motus, et quædam maris phænomena sibi videtur satis explicasse, reliqua admiranda, quæ aliquam de Diis et Providentia opinionem facerent, aggreditur. Et primum, v. 6. De Ætnæ ignibus disputat, quos, licet interdum erumpentes Siciliam vastarent, non adeo debemus admirari, ut Naturæ vires superare inconsiderate putaremus: dicat aliquis ingens hoc esse incendium, et vires illius plane admirandas; nempe quia non vidit majus, sed in aliis rebus præcipites et inconsiderati perinde fallimur. Nihil est quod magnum dici potest, nihil quod debemus admirari, si Universum infinitum contemplemur; nam ex illo subito potest confluere immensa seminum ignis, sive venti copia, quæ semina in Ætna, seu alio quolibet monte collecta vim impetumque sumant, terræ motus efficiant, erumpant demum, longe lateque flammam spargant et favillam. Hujusmodi autem eruptiones sunt veluti morbi, et convulsiones hujus mundi; atque ut morborum semina in hominem (nam sæpe febricitat, dolet dentes, &c.) ex hoc mundo, ita ex Universo in hunc mundum derivari possunt: nam si comparationem instituas, ut homo ad mundum, ita mundus ad Universum.

641. *Media de clade*] Gronovii codex, *media Græcia de coorta:* Salmasius, *media e re clade coorta*, id est, ex media rerum natura, ex summa rerum: sed olim monui Salmasium haud feliciter interpretari Lucretium. Faber tandem, *Dia de clade; Dia tempestas* est διόκριμαστος seu διήλατος, quasi diceret Lucretius: quæramus nunc quid causæ sit, quamobrem olim flammarum tempestas totam Siciliam pervastarit, neque enim putandum est Deos tantam vim incendii in insulam importasse. Egregia quidem conjectura, neque istos moror, qui legunt *mediocri*.

651. *Quam multesima*] Quam parva si cum toto comparetur; *multesima pars* est ea, cui multæ debent esse pares aut similes, ad constituendum Totum; πολλοστὸν μέρος appellant Græci: *Lambinus*.

Quod bene propositum si plane contueare,
Ac videas plane; mirari multa relinquas.
655 Num quis enim nostrûm miratur, siquis in artus
Accepit calido Febrim fervore coortam,
Aut alium quemvis Morbi per membra dolorem?
Obturgescit enim subito Pes, arripit acer
Sæpe dolor Denteis, Oculos invadit in ipsos:
660 Existit sacer Ignis, et urit corpore serpens
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus.
Nimirum, quia sunt multarum Semina rerum:
Et satis hæc Tellus nobis Cœlumque mali fert,
Unde queat vis immensi procrescere morbi.
665 Sic igitur toti cœlo, terræque putandum 'st
Ex infinito satis omnia suppeditare,
Unde repente queat Tellus concussa moveri,
Perque mare, et terras rapidus percurrere Turbo,
Ignis abundare Ætnæus, flammescere Cœlum.
670 Id quoque enim fit, et ardescunt cœlestia templa,
Ut Tempestates pluviæ graviore coortu
Sunt, ubi forte ita se retulerunt Semina aquarum.
At nimis est ingens Incendî turbidus ardor.
Scilicet, et fluvius, qui non est, maximus eii 'st
675 Qui non ante aliquem majorem vidit: et ingens

quod propositum, si accurate perpendas, et penitus consideres, tum multa mirari desines. Nam quis nostrûm miratur si quis in venas recepit febrem fervido calore natam, aut alium quemvis morbum qui dolorem per membra excitaret? Repente enim tumet pes, sæpe acerbus dolor subito dentes corripit, aut ipsos oculos invadit; sacer ignis repente oritur, per corpus serpens, quodcunque membrum arripuit, urit, et omnes tandem pervadit artus. Nimirum, quoniam in hoc mundo latent multa rerum multarum semina, et hæc tellus, et hoc cœlum subministrare possunt sufficientem copiam noxiorum seminum, unde gravis morbus oriri possit. Pariter igitur credendum est, toti cœlo et terræ sufficientem seminum copiam ex infinito Universo subministrari, unde terra repente concussa tremat, unde per mare et terras rapidus turbo percurrat, ignis Ætnæus abundet, et cœlum flammescere videatur: nam ideo in cœlo fit ignea tempestas, quoniam multa ignis semina conveniunt, ut fit gravis pluviæ tempestas cum plurima aquæ semina convenerint. Aliquis vero dicat hunc ignem Ætnæum ingentem nimis esse et immanem: nempe, et flumen, quod non est maximum, videtur maximum illi homini, qui non vidit majus;

NOTÆ.

660. *Sacer Ignis*] Celsus, lib. 5. cap. 28. *Ignis sacer malis ulceribus annumerari debet.*

Huic addas Paulum Æginetam, lib. 4. cap. 20. Quos, si vacet, lege: nam in illis multa de Sacro Igne. Virgilius, Georg. 3. v. 566.

—— *Contactos artus* sacer Ignis *edebat.*

663. *Hæc Tellus nobis*] Alii, *hæc tellus morbi.*

669. *Ignis abundare Ætnæus*] Ripas suas videtur superare dum erumpit igneum flumen.

Ibid. *Flammescere cœlum*] Dum coruscat et fulgurat: *Fayus.* Quasi aliquid de fulgure, et coruscatione, Lucretius, cum de Ætnæ ignibus disputet: sed in istius viri ineptiis refutandis non amplius morabor.

674. *Scilicet, et fluvius, qui non est, &c.*] Codd. *Scilicet et fluvius qui visus, &c.* Unde Salmasius, *Scilicet et fluvius* quis *visus maximus eii:* Fluvius aliquis visus est ei maximus, qui majorem non vidit; istam quam codices exhibent lectionem, sequi possumus, at non rejicienda est illa altera Lambini lectio.

Arbor, Homoque videtur; et omnia de genere omni,
Maxima quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit:
Cum tamen omnia cum Cœlo, Terraque, Marique
Nil sint ad Summam Summaï totius omnem.
680 Nunc tamen, illa modis quibus inritata repente
Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflet,
Expediam. Primum totius subcava montis
Est natura, fere silicum suffulta cavernis:
Omnibus est porro in speluncis Ventus et Aër:
685 Ventus enim fit, ubi est agitando percitus Aër.
Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, qua contingit, Terramque, et ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem;
Tollit se, ac rectis ita faucibus ejicit alte,
690 Funditque ardorem longe, longeque favillam
Differt, et crassa volvit caligine fumum;
Extruditque simul mirando pondere saxa:
Ne dubites, quin hæc Animaï turbida sit vis.
Præterea, magna ex parti Mare montis ad ejus
695 Radices frangit fluctus, æstumque resorbet:
Ex hoc usque mari Speluncæ Montis ad altas
Perveniunt subter fauceis; Hac ire fatendum 'st,
" Et penetrare mari penitus res cogit aperto:

arbor item atque homo videtur ingens, et omnia de omni rerum genere quibus aliquis majora non vidit, illa fingit esse ingentia: cum tamen omnia hæc una cum cœlo, terra, mari, si cum Universo comparentur, minima sunt, imo plane nihil. Nunc tamen, quibus causis illa flamma repente concitata e vastis Ætnæ fornacibus erumpat, docebo: primum natura totius istius montis est cava subter, fere silicum cavernis suffulta; in omnibus autem cavernis est ventus, et aër, nam ventus tum fit, cum moveatur et agitetur aër; hic ventus cum ipse motu suo calorem concepit, et magno impetu circumrotatus calefecit omnia saxa quæ verberat, et terram, atque ex illis saxis et terra expressit ignem calidum flammis velocibus, tum tollit seipsum, ita per directas montis fauces in altum erumpit, flammas, et favillam longe lateque dispergit, tenebrosum crassumque fumum volvit, et saxa mirando pondere ejicit, ut dubitare non possis quin hæc omnia a vehementi vento fiant. Præterea, magna ex parte ad radices illius montis mare fluctus frangit, et æstum resorbet (mare magnam partem radicum istius montis alluit), ab hoc autem mari cavernæ ad altas montis fauces subter perveniunt; fatendum igitur est, imo est prorsus evidens per has cavernas ventos intrare, ad fauces directo ascendere,

NOTÆ.

680. *Nunc tamen, illa modis, &c.*] Si inquiras cur collectæ in Ætna flammæ erumpant tanto impetu, v. 31. declaratur ratio. Breviter, vi venti fit eruptio; venti autem istius semina ex Universo infinito veniunt, et in monte Ætna collecta, flammas vel latentes in visceribus montis, vel ex ipso monte expressas ejiciunt, v. 14. Aut ventus iste irruit per speluncas quæ sunt ad radices montis, et quarum ora, cum mare a littore recedit, (mare enim radices montis alluit) aperta sunt, atque ita efflat ignes; v. 7. Denique in ipsis faucibus montis generantur venti, v. 2. Sic multas ponit causas, ut inter eas una vera, et certa diceretur, v. 9.

693. *Animaï*] Venti; alibi: Horatius, *Impellunt* animæ *lintea Thraciæ.*

698. *Et penetrare mari, &c.*] Alii,

Et penetrare mare, et penitus se cogier arcto.

Fatendum est mare per has speluncas penetrare, et penitus in angustum cogi a seipso coarctato: *Lambinus.* Displicet hæc lectio, neque id injuria; nam non de maris, sed de venti in speluncas ingressu agitur. Faber legendum putat,

Atque efflare foras, ideoque extollere flammas,
700 Saxaque subjectare, et arenæ tollere nimbos.
In summo sunt ventigeni Cratêres, ut ipsi
Nominitant, Nos quas Fauceis perhibemus, et Ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam
Non satis est, verum plureis, unde una tamen sit.
705 Corpus ut exanimum si quod procul ipse jacêre
Conspicias Hominis; fit ut omneis dicere causas
Conveniat lethi, dicatur ut illius una.
Nam neque cum ferro, neque frigore vincere possis
Interiisse, neque a morbo, neque forte veneno;
710 Verum aliquid genere esse ex hoc, quod Concio dicat,
Scimus: Item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in æstati crescit, campisque redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem,
715 Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra

inde efflant foras, flammas attollunt, saxa ejiciunt, et arenæ nimbos extrudunt. In vertice montis sunt crateres ventigeni (qui ventos generant,) Græci viz. crateres vocant, nos Latini fauces et ora. Sunt quoque aliquot res quarum unicam rationem reddere non sufficit, sed plures reddi debent, e quibus tamen unica est vera. Ut si e longinquo spectes cadaver hominis, enumerare oportet omnes causas quibus homo iste perire potuit, ut una vera diceretur; nam probare non possis eum ferro, aut frigore, aut morbo, aut veneno periisse, novimus tamen esse aliquam ex hisce causis quæ certa est, et quam veram esse adstantium turba confirmaret: et eodem modo de multis aliis rebus est agendum. Nilus, unicus ille in tota Ægypto amnis, in æstate crescit, et inundat campos: ille Ægyptum in media æstate irrigat, quoniam viz. in æstate, eo viz.

NOTÆ.

Et penetrare animam *penitus res* cogere *aperto.*

Sensus itaque et ordo verborum sic sese habebunt. *Fatendum est animam* (ventum) *hac ire, et cogere res* (ignes, scintillam, cineres, saxa, &c.) *penetrare aperto*, id est, per apertum, seu per illas fauces. Istam interpretationem vitiosa nuce non emerem. Si placet vox *animam*, leg. *Res cogit aperta*, ut alibi *manifesta docet res.* Ex *mari aperto* vix aliquis sensus potest exprimi, qui vero istas voces retinet, hoc modo interpretetur, *mari aperto*, id est, cum mare recedit a radicibus istius montis, et resorbet fluctus.

700. *Saxaque subjectare*] In altum tollere: vid. lib. 1. v. 8.

701. *Ventigeni Crateres*] Alii, *in summo sunt vertice item Crateres.* Prior lectio placet, quippe duobus hisce versibus declaratur, ventum non tantum per speluncas ad montis radices ingredi, sed etiam in ipsis faucibus generari; neque id mirum, nam nihil certius, quam aërem ex omni parte ad flammam ruere, atque inde ventum generari.

710. *Concio*] Turba hominum adstantium. Alii, *quod contigit eii.*

712. *Nilus in æstati crescit, &c.*] Ab æstivo solstitio ad æquinoctium usque autumnale Nilus ita intumescit, ut per Ægyptum exundans, oblitos limo agros fœcundet, alias steriles futuros, egregium divinæ Providentiæ monumentum. (*Ægypti incolæ aquarum beneficia percipientes aquam colunt, &c.* Julius Firmicus de Err. Prof. Rel.) Huic igitur incremento pro more suo causas tantum naturales assignat Lucretius, v. 26. Et primo quidem, v. 12. Venti Etesiæ ab Septentrione spirantes aquas amnis, qui ab Austro fluit, repellunt, faciuntque, ut impleto alveo exundent: si vero Etesiæ ad obsistendum tanto aquarum ponderi, lenes enim sunt venti, impares dicantur, tum, v. 5. arena, quam mare ab istis ventis agitatum congerit, obstruuntur Nili Ostia; atque inde exundatio. Hisce causis duas alias conjunge, nempe pluvias, quæ ad fontes Nili decidunt, v. 6. et nives, v. 3. resolutas. Nam omnibus hisce causis conspirantibus Nilus, aut quilibet alius fluvius exundet.

715. 716. *Aquilones ostia contra, Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur*]

Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur:
Et contra fluvium flantes remorantur, et undas
Cogentes sursus replent, coguntque manere.
Nam dubio procul hæc adverso flabra feruntur
720 Flumine, quæ gelidis a stellis Axis aguntur:
Ille ex æstifera parti venit amnis ab Austro
Inter nigra virûm, percoctaque sæcla calore,
Exoriens penitus media ab regione diei.
Est quoque, uti possit magnus congestus arenæ
725 Fluctibus adversis oppilare ostia contra,
Cum Mare permotum ventis ruit intus arenam.
Quo fit uti pacto liber minus exitus amni,
Et proclivus item fiat minus impetus undis.
Fit quoque, uti pluviæ forsan magis ad caput ejus
730 Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis:
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Cum convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contrusæ nubes coguntur, vique premuntur.
735 Forsit et Æthiopum penitus de montibus altis
Crescat, ubi in campos albas descendere ningueis
Tabificis subigit radiis Sol omnia lustrans.

anni tempore quo flatus Etesii spirant, venti ab Aquilone in Nili ostia feruntur, et adversi flantes fluvii cursum impediunt, versus fontes undas repellunt, replent alveum, et sistunt: nam proculdubio hi venti qui ab Aquilone spirant, feruntur adverso flumine: ille enim amnis fluit ab æstifera Austro, nigras et solis calore percoctas gentes (Æthiopum regiones) secans, in ultima parte mundi Australi ortus. Fieri etiam potest, ut ingens arenæ cumulus undis delabentibus oppositus possit obstruere ostia istius fluminis, cum mare procella agitatum ad illius alveum arenam congerit: inde enim fit, ut minus liber exitus sit flumini, ut minus declivis sit alveus, ideoque tardior aquarum effluentium impetus. Potest fieri ut ad caput illius amnis copiosiores imbres cadant eo tempore, quo venti Etesii ab Aquilone spirantes nubes omnes in partes australes deferunt; scilicet in partes australes delatæ nubes cum convenerint, ibi tandem ad altos montes contrusæ condensantur, et comprimuntur. Forsan etiam incrementum sumat ab ipsis altis Æthiopum montibus longe remotis; quando sol, qui omnes terræ regiones suis radiis perlustrat, albas nives in campos a montibus radiis suis liquefacientibus cogit defluere.

NOTÆ.

Post biduum exortus Caniculæ Aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos Etesias vocant. Plinius, lib. 2. cap. 47. Et Lucretius, v. 730. *Etesia flabra Aquilonum.* Fayus tamen, *Etesiæ*, sunt venti ab Austro, seu a Meridie flantes; et hoc Nili incrementum contendit fieri a duobus ventis contrariis, quorum alter, nempe Aquilo, retardat aquarum cursus, alter, nempe Etesiæ, impellit illas, quoniam Nilus ab Austro in Septentrionem fluit. En dignum Lucretio interpretem!

719. *Adverso flumine*] Ut, v. 725. *fluctibus adversis:* (neque enim leg. *flamine*) mallem tamen *gelidi.*

726. *Ruit intus arenam*] Sic lib. 1. v. 293.

Quamlibet in partem trudunt res ante,
ruuntque.

Virgilius, *Cumulos arenæ* ruere, et
Spumas salis ære ruebant.

730. *Aquilonum, &c.*] *Aquilonum nubila*, Fayus, vir in errore constans, et qui eadem chorda semper egregie oberrat.

737. *Subigit*] Cogit. Virgilius,
——*Subigitque fateri.*

Lucilius,
Invitum glebas subigas *proscindere aratro.*

Nunc age, Averna tibi quæ sint loca cumque lacusque,
Expediam, quali natura prædita constent.
740 Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re
Impositum 'st, quia sunt Avibus contraria cunctis,
E regione ea quod loca cum advenere volantes,
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitesque cadunt molli cervice profusæ
745 In terram, si forte ita fert natura locorum;
Aut in aquam, si forte lacus substratus Averno 'st.
Qualis apud Cumas locus est montemque Vesevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.
Est et Athenæis in mœnibus, arcis in ipso

Nunc age docebo, quænam est eorum locorum et lacuum, quæ Averna dicimus, natura. Primum, si nomen spectes, Averna, id illis imponitur ab effectu, nam omnibus volucribus sunt noxia. Nam cum aves volantes ad ea loca venerint, iisque ad perpendiculum impenderint, non amplius memores remigii alarum remittunt vela, mollique cervice profusæ præcipites cadunt in terram, si forte Avernus sit terra, vel in aquam, si forsan Avernus sit lacus. Qualis locus est apud Cumas et montem Vesuvium, ubi calidi sulphureique fontes emittunt fumos. Athenis etiam locus est, in ipso arcis

NOTÆ.

738. *Nunc age, Averna, &c.*] Beneficum Deum non agnoscit, iratum negat Lucretius, et ut cœli aërisque phænomena Diis Superis, ita noxia quædam et in terris admiranda Diis manibus eripit. Nam quædam sunt loca, quæ, v. 9. Averna dicimus, quæ avibus supervolantibus, aliisque animalibus, quæ forte illac transierint, sunt perniciosa. Talis est locus apud Cumas, v. 2. in ipsa Athenarum arce, v. 7. in Syria, v. 4. in quibus locis Atri Ditis januam patere credidit vulgus, ibique animas mortuorum ad Inferos et regna subterranea descendere, v. 9. Ut vero vim naturamque Avernorum distinctius explicet, v. 49. monet terram continere multa, ut salubria, ita noxia hominibus, aliisque animantibus semina, multaque congerit exempla, quibus docet multarum rerum effluvia multis rebus insalubria esse et mortifera. His propositis, denique rem ipsam aggreditur; et primum, v. 12. Nempe ex Avernis teter halitus erumpit, quo transvolaturæ aves subito afflatæ repente decidunt; vel, v. 10. hic halitus erumpens ita attenuat et discutit aërem, ut aves volantes in illo sustentari non possint, decidentes autem in inani protinus expirant. Hæc omnia, v. 102.

740. 741. *Quod Averna vocantur, nomen id ab re impositum est*] Virgilius Lucretium imitatus: Æn. 6. v. 237.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris;
Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat;
Inde locum Graii dixerunt nomine Avernum.

743. *Remigii*] Virgilius, aliique, *remigium alarum*; quippe alis tanquam remis aërem secant volucres. Nautæ autem in portum succedentes, nec remis amplius usi vela etiam remittebant; inde remigium alarum, et vela conjungit Poeta.

744. *Molli cervice profusæ*] Volucris languidæ, et morientis imago.

746. *Substratus Averno 'st*] *Avernu' est.*

747. *Qualis apud Cumas locus est, &c.*] De duobus hisce versibus multa interpretes; omnium commenta refutavit Faber, et ipse tandem legit,

Ut *Cumas apud est locus* Euboico sub monte.

Nam Cumas in Campania coloniam esse Euboicam plurimi testantur, et qui a Lucretio *Mons Euboicus* dicitur, is a Virgilio, qui perpetuo Lucretii vestigia pressit, *Euboica rupes* dicitur, Æn. 6. v. 42. et v. 2. *Euboicæ Cumarum oræ*. Gassendus,

Qualis apud Cumas Miseni sub pede montis:

ut lectiones variæ conciliari possint tum inter se, tum cum Virgilio, qui, Æn. 6. v. 234. mentione facta Miseni, Averni descriptionem subjicit.

750 Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,
Quo nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non cum fumant Altaria donis:
Usqueadeo fugitant non iras Palladis acreis
Pervigilî causa, Graiûm ut cecinere poetæ;
755 Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi.
In Syria quoque fertur item locus esse, videri,
Quadrupedes quoque quo simul ac vestigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint Divis mactata repente.
760 Omnia quæ naturali ratione geruntur,
Et quibus e causis fiant, appâret origo:
Janua ne his Orci potius regionibus esse
Credatur pôsta, hinc Animas Acheruntis in oras
Ducere forte deos Maneis inferne reamur;
765 Naribus alipedes ut Cervi sæpe putantur
Ducere de latebris serpentia sæcla ferarum:
Quod procul a vera quam sit ratione repulsum,

vertice, prope templum almæ Palladis Tritonidos, quo raucæ cornices nunquam corpora sua alis appellunt (nunquam advolant) ne quidem cum sacra fiant, pinguibusque sacrificiis fument altaria. Non quod tam caute vitant sævam iram Palladis propter nimiam vigilantiam conceptam, ut Græci Poetæ cecinerunt; sed ipsa loci natura propria sua vi (fugat) hoc efficit. Fertur item locum esse quendam in Syria, quo simul ac pedes suos quadrupedes animantes intulerint, subito vi loci ipsius prostratæ concidunt, quasi Diis manibus essent repente immolatæ: quæ omnia non superant naturæ vires, imo perspicuum est quænam sint effectuum istorum causæ: ne putetur in hisce terræ partibus præcipue positas esse orci fauces, et credamus Deos manes per has inferne attrahere mortuorum animas in regiones Acherontis, ut celeres cervi creduntur naribus suis serpentes e latebris attrahere; quod quam absurdum et ab omni ratione alienum est,

NOTÆ.

750. *Palladis—almæ*] Fæcundæ, *Fayus*: fæcunda Virgo! ut Virgilii,

——Inventa sub Ilicibus Sus,
Triginta capitum fœtus enixa.

Os hominis!

752. *Non, cum fumant altaria donis*] Ita illum locum cornices aversantur, ut etsi in eo sacra fiant, ne tum quidem advolent, quantumvis carnium nidor, illas invitare ad sese videatur.

754. *Pervigili causa*] Vid. Ovid. Metam. lib. 2. v. 557.

Abdita fronde levi densa speculabar ab ulmo
Quid facerent, &c.

Fabula Corones notissima est, sed non illud pervigilium: credibile itaque fit, Lucretium alios secutum esse auctores, quam qui ad nos pervenerunt. *Faber.*

755. *Ipsa sua vi*] Alii, *Ipsa suapte*: et Vossius ad Catullum, p. 113. id est, *sponte.*

756. 757. *In Syria quoque fertur item locus esse, videri, Quadrupedes, &c.*] Ita hunc locum emendat Faber,

In Syria quoque fertur item spelunca *videri,*
Quadrupedum quo sæcla *simul vestigia* prima
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa.

Videri, id est, *esse; ipsa* vero refertur ad *sæcla*, aliter ea esset mutatio generis, quæ ferri non possit: forsan melius legatur,

Locus esse, vigentes
Quadrupedes quoque, &c.

Locus esse, ut v. 547. *Apud Cumas locus est.* Ista autem vox *quoque* non otiosa est, nam iste in Syria locus tam quadrupedibus quam avibus noxius; in tertio vero versu *ipsa* cum *vis* conjungi potest. Vid. Strabonem, lib. 13. de Plutonio.

765. *Naribus alipedes ut Cervi, &c.*] Nihil magis ad ridiculum, neque unquam facetius scomma. Plinius autem, lib. 11. cap. 53. Elephantorum anima serpentes extrahit, cervorum item urit.

Percipe; namque ipsa de re nunc dicere conor.
Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,
770 In Terra cujusque modi rerum esse figuras;
Multa, Homini quæ sunt vitalia; multaque morbos
Incutere, et mortem quæ possint accelerare:
Et magis esse aliis alias Animantibus aptas
Res ad vitaï rationem, ostendimus ante,
775 Propter dissimilem naturam, dissimileisque
Texturas inter sese, primasque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas
Insinuant nareis infesta atque aspera odore;
Nec sunt multa parum tactu vitanda, nec autem
780 Aspectu fugienda, saporeque tristia quæ sint.
Deinde videre licet quam multæ sint Homini res
Acriter infesto sensu, spurcæque, gravesque.
Arboribus primum certis gravis umbra tributa 'st,
Usqueadeo, capitis faciant ut sæpe dolores,
785 Si quis eas subter jacuit prostratus in herbis.
Est etiam in magnis Heliconis montibus arbos
Floris odore hominem tetro consueta necare:
Scilicet hæc ideo Terris ex omnia surgunt
Multa modis multis multarum Semina rerum,
790 Quod permista gerit Tellus, discretaque tradit.
Nocturnumque recens extinctum Lumen, ubi acri

jam intellige, jam enim rem ipsam explicaturus sum. Primum hoc dico, quod etiam sæpe ante dixi; in terra contineri semina rerum omnis generis diversimode figurata, multa quæ homini sunt vitalia, et salubria, multa noxia quæ morbos inferrent, et accelerarent mortem: et ante ostendi alias res esse aliis animalibus magis aptas ad sustentandam vitam, propter dissimilem naturam, dissimiles inter se texturas, et dissimiles principiorum figuras: multa noxia per aures, multa per ipsas nares infesta, et tetra odore ingrediuntur, multa etiam sunt quæ tactum lædunt, multa quæ nocent oculis, et quæ sunt gustui ingrata. Denique licet videre quam multæ res sunt quæ fœdæ videntur homini, et quæ vehementer noxiæ et perniciosæ sunt. Primum quibusdam arboribus tributa umbra est adeo homini infesta, ut sæpe capitis dolores faciant, si quis subter illas in herbis jacuit prostratus. Insuper, in magnis Heliconis montibus arbor crescit, quæ sæpe floris sui tetro odore homines necat; nempe omnes noxiæ hæ arbores e terra surgunt, quia tellus multa semina multarum rerum multis modis permista continet, deinde separat, singulisque rebus convenientia et propria attribuit. Lucerna etiam recens extincta, cum tetro suo

NOTÆ.

782. *Spurcæque*] Fœtidæ: *Nonius*; et in sequenti versu, *infestant sensum*. Lambinus, *infestæ sensu*, id est, *sensui*, at nihil mutandum.

786. *Heliconis montibus in hos*] Quænam illa sit divinabunt alii: quidam existimant esse *taxum*, sed cur nos ad Heliconem mitteret? Taxus enim frequens erat in Italia; dein, verum illud de taxo non est, *floris odore necare*.

791. *Nocturnumque recens extinctum Lumen*] In codicibus mira varietas, tres hos versus ita refingit Faber,

Nocturnumque recens extinctum Lumen, ubi acri
Nidore offendit nares, consopit ibidem,
Nidore, *ut* somnos *qui morbus* mittere *suevit.*

Repetitur vox *nidore*, ut sæpe alias. Iste autem morbus qui somnos suevit mittere, lethargus. Gifanius e Codd.

Disjicere, ut privos *qui morbus sæpe suevit:*

Pro *privos* leg. *pronos*, et tum ea erit lectio quam Faber tam petulanter solicitare non debuit: morbum enim, qui pronos dejicit *morbum comitialem* recte interpreteris.

Nidore offendit nareis consopit ibidem,
Dejicere ut pronos qui morbus sæpe suëvit.
Castoreoque gravi Mulier sopita recumbit,
795 Et manibus nitidum teneris opus effluit eij,
Tempore eo si odorata 'st, quo menstrua solvit.
Multaque præterea languentia membra per artus
Solvunt, atque Animam labefactant sedibus intus.
Denique, si in calidis etiam cunctere lavacris,
800 Plenior et solio in fueris ferventis aquaï:
Quam facile in medio fit uti des sæpe ruinas?
Carbonumque gravis vis, atque odor insinuatur
Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante?
At cum membra hominis percepit fervida febris,
805 Tum fit odor Vini plagæ mactabilis instar.
Nonne vides etiam terra quoque Sulfur in ipsa
Gignier? et tetro concrescere odore Bitumen?
Denique ubi Argenti venas, Aurique sequuntur,
Terraï penitus scrutantes abdita ferro:
810 Qualeis exspirat Scaptesula subter odores?
Quidve mali fit ut exhalent Aurata metalla?
Quas Hominum reddunt facies? qualeisque colores?
Nonne vides, audisve perire in tempore parvo
Quam soleant, et quam vitaï copia desit,
815 Quos opere in tali cohibet vis magna? necesse 'st
Hos igitur tellus omneis exæstuet æstus;
Expiretque foras in aperta, promptaque Cœli.

nidore nares offendit, subito gravem somnum inducit, ut morbus ille qui frequenter homines pronos dejicit. Mulier etiam Castoreo graveolenti sopita recumbit, et e teneris illius manibus nitidum opus cadit, si olfecerit Castoreum, in eo tempore, quo menses istius fluunt. Præter hæc multa alia solvunt languentia membra per artus, et animam in ipsa sua sede labefactant (Deliquium inducunt). Denique si in ferventibus balneis diu moreris, et cibo distentus in vase aquæ calidæ cuncteris, quam facile fit, ut in medio isto vase corruas, et animi deliquium patiaris? Quam facile etiam gravis vis et odor carbonum in cerebrum insinuatur, nisi aquæ potionem ante hausimus. At cum fervida febris corpus hominis occupavit, tum odor vini non minus quam gravis ictus prosternit. Nonne etiam vides sulphur in ipsa terra nasci, et graveolentis bituminis concretiones fieri? Denique cum venas auri et argenti sequuntur, intima terræ viscera ferro scrutantes, quam noxios odores scaptesula (fossilis materia) subter expiret, et quam lethalia sint auri effluvia? quam pallidas, lividas et exangues hominum facies reddunt? Nonne vides et audis quam brevi tempore solent interire? et quam brevis sit eorum vita qui damnantur ad metalla, aurumque effodere coguntur? Necesse est igitur ut tellus omnes istiusmodi halitus exhalet, et in patentem capacemque aërem exspiret.

NOTÆ.

795. *Nitidum—opus*] Tela, et reliqua ad lanificium pertinentia.

800. *Plenior et—fueris, &c.*] De deliquio quod cibo distenti in balneo patiuntur, Juvenalis sæpe, Horatius, alii. *Solium* autem vas in quo lavabant sedentes.

804. *At cum membra hominis*] Gifanius,

Aut nisi membra prius pertexit frigida sermus,
Aut sit odos vini plagæ mactabilis moru?

Quasi hæc omnia essent remedia contra vim gravem et odorem carbonum: quam lectionem iste ferat, qui amat talcs versus.

810. *Scaptesula*] Nomen generale fodinarum metallarium: *fossilis materia*; σκάπτειν, *fodere* est, ὕλη *materia*. Faber.

Sic et Averna loca Alitibus summittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras,
820 Ut spatium cœli quadam de parte venenet;
Quo simul ac primum pennis delata sit Ales,
Impediatur ibi cæco conrepta veneno,
Ut cadat e regione loci, qua dirigit æstus:
Quo cum conruit, hæc eadem vis illius æstus,
825 Relliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
Quippe etenim primo quasi quendam conciet æstum:
Posterius fit, uti cum jam cecidere veneni
In fonteis ipsos, ibi sit quoque Vita vomenda,
Propterea quod magna mali sit copia circum.
830 Fit quoque ut interdum vis hæc, atque æstus Averni,
Aëra, qui inter aveis cunque 'st terramque locatus,
Discutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis:
Cujus ubi e regione loci venêre volantes,
Claudicat extemplo pennarum nisus inanis,
835 Et conamen utrinque alarum proditur omne:
Hîc ubi nictari nequeunt, insistereque alis,
Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura; et vacuum prope jam per inane jacentes
Dispergunt Animas per caulas corporis omneis.
840 Frigidior porro in puteis Æstate fit Humor,

Similiter, loca Averna debent sursum mittere effluvia avibus noxia e terris in aërem surgentia, quæ certam aëris partem quasi veneno repleant; quo simul ac avis suis pennis delata sit, ibi latenti veneno subito afflata sistitur, et in eum locum, e quo noxii halitus erumpunt directo cadit; quo cum deciderit, eadem maligna vis istius halitus vitæ reliquias aufert ex omnibus illius membris. Nam primo halitus iste noxius quendam quasi æstum excitat; deinde quando avis cecidit in illum ipsum locum e quo noxius ille lethiferque halitus surgit, ibi vita ipsa est evomenda, quoniam ibi copiosior est halitus, et vehementius venenum. Fieri etiam potest, ut hic halitus ex Averno erumpens totum aërem qui est inter aves et terram ita attenuet, et discutiat, ut spatium fere vacuum relinquatur; super quem locum cum ad perpendiculum aves volantes venerint, subito vis pennarum deficit (alas frustra movent) et omne conamen alarum ex utraque parte corporis nihil efficit: cum igitur se suis pennis sustentare nequeant, natura facit, ut proprio suo pondere in terram ferantur, et dum in spatio inani jacent, evolat tota anima per omnes meatus porosque corporis dispersa. Porro, in æstate, aqua in puteis est frigidior,

NOTÆ.

823. *Qua dirigit æstus*] Dirigit, *deorsum tendit*, Gifanius; at recte Faber, æstus non dicitur *deorsum tendere*, sed *de terra surgere in auras*: v. 819. Ipse autem legit, *se erigit*; agitur enim de motu ab inferioribus ad superna; vereor ne hoc sit nimis inconsiderate dictum; nam v. 822. *avis cæco correpta veneno cadit*: leg. igitur *qua dirigit æstus*; et tam plana et perspicua sunt ista verba, ut pluribus illustrari nequeant.

826. *Conciet æstum*] Strabo, lib. 13. de Plutonio, ἰωρῶμεν δὲ ἐκ τῆς ὄψεως ὡς ἂν πνιγώδους τινὸς πάθους ἴμφασιν. Qualis autem sit iste æstus conjicias e v. 1017. lib. 4.

Vix ad se redeunt permoti corporis æstu.

836. *Nictari*] Sic legeret Festus; sed haud dubie legendum *nixari*, ut alibi passim, quod et optime vidit Lambinus: *Faber*.

840. *Frigidior porro in puteis, &c.*] Multa videntur adeo humanis usibus accommodata, ut benignam quandam providentiam demonstrent. ita tempore æstivo aqua in puteis frigida est, unde istius tempestatis calor temperetur; hyberno autem calida, qua refici pariter et recreari possimus. Istam vero difficultatem, v. 8. amolitur Lucretius; nam in æstate terra super-

Rarescit quia Terra calore, et semina siqua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras.
Quo magis est igitur Tellus affecta calore;
Hoc fit frigidior, qui in terra 'st abditus, Humor.
845 Frigore cum premitur porro omnis terra, coitque,
Et quasi concrescit; fit scilicet, ut coëundo
Exprimat in puteos, siquem gerit ipsa, Calorem.
Est apud Ammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur:
850 Hunc homines fontem nimis admirantur, et acri
Sole putant subter terras ferviscere raptim,
Nox ubi terribili terras caligine texit;
Quod nimis a vera 'st longe ratione remotum:
Quippe ubi Sol nudum contrectans corpus aquaï,
855 Non quierit calidum supera de reddere parte,
Cum superum lumen tanto fervore fruatur:
Quî queat hic subter tam crasso corpore terram,
Percoquere humorem, et calido sociare vapori?
Præsertim cum vix possit per septa domorum

quoniam terra rarefacta est calore, et siqua continet caloris semina, subito illa in aërem emittit; ideoque, quo magis terra calore afficitur, eo magis frigida est, quæ in puteis continetur, aqua: cum terra a frigore comprimitur, cum coëunt illius meatus, cum solida densaque fit illius superficies, tum fit, ut dum contrahitur moles, exprimat in puteos quæcunque continet caloris semina. Dicitur, fontem esse apud Jovis Ammonis templum qui diurno tempore frigidus est, tempore nocturno calidus: homines nimis admirantur hunc fontem, et putant eum subito calefieri a vehemente sole subter terras posito, cum horrenda caligine nox terras texit; quæ opinio est nimis absurda. Quippe cum sol mittens suos radios desuper e cœlo in nudam suoque calori expositam superficiem aquæ, illam calefacere non valeat, etsi tantus sit ille solis desuper fulgentis calor; quomodo potest idem sol subter terram tam crassam positus aquam percoquere, et calefacere, præcipue, cum domorum parietes penetrare,

NOTÆ.

ficie a solis rarefacta, semina ignis quæ in terra continentur in aërem erumpunt, hyberno autem frigore constricta, in puteos exprimuntur, atque inde tepor aquæ.

843. *Affecta calore*] Viz. Solis radiis calefacta; *Lambinus:* addit Fayus, Ideo aqua in puteis hyeme fit calida, quia terra affecta calore calefacit eam subter; qua explicatione nihil unquam stupidius.

848. *Est apud Ammonis, &c.*] Quod si in omnibus puteis non sit divina virtus, at præsens est in fonte apud Jovis Ammonis fanum, de quo Curtius, l. 4. sect. 7. *Ammonis nemus in medio habet fontem, aquam solis vocant; sub ortum solis tepida manat, medio die cum vehementissimus est calor, frigida eadem fluit, inclinato in vesperam, calescit; media nocte fervida exæstuat, quoque proprius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto tempore languescat.* At hoc quoque frustra dictum; quamvis enim isti errant, qui causam referunt ad solem subter terras positum, et per totius telluris crassæ corpus calefacientem istas aquas, v. 11. Dici tamen potest, v. 13. Quod terra frigore nocturno compressa veluti elidat, sive exprimat, transmittatque in aquam ignis semina, unde et aqua incalescat; calore vero diurno laxata eadem semina veluti resorbeat, unde multum ex nocturno calore decrescit. Præterea, ista aqua, quæ ex ignis seminibus propter aërem tempore nocturno frigidum repressis, efficitur calida, evadat deinceps frigida diurno tempore, radiis solis ita aquam pervadentibus, et rarefacientibus, ut liberum iis seminibus exitum in aërem faciant: quippe radii solis ita glaciem dissolvunt, ut dimittantur leves stipulæ, et ejusmodi alia quæ constricta tenebantur, v. 5.

858. *Calido sociare vapori*] Alii, *calido satiare vapore.*

860 Insinuare suum radiis ardentibus æstum?
Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod
Rara tenet circum hunc Fontem, quam cætera tellus;
Multaque sunt ignis prope semina corpus aquaï.
Hinc ubi roriferis terram nox obruit umbris;
865 Extemplo subtus frigescit terra, coitque:
Hac ratione fit, ut, tanquam compressa manu sit,
Exprimat in Fontem, quæ Semina cumque habet ignis,
Quæ calidum faciunt laticis tactum atque saporem.
Inde ubi Sol radiis terram dimovit obortis,
870 Et rarefecit calido miscente vapore;
Rursus in antiquas redeunt primordia sedeis
Ignis, et in terram cedit calor omnis aquaï:
Frigidus hanc ob rem fit Fons in luce diurna.
Præterea, Solis radiis jactatur aquaï
875 Humor, et in luci tremulo rarescit ab æstu:
Propterea fit uti quæ semina cunque habet ignis,
Dimittat; quasi sæpe gelum, quod continet in se,
Mittit, et exoluit glaciem, nodosque relaxat.
Frigidus est etiam Fons, supra quem sita sæpe,
880 Stupa jacit flammas concepto protinus igni;
Tedaque consimili ratione accensa per undas
Conlucet, quocunque natans impellitur auris:

et fervidis suis radiis calorem inferre vix valeat? Quænam ergo causa est? Nimirum, quia terra rarior quam reliqua tellus hunc fontem circum amplectitur, et sunt multa ignis semina juxta ipsam aquam: hinc, cum nox obruit terram umbris roriferis, subito terra subtus frigescit, et contrahitur; inde fit ut terra ista, tanquam manu compressa esset, exprimat in fontem omnia, quæ continet, ignis semina; quæ semina istam aquam calidam reddunt; deinde quando sol radiis suis terræ meatus aperuit, et calore suo terram penetrante rarefecit, tum semina ignis in pristinas sedes redeunt, et totus aquæ calor in terram recedit: et hanc ob causam diurno tempore fons frigidus evadit. Præterea, aqua radiis solis discutitur, et diurno tempore a tremulo calore rarefit; inde fit, ut dimittat omnia, quæcunque continet, ignis semina; ut sæpe aqua frigore concreta dimittit ea quæ continebat, rigorem suum, et vincula quibus retinebantur solvens. Est etiam fons frigidus, supra quem stupa posita sæpe flammas emittit, igne subito concepto; similiter teda accensa per undam lucet, quocunque aquæ innatans a leni vento impellente fertur:

NOTÆ.

869. *Terram dimovit*] Melius *umbram dimovit*; ita enim sæpe Poëtæ. Virgilius, Æn. 4. v. 6.

Humantemque Aurora polo dimoverat umbram.

Supra, v. 864. *Terram nox obruit umbris*: In v. 870. *et rarefecit*, subintell. *terram*.

878. *Nodosque relaxat*] Gifanius alibi animum habebat, cum hoc loco *nervosque* legebat. *Faber*. Horatius, lib. 1. Epist. 3.

Hebrusque nivali compede *vinctus*.

879. *Frigidus est etiam Fons, &c.*] Postquam ostendit in Jovis Ammonis fonte nihil admirabile esse aut divinum; jam, v. 87. Jovis Dodonæi fontem, Jovi ubique infestus, attingit. In Dodone autem fons, cum sit gelidus, et immersas faces extinguat, si extinctæ admoveantur, accendit. Plinius, lib. 2. cap. 103. Nimirum quoniam sunt in ipsa aqua, vel terra isti aquæ subjecta multa ignis semina, quæ ex aqua erumpentia corpori inflammabili, viz. stuppæ aut tedæ recenter extinctæ, adhærent, et accendunt: neque magis incredibile semina ignis per fontem erumpere, quam aquæ dulcis scaturiginem per medium maris oriri; et sæpissime videmus tedas recenter extinctas accendi, antequam ipsum ignem, ad quem admoventur, attigerint.

Nimirum quia sunt in Aqua permulta vaporis
Semina, de Terraque necesse 'st funditus ipsa
885 Ignis corpora per totum consurgere Fontem,
Et simul exspirare foras, exireque in auras,
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri Fons.
Præterea, dispersa foras erumpere cogit
Vis per Aquam subito, sursumque ea conciliari:
890 Quod genus endo mari spirat Fons, dulcis aquaï
Qui scatit, et salsas circum se dimovet undas:
Et multis aliis præbet regionibus æquor
Utilitatem opportunam sitientibu' Nautis,
Quod dulceis inter salsas intervomit undas.
895 Sic igitur per eum possunt erumpere Fontem,
Et scatere illa foras in stupam Semina: quo cum
Conveniunt, aut cum tedaï corpori adhærent,
Ardescunt facile extemplo; quia multa quoque in se
Semina habent ignis stupæ tedæque tenentes.
900 Nonne vides etiam, nocturna ad lumina Lychnum
Nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante
Quam tetigit flammam? tedamque pari ratione?
Multaque præterea, prius ipso tacta vapore
Eminus ardescunt, quam cominus imbuat ignis:
905 Hoc igitur fieri quoque in illo Fonte putandum 'st.
Quod superest, agere incipiam quo fœdere fiat

nimirum quoniam sunt in aqua multa caloris semina, et quoniam necesse est ex ipsis terræ visceribus multa ignis semina per totum fontem ascendere, foras expirare, et in aërem exire, quæ tamen semina non adeo vigent, ut ab illis fons calidus fiat. Præterea, vis quædam cogit ista ignis semina per aquam dispersa surgere, et juxta istius aquæ superficiem convenire, et constipari: ut in medio maris fons aquæ dulcis aliquando erumpit, omnesque circumstantes salsas aquas dimovet; (et quidem fatendum est mare multis aliis in partibus opportunum beneficium nautis sitientibus præbere, cum in medio salsarum aquarum dulces aliquando emittit). Similiter ista ignis semina possunt erumpere per istum fontem, et foras exire in stupam; quo cum conveniunt, aut adhærent tedæ corpori, tum subito in flammas erumpunt, quoniam stupa ista aut tedæ multa semina ignis in se continent. Nonne etiam vides cum candelam recenter extinctam ad aliam accensam admoveas, illam extinctam iterum accendi antequam flammam tetigit? Nonne etiam idem fieri in teda vides? Et præter hæc sunt multa quæ a calore eminus tacta accenduntur; priusquam, ab ipso igne cominus tanguntur: idem igitur in hoc fonte fieri putandum est. Quod superest, incipiam docere qua lege naturæ fiat,

NOTÆ.

890. *Endo mari*] Ita omnes ediderunt, quasi sanus foret iste versus, neque medico egeret: at si *endo mari* legatur, quo referendæ sunt istæ voces, v. 892. *Multis* aliis *regionibus?* Nam et *multæ istæ* aliæ *regiones* sunt *endo mari*. Legatur igitur *Arudius Fons*, de quo Strabo in libro Geog. 16. Ita enim scripsit Lucretius, et voces istæ *in Mari*, sive *endo Mari*, ad marginem codicis adnotatæ tandem in verum ipsum irrepserunt.

899. *Habent—tedæque tenentes*] Vis. tedæ continent, ut lib. 1. Amplexi quod habent, id est, amplectuntur.

906. *Quod superest, agere incipiam, &c.*] V. 182. præclara disputatio instituitur de *magnete;* hujus autem idem est, quod et reliquarum disputationum consilium, quod nemo olim observavit. Nam hic lapis Herculi attribuitur et vim suam illius Numini acceptam referre creditur. Jam fontes suos amisit Jupiter, et quid filio parcat Lucretius, qui patri non pepercit? Ut virtutem attractricem magnetis rectius explicet Lu-

Naturæ, Lapis hic ut ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.
910 Hunc homines Lapidem mirantur, quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se:
Quinque etenim licet interdum, plureisque videre
Ordine demissos levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet subter adhærens;
915 Ex alioque alius Lapidis vim, vinclaque noscit:
Usqueadeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum 'st multa prius, quam
Ipsius reii rationem reddere possis:
Et nimium longis ambagibus est adeundum;
920 Quo magis attentas aureis, animumque reposco.
Principio, omnibus a rebus, quascunque videmus,
Perpetuo fluere, ac mitti, spargique necesse 'st
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant:

ut lapis ille, quem Græci patrio de nomine vocant Magneta, quia natus et inventus est in regionibus Magnetum, ferrum attrahere possit. Homines admirantur hunc lapidem, quoniam sæpe ex annulis ferreis nullo quidem vinculo connexis, sed ex seipso tantum pendentibus catenam efficit; interdum enim videre licet plures annulos ex illo pendentes levibus ventis agitari, cum unus annulus ex uno, cui subter adhæret, pendet; aliusque ex alio vim lapidis attractricem sentit, tam longe lateque diffunditur penetratque subtilis illius et potens virtus. Cum vero de hujusmodi rebus inquiramus, multa ponenda sunt, et probanda, antequam rei ipsius rationem possis reddere; per longas ambages procedendum est, et hanc præsertim ob causam aures attentas et animum attentum posco. Principio, necesse est perpetuo fluere, spargi, ac mitti ex omnibus rebus, quascunque videmus, quædam corpora, quæ in oculos incurrunt, et lacessunt visum;

NOTÆ.

cretius, quatuor capita præmittit, quæ tametsi alias comprobata fuerint, hic tamen inculcata vult ob insignem difficultatem; Unum caput est, effluere continuo corpuscula quædam ex omnibus rebus, v. 15. Alterum, nullum esse corpus adeo solidum, quod non inania spatiola intercepta contineat, v. 23. Tertium, emissa corpuscula non omnibus rebus eadem ratione congruere, v. 20. Quartum, inania spatiola non uniusmodi circumscriptionis in rebus omnibus esse, quare nec eadem quibuslibet corpusculis accommodari, v. 17. His ita præmissis dicere aggreditur causam seu modum quo magnes ferrum attrahit, ferrumve ad magnetem fertur. Is autem in eo consistit, ut effluant ex magnete corpuscula, ex quo fiat, ut aër circa magnetem discutiatur, atque idcirco multa inania spatiola creentur; et quia, cum ferrum collocatur intra discussi aëris sphæram, multum inanis inter ipsum et magnetem est interceptum, tunc evenit, ut in eam partem corpuscula ferri liberius prosiliant, (nam omnium corporum semina in vacuum spatium subito prorumpunt) ac versus magnetem proinde ferantur, non possunt vero eo contendere, quin pelliciant simul cohærentia, (ferri autem semina sunt maxime implicita) atque idcirco totam ferri massam, v. 19. Interea vero, quia ferrum tendit indiscriminatim sursum, deorsum, transversum, et in quamcunque obliquitatem, prout ad magnetem appositum fuerit, docet non posse id fieri, nisi ratione inducti vacui, in quod corpora, alioquin deorsum solum prolabentia, indiscriminatim ab ictibus aliorum corporum protrudantur, v. 5.

908. *Quem Magneta vocant, &c.*] Vid. Bocharti Geog. Sa. par. Post. lib. 1. cap. 38.

913. *Auris*] Alii, *hamis:* isti vero frustra, neque enim ista voce hoc in loco uteretur Lucretius, qua ante versum 1087. uti non debuit: neque hamis jactantur annuli, at levibus auris agitari quis nescit, qui vidit annulos suspensos?

921. *Principio, omnibus, &c.*] Vid. lib. 4. v. 217.

Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores,
925 Frigus ut a fluviis, Calor a sole, Æstus ab undis
Æquoris exesor mœrorum littora propter;
Nec varii cessant sonitus manare per Aures:
Denique in Os salsi venit humor sæpe saporis,
Cum mare versamur propter; dilutaque contra
930 Cum tuimur misceri Absinthia tangit Amaror.
Usqueadeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur undique parteis:
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi,
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
935 Cernere, Odorari licet, et sentire Sonorem.
Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res,
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret:
Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
Noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,
940 Qua de disserere aggredior, firmare necesse 'st,
Nil esse in promptu, nisi mistum Corpus Inani.
Principio fit, ut in speluncis saxa superna
Sudent humore, et guttis manantibu' stillent:
Manat item nobis e toto corpore Sudor,
945 Crescit barba, pilique per omnia membra, per artus:
Diditus in venas cibus omneis, auget, alitque
Corporis extremas quoque parteis, unguiculosque.
Frigus item transire per æs, calidumque vaporem
Sentimus: sentimus item transire per aurum,
950 Atque per argentum, cum pocula plena tenemus.
Denique per dissepta domorum saxea voces
Pervolitant, permanat Odos, Frigusque, Vaposque
Ignis: quin Ferri quoque vim penetrare suëvit,

a quibusdam rebus odores perpetuo fluunt, ut frigus a fluviis, calor a sole, æstus (salsus vapor) a mari, qui exedit mœnia juxta oras maritimas posita: varii etiam soni perpetuo volitant per aures, denique, cum juxta mare ambulemus, salsus sapor in ora nostra sæpe venit, et cum videamus tetra absynthia conteri et misceri, sapor amarus linguam afficit. Ita res aliquæ ab omnibus rebus perpetuo fluunt, et in omnes undique partes dimittuntur; nec ullo temporis momento cessant a fluendo, quippe perpetuo sentimus, et semper possumus videre rem quamlibet, odores etiam et sonos sentire. Nunc, quod olim in primo libro docui, repetam quam raro corpore res sint, nam quamvis illud recte percipere sit utile ad explicanda multa naturæ phænomena, tamen ad hanc rem de qua jam disputo, declarandam imprimis necessarium est probare, nihil in rerum natura esse nisi corpus inani mixtum. Primum, in cavernis saxa superna sudant humore, et guttulis fluentibus distillant; e toto etiam nostro corpore sudor manat, barba crescit, et pili per omnia nostra membra et artus; alimentum omne in venas distribuitur, alit, atque auget extremas partes corporis, imo ungues: sentimus etiam frigus, et calorem transire per æs, per aurum, atque argentum, cum ærea, aut argentea pocula liquore calido vel frigido plena manibus tenemus. Denique voces penetrant saxea dissepta (parietes) domorum, odor permanat, frigusque, calorque ignis; quinetiam vis morbi quæ extrinsecus insinuatur transire solet per ipsum ferrum,

NOTA.

946. *Diditus*] Sive *diditur* legas, perinde est.

Undique qua circum corpus lorica coërcet;
955 Morbida vis quæcunque extrinsecus insinuatur.
Et tempestates terra cœloque coortæ
E cœlo emotæ terraque repente facessunt,
Quandoquidem nihil est, non raro corpore nexum.
Huc accedit, uti non omnia, quæ jaciuntur
960 Corpora cunque ab rebus, eodem prædita sensu,
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
Principio, Terram, Sol excoquit, et facit are:
At glaciem dissolvit, et altis montibus alte
Exstructas ningueis radiis tabescere cogit;
965 Denique cera liquescit in ejus pôsta vapore,
Ignis item liquidum facit æs, aurumque resolvit:
At coria, et carnem trahit, et conducit in unum.
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni,

qua lorica circum coërcet corpus. Denique tempestates in cœlo vel terra ortæ subito e cœlo aut terra erumpentes penetrant omnia et permanant, quoniam in rerum natura nullum est corpus, quod non est rarum, seu quod poros et meatus non habet. His adde, quod omnia corpora quæ e rebus emittuntur non sunt ejusdem conditionis et figuræ; neque pariter rebus omnibus conveniunt, aut eodem modo in res omnes agunt: primum sol urit, et arefacit terram, at dissolvit glaciem, et nives altis montibus alte extructas radiis suis cogit tabescere; denique cera ab illius calore liquefit; ignis item liquefacit æs, et resolvit aurum, at contrahit coria et carnem, et in unum conducit: deinde aqua indurat ferrum, quod ab igne cœpit mollescere,

NOTÆ.

954. *Undique qua circum corpus, &c.*] Ita aliquando Lambinus, viz. penetrare suëvit vis morbida ferrum ea parte, qua parte lorica corpus undique circum coërcet; id est, morbus etiam loricatum tentat, et corripit: neque lorica, quæ totum hominis corpus tegit et circumdat, arcere vim et causam morbi externam potest, quo minus in corpus penetret: in iterata editione legit, *qua circum corii lorica*, id est, qua parte circulum at ambitum corii, quod loricæ supponitur, et subjicitur, coërcet. Gifanius, *coli circum*: coli autem circus sive circulus, est pectus, venter, et latera; vel potius *colobi circum*, nam *colobium* ambiebat pectus, cui *colobio* inducebatur insuper lorica. Salmasius, Epist. 52. ita constituit:

Permanat odos, frigusque, vaposque
Ignis, qui *ferri quoque vim penetrare suëvit*,
Denique, qua circum cœli *lorica coërcet*
Morbida vis quacunque extrinsecus insinuatur.

Postremo inquit, quacunque, qua circum cœli lorica coërcet, id est, sub cœli tegmine, vel, ut alibi, qua nos cœli ambit amictus, morbida vis corporibus insinuatur. Faber tandem,

Quin ferri quoque vim penetrare suëvit
Undique quam *circum* corii *lorica coërcet*,
Morbida vis quæcunque extrinsecus insinuatur.
Nam tempestatem *cœlo, terrave* coortam
Vel ferri natura timet, circumque fatiscit.

Sensus erit, vi tempestatis ferrum ipsum discuti et diffringi, non itaque debere tantopere mirum videri si per poros et meatus loricæ corio munitæ morbida vis, sive pestilens et noxius aër quandoque insinuetur. Nihil placet, at quid addam vix habeo; quid enim de *loricato* Lucretius, quis enim unquam crediderit vim morbidam militis loricati loricam penetrare? quid insuper de cœli ambitu? nugæ, imo nihil. Igitur pro morbida vis in v. 955. legatur *fervida vis*, et tum plana erunt omnia et perspicua, sæpe enim loricati milites, dum urbem expugnant, pice, sulphure, seu aqua fervente aspersi vim fervidam loricas suas penetrantem senserunt. Hæc optime conveniunt præcedentibus, et sequentes versus mihi videor recte explicare.

957. *Facessunt*] Discedunt, Lambinus; mallem, penetrant, et pervadunt omnia.

965. *In ejus*] Alii, *in ignis*.

At coria, et carnem mollit durata calore:
970 Barbigeras oleaster eo juvat usque Capellas,
Diffluat ambrosia quasi vero, et nectare tinctus:
At nihil est, Homini fronde hac quod amarius extet.
Denique Amaracinum fugitat Sus, et timet omne
Unguentum; nam, setigeris subus acre venenum 'st,
975 Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra Nobis Cœnum teterrima cum sit
Spurcities, eadem Subus hæc res munda videtur,
Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.
Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re
980 Aggredior, quod dicendum prius esse videtur.
Multa foramina cum variis sint reddita rebus,
Dissimili inter se natura prædita debent
Esse, et habere suam naturam quæque, viasque,
Quippe etenim varii sensus Animantibus insunt,
985 Quorum quisque suam proprie rem percipit in se:
Nam penetrare alia sonitus, aliaque saporem
Cernimus e succis, alia Nidoris odores,
Propter dissimilem naturam, textaque rerum.
Præterea manare aliud per Saxa videtur:
990 Atque aliud per Ligna: aliud transire per Aurum:
Argentoque foras aliud, Vitroque meare.
Nam fluere hac Species, illa Calor ire videtur;
Atque aliis aliud citius transmittere eâdem:
Scilicet id fieri cogit Natura viarum,
995 Multimodis varians, ut paullo ostendimus ante.
Quapropter bene ubi hæc confirmata atque locata

at coria et carnem ab igne condurata emollit; oleaster capris barbatis adeo gratus est, ut nectaris et ambrosiæ succos continere videatur, homini vero nihil est frondibus istius arboris amarius; denique sus fugit amaracinum, et timet omne unguentum, illud enim est subus vehementer ingratum, quod nos homines interdum juvat, et recreat: at e contra, cum cœnum sit nobis ingratissima spurcities, subus tamen adeo jucunda est, ut in illa insatiabiliter toti volvantur. Sed priusquam de ipsa re disputo, hoc videtur declarandum; nempe cum multi sint in diversis rebus meatus, isti meatus debent esse inter se dissimiles, et singuli debent habere propriam figuram, propriamque circumscriptionem. Nam in animalibus sunt varii sensus, et unusquisque istorum sensuum proprium suum objectum proprio modo receptum in se percipit; cernimus enim sonos per alios meatus transire, sapores per alios, et per alios odores. Præterea, aliud videtur transire per saxa, aliud per ligna, aliud per aurum, et argentum, per vitrum aliud: nam per vitrum species et imagines rerum, per aurum, &c. calor transit; aliud quoque citius et facilius alio per eandem rem et eosdem meatus videtur transire, illud enim facit meatuum natura, quæ varia et diversa est, ut paulo ante docui, propter dissimilem naturam, et diversam texturam rerum in quibus ista foramina et meatus sunt. Quapropter cum hæc omnia modo

NOTÆ.

977. *Res munda*] Alii, *hæc jucunda*, viz. spurcities, quæ lectio, quicquid sentit Lambinus, ferri potest.

986. *Nam penetrare alia sonitus, &c.*] Sine omni judicio Gifanius in utraque editione scripsit *alio, alioque*, cum agatur de meando, penetrando, subeundo; unde mox legas *per saxa, per lignum, per aurum*, et *meare vitro*, id est, per vitrum: *Faber.*

Omnia constiterint nobis præpôsta, parata:
Quod superest, facile hinc ratio reddetur, et omnis
Causa patefiet, quæ Ferri pelliciat vim.
1000 Principio, fluere e Lapide hoc permulta necesse 'st
Semina, sive Æstum, qui discutit Aëra plagis;
Inter qui Lapidem, Ferrumque 'st cunque locatus,
Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacefit
In medio locus: extemplo primordia Ferri
1005 In vacuum prolapsa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipse sequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis primoribus ex elementis
Indupedita suis arcte connexa cohæret,
Quam validi Ferri naturæ frigidus horror.
1010 Quo minus est mirum, quod paullo diximus ante,
Corpora si nequeunt de Ferro plura coorta
In vacuum ferri, quin Annulus ipse sequatur:
Quod facit, et sequitur donec pervênit ad ipsum
Jam Lapidem, cæcisque in eo compagibus hæsit.
1015 Hoc fit item cunctas in parteis, unde vacefit
Cunque locus, sive ex transverso, sive superne;
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur:
Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipsa
Sponte sua sursum possunt consurgere in auras.
1020 Huc accedit item, quare queat id magis esse:

proposita bene probata, et confirmata sint, deinde facile ratio reddetur, et manifesta fiet causa quæ ferrum attrahit. Primum necesse est multa semina, sive halitum quendam fluere ex hoc lapide, qui halitus impetu suo discutiat et dimoveat omnem aërem, qui inter lapidem ferrumque est collocatus. Cum vero hoc spatium inanitur, et inter ferrum lapidemque locus fit vacuus, tum subito ferri semina quædam, non quidem a reliquo ferri corpore soluta in vacuum prorumpunt, atque inde fit ut totum annuli corpus sequatur: neque enim ulla res constat ex seminibus quæ arctius conjunguntur aut magis implicantur, quam frigidum rigidumque ferrum: ideoque minus est mirum, quod modo dixi, si plura semina ferri non possint in vacuum prorumpere, quin totus annulus sequatur; quod quidem facit, et sequitur prorumpentia semina, donec ad ipsum lapidem pervenit, illique latentibus quibusdam vinculis conjunctus adhæret. Hoc autem fit in cunctas partes, undecunque locus fit vacuus, sive a latere, sive superne, corpora spatio inanito vicina in illud subito prorumpunt; quippe corporum aliorum ictibus agitantur, neque sponte sua possunt sursum in auras consurgere. His conjunge alias causas quæ hanc rem

NOTÆ.

1000. *Principio, fluere e lapide hoc, &c.*] Duobus modis vim magneticam exposuit Epicurus, mirum vero alterum prætermisisse Lucretium, nisi forte ille excidit e textu, ac potissimum cum versus sequatur, quibus non male cohæret; cumque ea, quæ Lucretius magno apparatu præmittit, videantur esse illi, quam superstiti accommodatiora: si plura requiras, vid. Gassendi tom. 2. p. 125. ubi multa invenies quæ Epicuri doctrinam illustrant.

1015. *Hoc fit item, &c.*] Quinque versus qui sequuntur ad explicationem modo propositam, quamvis id sentiat Gassendus, pertinere non existimo: ibi enim per semina e ferro in locum vacuum ab effluviis magnetis factum exsilientia tota res agitur; in his autem versibus corpora ictibus in vacuum protruduntur: ideoque cum sequentibus rectius conjungi possunt.

1020. *Huc accedit item, &c.*] Contendit motum ferri adjuvari ab aëre, ob continuam quandam istius motionem agitationemque. Et primum quidem, v. 12. ab

" Hæc quoque res adjumento, motuque juvatur:
Quod simul a fronte est Annelli rarior Aër
Factus, inanitusque locus magis ac vacuatus:
Continuo fit, uti qui post est cunque locatus
1025 Aër, a tergo quasi provehat atque propellat;
Semper enim circum positus res verberat Aër.
Sed tali fit uti propellat tempore Ferrum,
Parte quod ex una spatium vacat, et capit in se.
Hic, ubi, quem memoro, per crebra foramina Ferri 'st
1030 Parvas ad parteis subtiliter insinuatus:
Trudit et impellit, quasi Navim velaque Ventus.
Denique res omnes debent in corpore habere
Aëra, quandoquidem raro sunt corpore, et Aër
Omnibus est rebus circumdatus appositusque.
1035 Hic igitur, penitus qui in Ferro 'st abditus Aër,
Sollicito motu semper jactatur, eoque
Verberat Annellum dubio procul; et ciet intus
Scilicet: atque eôdem fertur, quo præcipitavit
Jam semel, et quamquam in partem conamina sumsit.
1040 Fit quoque ut a Lapide hoc Ferri natura recedat

(motum annuli ad lapidem) juvent, namque hæc res aliorum corporum impulsu promovetur; quoniam simul ac aër qui est a fronte annuli (qui est inter annulum et lapidem) rarior fit, locusque ex illa parte inanitus magis ac vacuatus, continuo fit ut aër, qui est a tergo illius annuli, promoveat ipsum et propellat: nam aër qui circa res est istas res verberat; tum vero propellit ferrum quoniam ex una parte vacuus fit locus qui illud ferrum extemplo recipit: cum vero hic subtilis aër, cujus mentionem feci, per crebros ferri meatus intrans ad singulas istius ferri partes se applicuit, tum trudit et propellit ferrum, ut ventus navim et vela. Denique omnes res debent in se continere aërem, quoniam poros et meatus habent; et aër omnes res cingit, illarumque lateribus est adpositus: hic autem aër qui est in intimis ferri partibus, irrequieto motu semper agitatur, atque ita proculdubio verberat annulum, atque intus ciet, atque in eam partem (vacuum viz. spatium) fertur, in quam semel cœpit tendere, et annulum movere: aliquando etiam accidit, ut ferrum ab hoc lapide recedat,

NOTÆ.

aëre exteriore, qui cum semper urgeat, et urgeat vehementius qua ex parte copiosior est, non possit non impellere ferrum in quam partem est parcior seu inanior, utpote versus ipsum magnetem. Deinde, v. 8. etiam ab interiore, qui pari ratione, cum semper agitet, commoveat, compellat, non possit non indere motum in quam partem spatium est inanius redditum.

1021. *Hæc quoque res adjumento*] Hic versus mihi suspectus est, longe enim abest ab elegantia Lucretiana, atque eo detracto nihil de sententia decedit: *Lambinus*. Palmerius legit, *molimento*.

1030. *Parvas*] Alii, *primas*, *privas*, et *pronas*.

1040. *Fit quoque ut a lapide hoc, &c.*] Adnotat Gassendus, videri Lucretio perspectum fuisse id experimentum, quo magnes ferrum interdum manifeste repellit, videturve repellere: scilicet, deprehensum est esse in magnete duas quasdam oppositas partes, (polos jam vulgo dicimus, alterum Boreum, alterum Austrinum) quarum uni si admoveatur unum ferreæ acûs extremum, trahatur ab illa, et si idem extremum postea admoveatur alteri, ab illa refugiat, repellique apparent; cum et aliunde oppositum ab ista trahatur, ab illa refugiat: at nimis sibi indulget vir ille magnus, nihil enim in his versibus proponitur de fuga ferri, quod per sequentia exempla non satis declaratur. Sæpe autem vidit Lucretius minutos annulos, et ramenta ferri in vase æneo posita subsultare, cum magnes vas istud æneum subtus contingeret; et persuasus causam esse in corpore æris interposito, (cum interposito tamen

Interdum, fugere, atque sequi consueta vicissim.
Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi;
Et ramenta simul Ferri furere intus ahenis
In Scaphiis, lapis hic Magnes cum subditus esset:
1045 Usqueadeo fugere a Saxo gestire videtur.
Ære interposito discordia tanta creatur,
Propterea, quia nimirum prius æstus ubi Æris
Præcepit, Ferrique vias possedit apertas;
Posterior Lapidis venit æstus, et omnia plena
1050 Invenit in Ferro: neque habet qua tranet, ut ante.
Cogitur offensare igitur, pulsareque fluctu
Ferrea texta suo; quo pacto respuit ab se,
Atque per Æs agitat, sine eo quæ sæpe resorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quod æstus
1055 Non valet e Lapide hoc alias impellere item res:
Pondere enim fretæ partim stant, quod genus Aurum:
Ac partim Raro quia sunt cum corpore, ut æstus
Pervolet intactus, nequeunt impellier usquam;
Lignea materies in quo genere esse videtur.
1060 Inter utrasque igitur Ferri natura locata,
Æris ubi accepit quædam corpuscula: tum fit,
Impellant ut eam Magnesii semina saxi.

nempe consuetum modo fugere, modo sequi hunc lapidem; etiam vidi ferrea Samothracia exultare, et ramenta ferri in vasis æreis posita exsilire, cum magnes esset istis vasis subditus. Tam vehementer ferrum conatur recedere a saxo cum æs interponitur, et tanta inter ferrum et magnetem discordia creatur: nempe quoniam postquam effluvia ab ære ingressa sunt apertos meatus ferri, illosque impleverunt, tum effluvia a lapide veniunt, et meatus ferri plenos invenientia, neque viam per quam, uti solebant, transeant habentia, in ipsum ferri corpus impingunt, illudque fluctu suo pulsant; quo pacto magnes a se ferrum rejicit, et per æs interpositum repellit, quod tamen cum nullum æs interponatur attrahit. Ne vero mireris quod hujus lapidis effluvia alias item res non valent impellere: quædam enim res adeo ponderosæ sunt, ut moveri non possunt, ex. gr. aurum: quædam autem res tot et tam laxos habent meatus, ut effluvia per illos transeant, neque unquam offendant, ita ut nunquam impelli possunt istæ res, atque inter istiusmodi res lignum præcipue enumerari potest. At vero ferrum, cum sit res medii generis, (cum sit minus grave quam aurum, et minus rarum quam lignum) quando quædam æris corpuscula intra suos meatus recepit, tum demum fit, ut illud impellant effluvia magnetis.

NOTÆ.

vitreo, ligneo, lapideo, quovis alio, haud secus contingat) ita causam exinde reddit, quod emissis quoque ex ære in frustula et ramenta ferri corpusculis, spatiola ferri iis sic compleantur, ut accedentia deinceps corpuscula magnetica per æs trajecta ubi ea occupata comperiunt, subagitent, et quo possunt nisu propellant, v. 14.

1042. *Samothracia ferrea*] Annuli ferrei, pervii, et cassi; olim Flamen Dialis gestabat, *Annulo nisi pervio cassoque ne utitor.* Demum servi, et Plinii ætate, *servitia jam ferrum auro cingunt, alia per sese mero auro decorant, cujus licentiæ origo nomine ipso in* Samothrace, *id institutum declarat:* Plin. Nat. Hist. lib. 33. cap. 1.

1044. *Scaphiis*] Vasis a forma scaphæ.

1054. *Illud in his rebus, &c.*] Queri potest, quare magnes non peræque subagitet propellatque ramenta cæterorum corporum? id fieri causatur, v. 9. quod vel sint graviora quam ut propelli valeant, vel, si sint leviora, laxiora quoque sint, ita ut magnetis corpuscula per illa libere transirent.

1062. *Magnesii semina saxi*] Alii, *Magnesi flumina saxi.* Alii, *Magnesia flamina saxi.*

Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
1065 Quæ memorare queam inter se singulariter apta.
Saxa vides primum sola coolescere Calce:
Glutine materies Taurino ita jungitur una,
Ut vitio venæ tabularum sæpius hiscant,
Quam laxare queant compages taurea vincla.
1070 Vitigeni latices in Aquaï fontibus audent
Misceri, cum Pix nequeat gravis, et leve Olivum:
Purpureusque colos Conchylî mergitur una
Corpore cum Lanæ, dirimi qui non queat usquam:
Non si Neptuni fluctu renovare operam des;
1075 Non, mare si totum velit eluere omnibus undis.
Denique res Auro Argentum concopulat una,
Ærique æs Plumbo fit uti jungatur ab albo.
Cætera jam quam multa licet reperire? quid ergo?
Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,
1080 Nec me tam multam hîc operam consumere par est:
Sed breviter paucis restat comprendere multa.
Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,
Ut cava conveniant plenis hæc illius, illa
Hujusque: inter se junctura horum optima constat.
1085 Est etiam, quasi ut Annellis, Hamisque plicata

Neque quidem harum rerum tam admiranda est et singularis conditio, multa enim enumerare possum, quæ eodem modo sibi invicem unice conveniunt. Primum vides saxa calce sola coalescere, (compingi) ligneæ tabulæ a glutine taurino ita conjunguntur, ut sæpe in ipso solido ligno fissuræ et hiatus facilius fiant, quam glutinis istius vincula dissolvi possunt: vinum cum aqua miscetur, non item grave pix, et leve oleum; et purpureus conchyliorum color ita totum lanæ corpus imbuit, ut nunquam separari possit, imo nunquam, licet omnibus Neptuni fluctibus pristinum colorem revocare, totoque mari purpureum eluere coneris. Denique una res aurum argento copulat, æs quoque ab albo plumbo æri jungitur: quam multa ejusmodi invenire licet? Quid igitur? Nec tibi opus est tam longis ambagibus, nec mihi fas est tam multam operam in illis enumerandis consumere, sed paucis verbis ego multa breviter complectar: res istæ quarum texturæ ita mutuo respondent, ut hujus rei cava illius plenis, et illius cava hujus plenis conveniant, facillime atque arctissime copulari possunt: quædam etiam res quasi hamis et annulis

NOTÆ.

1063. *Nec tamen hæc ita sunt, &c.*] Hactenus de ferri motu ad magnetem, aut ejusdem a magnete fuga; quod ad ipsam adhæsionem attinet, par est quoque inter alias res consensus, quippe quæ una tantum certaque re copulari, et connecti possunt. Si vero ipsum modum adhæsionis requiras, in extremis partibus magnetis hamos, in extremis partibus ferri annulos concipe, et nihil amplius inquires, v. 25.

1067. *Glutine—Taurino*] Glutinum præstantissimum fit ex auribus taurorum, et genitalibus: Plinius, Nat. Hist. lib. 28. cap. 17.

1076. *Denique res Auro Argentum, &c.*] Faber;

Denique res auro non Aurum copulat *una?*

recte quidem, aurum auro conjungitur, ut æs æri versu sequenti: non tamen rejicienda est vulgata lectio, nam supra aqua miscetur vino, &c. Vid. Plin. Nat. Hist. lib. 33. cap. 5.

1078. *Quid ergo?*] Quasi dicat, num me idcirco hoc loco ea omnia referre oportet? *Lambinus.*

1083. 1084. *Cava—illius plenis hujus*] Id est, hujus corporis cavitates, solidis illius corporis et prominentibus corpusculis.

Inter se quædam possint coplâta teneri:
Quod magis in Lapide hoc fieri Ferroque videtur.
Nunc, ratio quæ sit Morbis, aut unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta
1090 Morbida vis Hominum generi, Pecudumque catervis,
Expediam. Primum multarum semina rerum
Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis:
Et contra, quæ sint morbo, mortique, necesse 'st
Multa volare; ea cum casu sunt forte coorta,
1095 Et perturbarunt cœlum, fit morbidus Aër.
Atque ea vis omnis Morborum, pestilitasque,
Aut extrinsecus, ut nubes nebulæque superne
Per cœlum veniunt, aut ipsa sæpe coorta
De terra surgunt, ubi putrorem humida nacta 'st,
1100 Intempestivis Pluviisque, et Solibus icta.
Nonne vides etiam cœli novitate, et aquarum
Tentari, procul a patria quicunque domoque
Adveniunt? ideo quia longe discrepat Aër.
Nam quid Britannum cœlum differre putamus,
1105 Et quod in Ægypto 'st, qua mundi claudicat Axis?

copulatæ conjungantur, et hoc modo magnes ferro videtur connecti. Nunc, quæ sit morborum causa, atque unde pestis orta humano generi, pecudumque gregibus cladem letiferam conflare possit, docebo: primum supra docui multarum rerum esse semina, quæ nobis sunt salubria, e contra etiam necesse est multa esse noxia et perniciosa; illa autem cum casu coorta infecerint cœlum, tum aër fit pestilens; omnis autem vis et pestilitas morborum aut extrinsecus, ut nubes et nebulæ, superne per cœlum veniunt, aut sæpe surgunt ex ipsa terra, cum semel humida computruit, intempestivis pluviis, et solibus afflicta. Nonne etiam vides illos qui a patria sua domoque procul adveniunt, (peregrinos hospites) novo insolitoque aëre et aqua affici et affligi? Nempe quia Aër plurimum differt ab illo quo antea utebantur. Nam quantum putamus aërem Britannicum differre ab eo aëre qui est in Ægypto, qua mundi axis claudicat?

NOTÆ.

1086. *Coplâta*] Copulata, ut gubernâclum.

1088. *Nunc, ratio quæ sit Morbis, &c.*] Unica remanent irati numinis indicia, morbi epidemii et pestes; si vero nihil in his admirabile et divinum, actum erit de Providentia: ut pestis ratio explicetur non longis ambagibus opus est; quippe ut in universo multa sunt corpuscula hominibus reliquisque animalibus salubria, ita plurima noxia et lethifera: quandocunque hæc noxia corpuscula, sive per cœlum intromissa, sive e terris surgentia aërem replerunt, morbidus fit iste aër, et inde pestis in viscera hominum ingressus, v. 13. Si peregrina hæc corpuscula rejicias, aërem ipsum excute, atque in illo tanti mali cladisque originem invenies; nam diversarum regionum diversus aër, inde qui sanus indigenis, advenis ipsique inassuetis insaluber, v. 11. Inde etiam morbi quibusdam regionibus peculiares, v. 5. Jam vero alterius regionis aër in alteram feratur; sequatur, necesse est, totius cœli corruptio, v. 6. Inde fontes, herbæ inficiuntur, vel demum ipse aër corruptus enecat, v. 13. Hanc disputationem demum confirmat Lucretius exemplo memorabilis illius pestis, quæ vigente bello Peloponnesiaco, Athenis contigit, et quam fuse describit, v. 149.

1103. *Discrepat Aër*] Alii, *discrepitant res*; inepte.

1104. *Britannum cœlum*] Ut apud Horat. *Italum cœlum; Diis patriis, Italoque cœlo*. Lambinus tamen legit,

Nam quid Britanno cœlo *differre putamus*

Id *quod in Ægypto est*.

Codices constanter *Britanis*, unde Faber *Britannidis*: Græci enim insulas illas omnes Βρεττανίδας vocant.

1105. *Claudicat Axis*] Sæpe Lucretius,

Quidve quod in Ponto 'st differre a Gadibus, atque
Usque ad nigra virûm, percoctaque sæcla calore?
Quæ cum quatuor inter se diversa videmus,
Quatuor a ventis, et cœli partibus esse,
1110 Tum color et facies hominum distare videntur
Largiter, et morbi generatim sæcla tenere.
Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.
Atthide tentantur Gressus, Oculique in Achæis
1115 Finibus, inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris: varius concinnat id Aër.
Proinde ubi se Cœlum, quod nobis forte alienum 'st,
Commovet, atque Aër inimicus serpere cœpit:
Ut nebula, ac nubes paullatim repit, et omne
1120 Qua graditur, conturbat, et immutare coactat.
Fit quoque, ut in nostrum cum vênit denique cœlum,
Corrumpat, reddatque sui simile atque alienum.
Hæc igitur subito clades nova, pestilitasque,
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
1125 Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus:
Aut etiam suspensa manet vis Aëre in ipso;
Et cum spiranteis mistas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse 'st.
Consimili ratione venit Bubus quoque sæpe
1130 Pestilitas, etiam pecubus balantibus ægror:
Nec refert utrum nos in loca devenianus

quantum illum qui in Ponto est differre ab eo qui est in Gadibus, et usque ad nigras et radiis solis percoctas hominum gentes (Æthiopum populos) extenditur? Quos quatuor aëris tractus conficere possimus esse inter se diversos, quoniam sunt ad diversas et oppositas mundi quatuor partes, præterea color vultusque hominum illis quatuor tractibus subjectorum plurimum discrepant, et peculiares morbi homines in singulis istis regionibus affligunt. Morbus qui dicitur Elephantiasis in media Ægypto juxta Nili flumina gignitur, neque alibi præterea: in Attica pedes, et in Achaia oculi morbo tentantur, sic aliæ regiones aliis partibus et membris hominum inimicæ sunt; diversi vero hi morbi ex aëris diversitate oriuntur; proinde, quando alterius regionis aër, qui nobis noxius est, sedes suas deserit, et in nostrum cœlum serpere incipit, ut nebula et nubes, paulatim progreditur, omne cœlum qua prorepit conturbat, et mutat; denique cum in nostrum cœlum venerit corrumpit illud, reddit sui simile, ideoque alienum nobis et noxium. Hæc autem malignitas et pestilentia in nostrum cœlum subito irrepens vel in aquas cadit, vel in fruges et herbas, aut alia hominum alimenta, et pecudum pabula descendit; aut malignitas in ipso aëre suspensa manet, et cum (respiremus) spirantes auras ex aëre ducimus, necesse est ut noxia, quæ cum aëre miscentur, corpuscula in corpus nostrum ducamus: eodem modo boves ovesque pestis frequenter corripit: neque interest, utrum nos veniamus in loca

NOTÆ.

claudicat, pro *deficit*: *qua mundi claudicat axis*, id est, qua parte axis, seu polus Arcticus, qui nobis sublimis semper apparet, illis est depressus; seu qua parte mundus inclinatus est ad oram nobis ignotam, quam Græci ἀντάξονα vocant, nostro axi contrariam: est autem hæc pars Meridionalis, seu Australis. *Lambinus.*

1112. *Est Elephas*] *Elephantia*, et *elephantiasis* dicitur, et alii asserunt hunc morbum infestare tantum incolas Ægypti qui de Nilo bibunt. At Celsus, lib. 3. cap. 25. Ignotus pene in Italia, in quibusdam regionibus frequentissimus est morbus; vide plura.

Nobis adversa, et cœli mutemus amictum;
An cœlum nobis ultro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non consuevimus uti:
1135 Quod nos adventu possit tentare recenti.
Hæc ratio quondam morborum, et mortifer æstus
Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros,
Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
Nam penitus veniens Ægypti e finibus ortus,
1140 Aëra permensus multum, camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
Principio, caput incensum fervore gerebant:
Et dupliceis oculos suffusa luce rubenteis.
1145 Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, et ulceribus vocis via septa coibat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu:
Inde, ubi per fauceis pectus complerat, et ipsum
1150 Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris:

nobis infesta, aërisque ambitum mutemus, an natura sponte sua noxium nobis aërem deferat, aut aliquid aliud cui non assueti sumus: quodque recenter in nostrum cœlum delatum insolita vi nos tentare possit et afficere. Hujusmodi pestis et vis lethifera Atheniensium agros aliquando reddidit funestos, vias vastavit, urbemque civibus exhausit; nam a remotissimis Ægypti finibus orta veniens, magnum aëris spatium, multumque æquor permensa, tandem Atheniensibus incubuit, inde homines morbo mortique catervatim dabantur. Principio, caput fervore incensum gerebant, geminosque oculos rubentes suffusa luce; fauces intrinsecus sudabant atro sanguine, vocis via ulceribus septa coibat, et lingua animi interpres manabat sanie, ulceribus languescens; facile moveri non potuit, et tactu aspera: inde ubi vis morbida per fauces descendens pectus compleverat, et in ipsa ægrorum corda confluxerat,

NOTÆ.

1132. *Cœli amictum*] Alii, *cœlum amicum*: et in sequenti versu *inimicum* aut *corruptum* pro *cruentum*, sed jam occupatus sum, nec sequar.

1136. *Hæc ratio quondam, &c.*] Sequitur pestis, quæ Athenas olim vastavit, descriptio, e secundo Thucydidis libro, et tertio Hippocratis de morbis popul. desumpta; quam adeo feliciter expressit, ut, Macrobio judice, Sat. lib. 6. cap. 2. Virgilius, Georg. 3. certe Ovidius, Met. 7. habuit quem imitaretur.

Ibid. *Hæc ratio morborum, &c.*] Pestis viz. ab aëre alieno ortus: *mortifer æstus*, alii, *aër*, sed *æstus* olim Macrobius.

1139. *Nam penitus veniens, &c.*] Ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου, ἔπειτα δὲ, καὶ ἐς Αἰγύπτον, καὶ Λιβύην κατέβη, καὶ ἐς τὴν Βασιλέως γῆν τὴν πολλὴν, ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐνέπεσε. Thucydides.

1143. *Principio, caput incensum, &c.*] Πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα καὶ φλογώσεις ἐλάμβανε. Idem Thucydides.

1144. *Suffusa luce*] Viz. orbibus oculorum sanguine suffusis.

1145. *Sudabant etiam, &c.*] Καὶ τὰ ἐντὸς, ἥτοι φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα εὐθὺς αἱματώδη ἦν. Thucyd.

1149. *Inde, ubi per fauces pectus, &c.*] Καὶ ἐν ᾧ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν ταράξειεν, ἀνέτριφέ τε αὐτὴν καὶ ἀποπαθήσεις χολῆς πᾶσαι, ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν, ἐπήσαν. E quibus intelligere possumus quid velint ista, *omnia vitæ claustra lubabant, &c.* Sequebatur viz. omnium intestinorum convulsio, atque inde excretiones cum torminibus.

1150. *In cor*] Stomachum. Schol. ad Thucyd. Οἱ παλαιοὶ ἰατροὶ τὸν στόμαχον καρδίαν ἐκάλουν, καὶ καρδιώγμον τὸν πόνον τοῦ στομάχου.

Omnia tum vero vitaï claustra lababant:
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
Atque animi prorsum vires totius, et omne
1155 Languebat corpus, lethi jam limine in ipso:
Intolerabilibusque malis erat anxius anguor
Assidue comes; et gemitu commista querela,
Singultusque frequens noctem persæpe, diemque,
Conripere assidue nervos et membra coactans,
1160 Dissolvebat eos, defessos ante, fatigans.
Nec nimio cuiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam ferviscere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
1165 Corpus, ut est per membra Sacer cum diditur ignis.
Intima pars homini vero flagravit ad ossa:
" Flagravit stomacho flamma, ut fornacibus intus;
Nil adeo posset cuiquam leve, tenueque membris
Vertere in utilitatem: ad ventum et frigora semper

voces, (*nom.*) 1, 302, 355, 491: 2, 330: 3, 157, 168: 4, 222, 537, 551, 569, 581, 601, 615, 1217: 5, 338, 1059, 1080, 1087, 1378, 1405: 6, 228, 951.
vocesque, (*nom.*) 4, 989: 5, 1172.
vocibus 2, 367: 4, 611: 5, 994, 1021, 1043, 1045, 1065. liquidis 2, 145.
vociferantur carmina 1, 733. æra claustris restantia 2, 450.
ratio tua cœpit vociferari 3, 14.
res ipsa vociferatur 2, 1050.
vocis 3, 495: 5, 1054, 1069: 6, 1146. asperitas 4, 561.
vocitamus 6, 297.
vocitant 2, 611.
vocum 4, 572. primordia, (*atom.*) 534.

volabant 5, 490.
volamus velis 4, 391.
volando 6, 304, 450.
volans 3, 783: 6, 86, 382.
volantes 2, 206, 821: 3, 387: 4, 1004: 5, 254, 1190: 6, 96, 103, 113, 483, 611, 742, 833.
volantum (*avium*) corpora 2, 1082.
volare 1, 971: 4, 140: 6, 1094. in cœli templa 1, 1063.
volarent 4, 843. corpora 6, 485.
volat 6, 327, 333.
volatile telum 1, 969.
volebant 5, 1246.
voles 2, 490.
volgata (*volitantia*) per malos vela 4, 75.
magnum volgata per ævum 5, 428.
volgi, (*vulgi*) 1, 316: 2, 622: 5, 1138.
volgivaga 4, 1064.
volgivago (*vulgivago*) more ferarum vitam tractabant 5, 930.
volgo, (*vulgo, adv.*) 1, 239: 2, 215, 337, 723: 3, 267: 4, 73, 86, 587, 704: 6, 521.
volgum turbamque animantum 2, 919.
volgus, (*vulgus*) 1, 944: 4, 20.
volitant 3, 732: 4, 36, 86.
volitantibus spoliis vepres auctas 4, 60.
volitare 1, 951: 2, 380: 4, 42, 222.
volitent 2, 1054: 3, 33: 4, 28.
volnera 4, 1063: 5, 996, 1196, 1302. vitæ 3, 63.
volnera vasta serebant 5, 1289.
volnere recenti tortari 3, 661: 4, 1113.
dabant in terram volnere victos 5, 1320.
volnere violento demit honorem imaginibus 6, 419.
volneribus 5, 1335.
volnus 4, 844, 1042.
æternum sub pectore volnus 2, 638.
volta, (*vultus*) 4, 1206.
voltum 3, 164, 655.
volturiique (*vulturesque*) cadaveribus ducuntur 4, 684.
voltus 3, 468, 594: 4, 1217.
voltus furiosus et acer 6, 1182.
volvatur 5, 976.
volvat se fluctus odorum 4, 679.
volubilibus figuris creata 3, 191.
volubilis procursus 2, 454.
volucremque (*adj.*) soporem 4, 996.
volucres, (*subst.*) 2, 144: 3, 893, 997, 1006: 4, 1001, 1290: 5, 32, 799, 823, 1077. variæ 2, 344.
volucri (*adj.*) lumine loca tingunt 6, 172.
volucris, (*adj.*) 4, 204.
volvebat tetrum odorem 6, 1152.
volvenda (*sing.*) glans plumbea 6, 178. (*plur.*) sidera Mundi 5, 515.
volvenda ætas 5, 1275.
volventem 6, 380.
volventes flumina fontes 2, 590: 6, 344. solis per cœlum lustra 5, 929.
volvere curarum in pectore fluctus 6, 33, 540.
volvere irarum fluctus 6, 73.
volvere vitalis aëris auras 6, 1226.
volverunt, (*a volvo*) 5, 1346.
volvi 3, 77: 5, 82, 1188.
volvier 5, 715.
volvit 6, 691. aëra 4, 287.
volvitur 3, 1015: 6, 371, 393.
voluntas 2, 257, 261, 276: 3, 46, 175: 4, 881, 981, 1039.
ex animi voluntate procedere 2, 270.
voluntatem nostram simulacra tuentur 4, 782.
voluptas 1, 1, 141: 2, 3, 258, 965: 3, 28, 251, 1094: 4, 631, 633, 1068, 1074, 1078, 1194, 1201, 1256: 5, 179, 1432: 6, 93, 388.
dia (*divina*) voluptas dux vitæ 2, 172.
voluptatem 2, 967. liquidam, puramque 3, 40: 4, 150.
voluptatis 4, 1107.
volutent 3, 241.
volvunt 5, 522, 643.
vomenda (*sing.*) vita 6, 828.
uncus aratri ferreus occulte decrescit vomer in arvis 1, 315.
vomere, (*nom.*) 1, 212: 5, 211.
sursus vorsus 2, 188.
quoque vorsus 2, 1052.
vortex 6, 276. igneus 297. venti 443.
votis nectere vota 2, 1201.
votis adit Divûm pacem, ac prece quæsit 5, 1228.
vox 4, 536, 558, 566, 569, 603, 607, 617, 694, 703, 704, 796: 5, 1056: 6, 1243.
vox in aures insinuata 4, 527.
vox præterradit fauces 4, 531.
urbe 6, 1276.
urbem 3, 1080: 6, 1138, 1257.
urbes 1, 256: 2, 607, 624: 5, 341, 413, 1107, 1161, 1236: 4, 586, 589, 595.
urbis 4, 354.
urere 4, 872: 5, 900.
urgere 6, 191.
urgerive 3, 906.
urgeris 3, 1064.
urget 3, 995: 6, 480, 511, 557.
urive 3, 900.
urit corpore serpens ignis 6, 660.
uritur 6, 150.
usi, (*plur.*) 5, 1045.
usu 4, 850.
usu (*usui*) datur 3, 984.
usum, (*subst.*) 4, 833.
usurpare 1, 55.
usurpare oculis frigora, (*cernere*) 1, 302.
usurpare sensibus 4, 972.
usus, (*subst. plur.*) 4, 839: 5, 1286, 1450: 6, 9: (*opus*) 1, 185, 220: 4, 829.
quod foret usus, (*opus*) 5, 842.
non est ut, (*non est causa cur*) 2, 495.
est ut, (*est ratio cur*) 3, 738.
ut si, (*quasi*) 4, 991: 6, 151, 759.
utare 1, 871.
ut est oris extremis cunque notata, (*utcunque*) 5, 583.
utendi 4, 840, 849.
uteri, (*plur.*) 5, 806.

utile 1, 332 : 3, 735.
utilis 3, 208.
utilitas expressit nomina rerum 5, 1028.
ex utilitate sua commendata 5, 858.
utilitatem 4, 25 : 5, 871 : 6, 893.
vertere in utilitatem 6, 1169.
utilitatis 4, 852, 855 : 5, 868, 1047.
utuntur 4, 1098.
uvas autumno fundi sudante videmus 1, 176.
fluctifrago suspensæ in littore vestes uvescunt 1, 307.
vulnere 1, 35.
vulpes, (*plur.*) 5, 861.
dolu' vulpibus et fuga cervis a patribus datur 3, 742.
vultu 5, 839 : 6, 405, 407.
vultuque 3, 294, 467.
vultus 4, 1027.
altitonans Vulturnus 5, 744.
uxor optuma 3, 907.
uxores 4, 1232, 1249, 1261.
uxoribus 4, 1263.

Z.

ZEPHYRI, (*plur.*) 5, 1381.
pennatus Zephyrus Veneris prænuntius 5, 737.

ANNOTATIONES

RICARDI BENTLEII

IN LUCRETIUM.

Exadversum Titulo; T. LUCRETII &c. Arnob. lib. v. *Jamdudum ne fateor reputantem mecum in animo rerum hujuscemodi monstra, solitum me mirari, audere Vos dicere quenquam ex his Atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui deos esse omnino aut negent, aut dubitent.*

T. LUCRETII CARI DE RERUM NATURA. Imo, T. Lucr. Cari Rerum Natura τῷ *de* deleto. Ita ipse lib. 5. v. 336. *Denique Natura hæc rerum, ratioque reperta'st Nuper, et hanc primus cum primis ipse reportus Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.* Ita Ovidii *Tristia*, non *De Tristibus; Ars Amatoria* etc. Sed hæc videatur esse πανότερόν τι καὶ περιεργότερον; Nam ipse Epicurus libros suos inscripsit περὶ φύσεως: et Empedocles περὶ φύσεως τῶν ὄντων libros 3. Suidas. EtOcellus Lucanus, περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως. Sic etiam noster mox, v. 26.

LIB. I.

V. 1. Æneadum genetrix, hominum divûmque voluptas,] Ennius: *Te hunc sancta, precor, Venus, et Genetrix patris nostri, Ut me de cœlo visas ognata parumper.* Ita Annales suos auspicatus, ut noster hoc opus.

3 Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis] Eurip. Hippol. 447. Ποντῷ δ' ἀν' αἰθέρ' ἔστι δ' ἐν θαλασσίῳ Κλύδωνι Κύπρις· πάντα δ' ἐκ ταύτης ἔφυ. Noster verbum de verbo expressit. Pro ἔστι lege εἰσι, *incedit* v. 447. Sic ibidem 1270. Ποτᾶται δ' ἐπὶ γαῖαν, εὐάχητόν θ' Ἁλμυρὸν ἐπὶ πόντον. Θέλγει τ' ἔρως——φύσιν Ὀρεσκόων σκυλάκων, Πελαγίων θ', ὅσα τε γᾶ τρέφει, Τὰν ἄλιος εἰθύμενος δέρκεται, Ἄνδρας τε·— Vide Ovidii Fast. lib. 4.

12 Aëriæ primum volucres te, Diva, tuumque] Hunc locum, et alium lib. II. v. 991. Statius expressit; Venus loquitur, *Quas ego non gentes, quæ non face corda jugavi? Alituum pecudumque mihi durique ferarum Non tenuere greges: ipsum in connubia Terræ Æthera (cum pluviis rarescunt nubila) solvo.*

14 Inde feræ pecudes] L. *Feræ et pecudes.* Infra 164. *Armenta, atque aliæ pecudes, genus omne ferarum.*

16 Illecebrisque tuis omnis natura animantum] Versus Marulli: dele.

30 Effice] *Et face.*

35 Rejicit.] Q. c. *Refficit.*

36 Suspiciens tereti cervice reposta] Q. MS. *Suspirans.* Virg. Æn. VIII. v. 633.——*illam tereti cervice reflexam.*

37 Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus:] Ter.——*restabat nil aliud nisi oculos.*

57 Omnis enim——tangitur ira.] Hos sex Versus dele. Ennius: "*Ego deum genus esse semper dicam et dixi cœlitum; Sed eos non curare opinor quod agat humanum genus.*" Epicurus; τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον ἔτι αὐτὸ πράγματα ἔχει ἔτι ἄλλῳ παρέχει, ὥστε ἔτι ὀργαῖς ἔτι χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον.

60 Nam, privata dolore omni, privata periclis,] Corrigendus Arnobius, p. 12. "*Cæterum dii* vestri, *et qui habere, qui ferre nominis hujus auctoritatem condigni sunt, neque irascuntur, neque indignantur, neque quod alteri noceat, insidiosis machinationibus construunt.* Lege *dii veri.*

67 Tollere contra] Nonius, *tendere.*

69 Quem nec fama Deûm,] F. *fana.*

78 Terminus hæreat,] *Hærens;* Veron. et 2 Codd. Voss. et cod. Nans.

79 Quare relligio pedibus subjecta vicissim Obteritur,] Virgilius, Georg. II. 491. *Quique metus omnes et inexorabile fatum Subjecit pedibus strepitumque Acherontis avari.*

83 *Endogredi* sceleris; quod contra sæpius *olim*] *Indugredi;* R. MSS. Voss. et MS. Nans. *Illa;* Edit. Ver. et MS. Nans.

86 Iphianassai] *Iphianassaio,* Edit. Veron.

91 Ferrum *celare* ministros,] Scribe, *celerare.*

105 Quippe etenim *quam* multa tibi *jam* fingere *possum*] Forte, *Quippe etenim qui multa tibi confingere possunt.* V. c. *me.*

120 Per genteis Italas *hominum* quæ clara clueret.] *Hominum* abest a Veron. Est in MSS.

124 Sed quædam simulacra modis pallentia miris:] Abest a 2 Codd.

126 *Et fundere* salsas] Q. c. *Effundere.*

130 Quæque *genantur*] Bene Veron. *gerantur.*

132 Unde *anima,* atque animi] *Animæ.*

134 Somno*que* sepultis,] Somno*ve.*

141 Sperata voluptas] Q. c. *Spectata voluntas.*

142 *Perferre* laborem] O. MS. *efferre.*

143 Vigilare *serenas,*] Lege *severas.*

150 Principium hinc cujus] *Cujus hinc;* MS. Voss.

157 De nihilo, tum, quod sequitur,] O. MSS. *sequimur,* recte; τὸ ζητούμενον, τὸ ἀπορούμενον, lib. VI. v. 807.

176 Sudante] Q. c. *suadente, suadere.*

180 Oras?] Lege *auras?* lib. I. v. 208.

203 *Vitalia* vincere sæcla:] *Mortalia.*

210 *Reddi* fœtus:] *Edere.*

216 *Quicque* in sua] Veron. *quæque.*

222 *At nunc,* æterno] O. MS. *Quod nunc;* Recte.

223 Vis *obiit,* quæ] Lib. I. v. 248. *subiit.*

230 Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens ?] Sic disting. *Unde alit atque auget generatim, pabula præbens.* Vide lib I. v. 228. et lib. II. v. 992.

231 *Ingenui* fontes,] Q. c. *Ingeniti;* Optime. Unde Mare, inquit, *sui* fontes et flumina externa suppeditant et integrant. v. 1031. lib. II. v. 591. lib. VI. v. 613.

234 *Infinita* ætas consumse anteacta *diesque.*] *Infinitæ.* Leg. *dieique,* lib. I. v. 559.

241 Inter se *nexas* minus aut magis *endopedité.*] Q. c. *Nexu endopedito;* q. *nexus endopedita;* q. *nexus endopeditos.* Hoc rectissime v. 245.

243 Corpore, *eorum*] Q. c. *quorum.—quarum.*

258 Hinc *fessæ* pecudes] C. Vatic. *fetæ;* optime. *Corpora deponunt;* scil. cum parturiunt.

265 Nisi morte *adjutam* aliena.] O. MS. *Adjuta;* rectissime.

272 Incita *pontum,*] Cod. *Cortus.*

277 Murmure *pontus.*] Faber, *cortus.*

289 Dat sonitu magno stragem, *volvitque* sub undis Grandia saxa, ruit qua *quidquid* fluctibus obstat.] Lego; *Volvensque sub undis Grandia saxa, ruit;* active, i. e. disjicit, deturbat. *Quidquid,* i. e. quidque, ut sæpe alias. Ovid. 8. de Apro Caledonio: *Ille ruit, spargitque canes, ut quisque ruenti Obstat.* Veron. *quicunque,* q. *quicquam.*

292 *Flumen, cum* procubuere] *Cum flumen;* MS. Voss. Virg. Æn. XII. v. 367. *Qua Venti incubuere, fugam dant nubila cælo.*

295 *Rapidoque* rotantia turbine portant.] Lego, *rapidoque rotanti;* i. e. passive. Virg. Æn. X. 362.—*qua saxa rotantia late Impulerat torrens, arbustaque diruta ripis.* Sic noster lib. VI. v. 125. *Turbine versanti.* Et lib. VI. v. 437. *Versabundus turbo.*

322 Natura *videndi.*] Lego, *videndo;* passive.

327 *Vesco* sale saxa peresa,] Auson. Epist. 22. *Et nunc paravit triticum* casco sale *Novusque pollet emporus.* Leg. *vesco sale;* quidam MSS. *Caseum tritico et sale.* Proinde hoc modo locus constitui potest: *Et nunc paravit triticum vescum, et salem.* Ovid. 3. Fast. *Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra coloni Quæ male creverunt, parvaque vesca vocant.* Moretum: *Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso Caseus adjicitur.*

335 Quapropter locus est intactus Inane, vacansque.] Dele Vers.

357 *Quod,* nisi Inania sint,] An *Quæ?*

368 *Dedicat,* et multo Vacui minus intus habere.] Lib. I. v. 423.

384 Unde initium primum capiat res quæque movendi.] Versus spurius.

385 De *concursu* corpora lata] I. e. *Concurso.* Et ita edit. Veron. Recte.

388 Circum *celerantibus* auris] Q. c. *densantibus.*

390 *Compleri* spatium,] Sc. *complere.*

402 Dictis *conradere* nostris.] V. c. *contradere.*

411 Quod *si* pigraris, paullumve *abscesseris* ab re,] V. c. Quod *nisi* pigraris, paullum*que recesseris* ab re.

413 Haustus de fontibus magnis.] 4. MSS. *haustos ē fontibus amnes.* Lego; *largis haustos e fontibus amnes.* Auson. Profes. 21. *Et torrentis ceu Dulichii Ninguida dicta.* Homerus; (Il. γ. 221) Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἵππα τε μεγάλην ἐκ γάθος ἵει Καὶ ἵππια νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν· Horat. Sat. 7. 1.

——*ruebat Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.* Clemens. Alex. Strom. I. ποταμὸς ἀτίχων ῥημάτων, τῷ δὲ γαλαγμός. Dictum in sophistas.

423 Communis *deliquat* esse] V. c. *dedicat.*

433 *Quod* quasi tertia sit *rerum* natura reperta.] V. c. *numero,* bene; et, *Quo.*

437 *Corporum* augebit numerum,] *Corporeum.*

460 Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis] Hinc Virg. Æn. VII. 37.—*quæ tempora rerum.* Servius.

465 Denique Tyndaridem raptam, belloque subactas &c.] Res gestas non esse per se. v. 479, 480.

470 Namque aliud *rebus,* aliud] Q. c. *terris.*

478 *Troiai* Pergama partu] O. c. *Trojanis.*

487 *Stringere:* nam solido vincunt ea corpore *demum:*] Q. c. *Stinguere. Damnum.*

488 *Credere,* quicquam] Q. c. *fors ita.*

492 *Ferventia* saxa vapore:] V. c. *ferventi;* probe.

505 Dissimilis *rerum longe* constare reperta 'st,] Leg. *longe rerum.*

518 Queat *rerum* cohibere.] Vulgo, *tectum.*

522 Corpora *cæca*] V. c. *certa.*

524 Omne, quod est, spatium vacuum constaret inane.] Lege, *Omne quod est spatium* etc. deletis commatibus.

538 Tam magis his rebus, penitus tentata, labascit.] Videtur legendum, Tam magis *ictibus hæc* penitus tentata labascit. Faber. Immo, *his rebus,* i. e. humore, frigore, igni.

543 De nihilo*que renata* forent] Edit. Veron. *Quæsita.*

558 Quapropter longa *diei* Infinitæ] Fab. *Dies* et *infinita ætas.* Et certe Veron. *Infinita.*

561 Id nunquam *reliquo* reparari tempore posset:] MSS. *Num. id relliqüo.* Edit. Veron. *Relliqüo id nunquam.* Optime.

569 Quo pacto fiant, et qua vi cumque genantur,] Dele Vers.

573 Nam funditus *omnis*] Lego, *omni.* Lib. I. v. 621.

574 *Fundamenti* natura carebit.] Lege, *solidamenti.*

586 Vitamque *tuendi,*] Edit. Veron. *tenendi.* Bene.

629 Denique *ni* minimas] *Si:* ex omnibus MSS.

632 Quæ *multis* sunt partibus aucta,] *Nullis,* ex omnibus MSS.

688 Igni *simulata,* neque ullæ] Edit. Veron. *similata.*

692 *Rem veram* in numero] *Re verâ.* Certissime.

719 Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor] An, *littoris amfractibus?* Accius Eurysace; *Super Oceani Stagna alta patris* Terrarum anfracta *revisam.* An *maris?* ut *Anfractus solis,* i. e. circuitio. Cicero.

743 Exempto rebus Inani] Empedocles: Οὐδέ τι τῷ παντὸς κενεὸν πέλει, οὐδὲ περισσόν.

752 Conjicere ut possis ex hoc, *quod* cernere non quîs, Extremum quod habent, minimum consistere rebus.] Quidam cod. *quæ:* optime. Alias legendum esset, *habet.* Extrema cacumina corporum eorum quæ integra visum fugiunt, sunt atomi et minima natura.

762 Tempestate *coorta,*] *Coacta:* sic o. MSS.

799 Ignem si forte crearint,] Post *ignem,* lege *ut* si.

828 Plura *adhibere*] *Adhiberi.*

839 Ex *aurique* putat micis consistere posse *Aurum*] L. *Auræque—Au-*

ram. v. 853. Quatuor elementa numerat: quid hic *aurum?* oculos, credo, interpretum præstrinxit. *Micæ auræ:* ita, *frusta sanguinis.* Prudent. Psych. 425. Arnob. 2. *frustilla ignea.* Simplic. tamen de Anaxag. πάντα τὰ ὁμοιομερῆ, οἷον τὸ ὕδωρ ἢ πῦρ ἢ ΧΡΥΣΟΝ etc.

875 Id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omneis] Diogenes Cynicus; πάντα ἐν πᾶσι καὶ διὰ πάντων εἶναι, dixit: καὶ γὰρ ἐν τῷ ἄρτῳ κρίθας εἶναι [ὄντος] καὶ ἐν τῷ λαχάνῳ ἄρτου, καὶ τῶν σωμάτων τῶν λιτῶν, ἐν πᾶσι διά τινων ἀδήλων πόρων καὶ ὄγκων εἰσκρινομένων καὶ συνατμιζομένων. Laërtius (vi. 73.)

884 Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem:] Dele Vers.

886 Ubera lactis:] Tibullus: *Ipsæ mella dabant quercus, ultroque ferebant Obvia securis* ubera lactis *oves.* Sed otiosum plane et iners est illud *securis;* lege *pressuris;* aut propius ad vulgatam lectionem *sucturis.* Nam opinor, terrigenæ illi, mutum et turpe pecus, *mulctralia* nondum habebant.

896 *Inquis,* ut altis] Leg. *Inquit.*

899 *Flammæ* fulgore] *Flammaï flore:* MSS. optime; vid. Fab. Ita lib. IV. v. 452. *Bina lucernarum florentia lumina flammis.* Tertul. Apolog. c. II. *Vani erant homines nisi certi sint, a primordio, et pluvias de cœlo ruisse et sydera radiasse, et* lumina floruisse, &c. Ad quem locum abunde exemplaria congessit Desid. Heraldus.

956 *Vel adusque* profundum.] *Vasteque;* q. MSS. Festus: *Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem; hiantem* patentemque in profundum: *ex eo et χαίνειν Græci, et nos* hiare, *dicimus.* Lego *inanitatem,* ut alibi. *Cavum a chao dictum et ejus* inanitate. Cogit tamen dubitare Arnobius; lib. V. *Nonne digna res esset, propter quam iratus et percitus—res omnes in antiquæ speciem confunderet unitatis?*

958 *Debebat* habere.] *Debebit.*

969 *Ultimus* extremas] Fo. *Nuntius.*

978 Ea finis profecto.] *A fine profectum:* o. MSS. optime.

998 Aër dissepit *colleis,* atque aëra *montes:*] Fo. *nubis,—nubes.*

1002 *Flamina* cursu] Q. c. *fulmina,* recte. lib. VI. v. 83.

1012 Pateat *tantum* immoderatum:] Leg. *vacuum.*

1021 Ordine *se quæque,*] *Se suo quæque,* MSS. probe.

1027 *Rebus* consistit] *Rerum.*

1030 Mare *fluminis* undis] *Jugiter.*

1040 Materies *recta* regione aversa viaï] O. l. *aliqua:* lego, *Aliqua ratione, aversa viai.* Et sane ita habet Edit. Veron.

1043 *Partemque* morari,] *Partimque.*

1060 *Subtu'* vagari] *Suapte;* ex q. MSS.

1066 Agitare, *diesque.*] MSS. *diebus;* optime. Verissimum est, Antipodas nostros noctes agere pares diebus nostris.

1075 *Æquis* ponderibus,] *Æque.* Ita meliores codd.

1081 Cuppedine *victæ.*] *Vinctæ.*

1084 Humorem ponti, magnisque e montibus undas,] Versus spurius. [Non hunc, sed sequentem vs. a Bentleio damnari testatur Wakefieldus.]

1091—1093. Quippe etiam vesci—quisque cibetur.] Versus spurii.

1100 Inter permistas *terræ,* cœlique ruinas] O. c. *rerum;* Lego, *Inter mixtas terrarum cœlique ruinas.*

LIB. II.

1 Turbantibus *æquora* ventis,] *Æquore;* sic leg.

17 Nisi ut, *cum*] Lege, *cui;* ut MSS. Epicurus ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν·—τὸ μήτε ἀλγεῖν τὸ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι τὴν ψυχήν·—τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι, τὸ δὲ κένον δυσπόριστον·—τὴν αὐτάρκειαν ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν. (Diog. Laert. X. 130. 131.)

19 Cura *semota*, metuque?] *Semotu.*

22 Nullas] o. Codd. *multas*, verissime. Plut. ad Colotem: (*Non posse suaviter* &c. p. 1088. C.)—πέρας ἡδονῆς κοινὸν τὴν παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν ἐπιτίθεικεν (Ἐπίκουρος) ὡς τῆς φύσεως ἄχρι τοῦ λῦσαι τὸ ἀλγεινὸν αὐξούσης τὸ ἡδύ, περαιτέρω δὲ προελθεῖν οὐκ ἐώσης κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ ποικιλμούς τινας οὐκ ἀναγκαίους, ὁτ' ἂν οὐκ ἐν τῷ μὴ ποιεῖν γένηται, διχομένης.

24 Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædeis] Homerus Odyss. H. 100. Χρύσειοι δ' ἄρα κῦροι ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν Ἕστασαν αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες, Φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι. Chorus Medeæ Euripidis; Σκαιὸς δὲ λέγων, κεὐδέν τι σοφὸς, Τὸς πρόσθε βροτὸς, οὐκ ἂν ἁμάρτοις, Οἵτινες ὕμνους ἐπὶ μὲν θαλίαις, Ἐπί τ' εἰλαπίναις, καὶ παρὰ δείπνοις Εὕρεντο, βίου τερπνὰς ἀκοάς· Στυγίους δὲ βροτῶν ἐδεὶς λύπας Εὕρετο μούσῃ καὶ πολυχόρδοις Ὠδαῖς παύειν, ἐξ ὧν θάνατοι, Δειναί τε τύχαι σφάλλουσι δόμους. Καίτοι τάδε μὲν κέρδος ἀκεῖσθαι Μολπαῖσι βροτοῖς· ἵνα δ' εὔδιπνοι Δαῖτες, τί μάτην τείνουσι βοάν; Τὸ παρὸν γὰρ ἔχει τέρψιν ἀφ' αὐτῷ Δαιτὸς πλήρωμα βροτοῖσιν.

28 Auratagque *templa*:] *Tecta.* Macrob. (vi. 2.) recte. Propert. 3. 1. 49. Quod non Tænariis *domus* est mihi fulta columnis, Nec *camera auratas* inter eburna *trabes.*

42 Fervere cum videas classem] Festus: *Classis* veteribus *exercitus.* Servius: *equites.* Ego hic loci retineo significationem communem. Hor. Scandit æratas vitiosa *Naves* Cura, nec *turmas equitum* relinquit.

43 His tibi tum rebus timefactæ relligiones Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores?] Non possum ab animo meo impetrare, isthuc ut adprobet, *relligiones timefactæ pavidæ;* cum τὸ *pavidus*, et τὸ *timefactus* idem sint, nunc quidem quamobrem lubens legerim, *His tibi tum rebus pavefactæ relligiones Effugiunt animo, pavidi mortisque timores?* Faber. Immo distinctione locus levandus est: *Effugiunt animo pavidæ; mortisque timores Tum vacuum pectus linquunt.*

71 Corpora *cuique*,] *Cumque.*

79 *Si* cessare putas] *Sin.*

84 Aut ictu *forte* alterius,] Quid si, *forti?*

110 *Motus* potuêre recepta:] *Cœtus.*

136 *Ipsaque* quæ porro] MSS. *Ictaque;* recte.

151 Quasi *cum* diverberet undas] MSS. *dum;* bene.

158 E *partibus* unum,] Forte, *finibus.*

165 Nec *perscrutari* primordia] Q. c. *persectari;* optime.

171 *Nec* jam cætera,] Omnes MSS. *Et.*

184 *Nunc* locus est] Leg. *Nam.*

197 Magis *mersimus altum*] O. c. *ursimus alte.*

198 *Multi* pressimus ægre] L. *multa.* Vide lib. 1. v. 1028. et lib. 2. v. 552. Ita etiam Edit. Veron.

218 Tempore *firme*,] *Ferme.*

220 Tantum quod momen *mutatum* dicere possis] 3. Cod. *mutare.* Lego, *mutari.* Imo, *mutarent dicere possis.* Sueton. in Nerone c. 6. *Tantum quod* exoriente Sole, &c. F. *nutare.* Et Edit. Veron. *minimum.* Leg. *Tantum quod minimum nutare ut dicere possis.* Vide v. 244.

227 Atque ita plagas] O. c. *plagis.*

242 Natura *genat* res.] *Gerat.*

267 Copia *conquiri* debet,] Q. c. *conciri.*

277 Quamquam vis *extima* multos] Recte MSS. *extera,* et l. *multa.*

320 Blandeque coniscant:] Q. *croniscant,* alii *coruscant.* Juv. Sat. 12. ——*frontemque* coruscat. *Quippe ferox vitulus, templis maturus et aræ.*

343 Et læta *arbusta,* feræque,] Lege, *armenta.*

370 *Fere* decurrunt ubera lactis.] Lego, *feri.* Sic vet. imp. Venet. Manil. lib. I. 368. *Lacte fero crescens ad fulmina vimque tonandi.*

373 Quin *intercurrat* quædam] *Intercurrant.*

381 Exsolvere *nobis,*] Forte, *nodos.*

383 *Fluat* e tedis] Forte *fuat.*

390 Liquor almus *aquarum:*] *Aquai.*

395 *Deducta* repente] *Diducta.*

399 *Sensu linguæ* tractentur] Lege, *linguæ sensu.*

420 *Et* qui compungunt] *Ac.*

441 *Æque* experiare.] L. *atque.* sic q. Venet.

450 *Restantia* vociferantur.] Lego, *restantibu'.*

457 Si minus omnibus sunt] O. l. *omnia.*

460 Nec tamen hærere inter se, quod quisque videmus] Vide v. 767.

461 Sensibus — elementis.] Duo Versus delend.

464 *Sudor* uti maris est, minime id mirabile *habendum.*] Lego, *Udor.* lib. VI v. 501. Lege cum MSS. *cuiquam.* Illud *habendum,* Marulli est.

503 *Myrrhæ,* mellisque sapores,] Edit. Veron. *Smyrnæ.*

536 Sicuti quadrupedum] Lege, *Sicuti.*

596 Unde etiam fluidas frondeis, et pabula læta] Vide v. 874.

601 *Sublimem* in curru bijugos agitare leones:] O. c. *Sedibus?* lego, *Sedibus in superis.* Virg. Æn. XI. v. 532. Velocem interea *superis in sedibus.*

630 Inter se *forte catenas*] Lego cum MSS. *terque quaterque: terce caterce.*

631 Ludunt, in numerumque exsultant *sanguine læti:* et] Q. c. *fleti:* q. *freti;* lego, *Ludunt in numerum, atque exsultant sanguinolenti.* Silius XI. Decius ad Annibalem: *sic victima prorsus Digna cadat Decius; nec enim te* sanguine lætum *Humano sit fas cæsis placasse juvencis.*

636 Armati in numerum starent: pernice chorea] Abest a v. codd. recte.

679 Reddita — parto.] Duo Versus delend.

740—747. Versus luxatos sic in ordinem restituo: Nam cum cæcigeni, solis qui lumina nunquam Aspexere, tamen cognoscant corpora tactu, Scire licet menti quoque nostræ corpora posse Verti in notitiam nullo circumlita fuco. Denique nos ipsi cæcis quæcunque tenebris Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore. Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo Ex ineunte ævo nullo contincta colore:

804 Inter *cæruleum virideis miscere* smaragdos.] Forte, *beryllum:* forte, *viridis lucere smaragdos.*

890 Illud in his igitur *fœdus* meminisse decebit,] *Rebus.*

895 Denique *quæ* sint :] *Quis.*

920 Scilicet ut *nequeant* homines] *Nequeunt.*

991 Omnibus *ille* idem *pater* est, unde alma liquenteis] Virg. *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther.* Tertull. Apolog. c. 10. *Quis enim non Cœlum et Terram matrem ac patrem venerationis et honoris gratia appellet?*

1017 Positura discrepitant *hæc*] O. codd. *res;* recte: lib. III. v. 1104.

1036 Nulli (ut opinor)] *Nil.*

1037 *Quam* tibi; jam nemo] *Cum.*

1046 *Tractus* liber] *Jactus,* leg.

1126 Et plus dispendii faciant, quam vescitur ætas,] Plane aliquid est quod contra Poëtæ mentem faciat. Constat quippe hæc verba, *quam vescitur,* opposita illis esse, *plus dispendii faciant;* Itaque τὸ *vesci* significaret *acquirere, parare,* etc. cui rei Linguæ Latinæ usus reclamat. Quamobrem hunc locum ita semper legendum existimavi. *Et plus dispendii faciant quam* nancitur *ætas.* Faber. Hoc ignoravit, scil. *vesci* aliquando active sumi: quod tamen Phædrus suus eum docere potuisset: lib. I. Fab. 31. *Illæ credentes sese tradunt milvio, Qui regnum adeptus cœpit* vesci *singulas.* Sic Tibullus II. 5. —*sic usque sacras innoxia lauros* Vescar— Et alii bene multi.

1134 *Plura* eo dispergit,] Leg. *Pluria.*

1136 Nec *sitis* est, *quæ per* largos exæstuat *æstus,*] *Satis—pro quam—artus.*

1144 Expugnata dabunt labem.] In libro II. Æneidos legitur, Hinc mihi prima mali *labes.* Quid est *labes?* aliquando repentinam aliquam calamitatem significat vel ab aquis immodicis, vel a grandine, fulminibus, etc. vel a chasmate et hiatu terræ *; id quod Docti annotarunt. etc. Faber. * Vel a quavis alia re. Ennius; *Certare abnueo, metuo legionibus,* labem.

1148 Quantum opus est, et quod satis est, natura novare.] Dele Vers.

LIB. III.

11 Omnia *limant,*] *Libant.*

24 *Delibrat* tempore in ullo.] *Delibat.*

28 His tibi me rebus quædam divina voluptas] Lib. II. v. 43.

33 *Alterno* percita motu] *Æterno.*

43—46. Ordo, *Et se scire animi naturam, sanguinis esse, Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas, Nec prorsum quicquam nostræ rationis egere: Hinc licet advertas animum, magis omnia laudis.*

133 Nomen ab *organico* saltu delatum Heliconis,] Lego, *Organicis alto delatum Helicone.* Sive, ait, Organici vel musici eam vocem ex Helicone detulerunt, (i. e. ipsi commenti sunt) sive aliunde porro traxerunt ab aliis repertam et ad suam artem transtulerunt. Vide lib. II. v. 412.

151 Lætitia*que* viget,] Lætitia*ve.*

171 Horrida *teli*] *Leti* q. c.

222. Quod genus *est* Bacchi] Lego, *aut Bacchi.*

289 Est etiam calor ille *animo,* quem *sumit* in *ira,* Cum ferviscit,] Leg. *animus—iram.* Distingue —*animo quem sumit, in ira Cum ferviscit,*— Hor. Sat. I. —*mea cum conferbuit ira.* Vide v. 296. [Wakefieldius Bentleii notulam sic exhibuit: Lege et distingue; Est etiam calor ille; *animus* quem sumit, in ira Cum fervescit: &c.]

290 Oculis micat *acribus* ardor.] O. c. *acrius;* male. Virg. Æn. XII. 101.——*totoque ardentis ab ore Scintillæ absistunt;* oculis micat acribus *ignis:*

296 Efferviscit in *ira:*] *Iram.* Effervescere deos ira. [Wakefieldius sic exhibuit: Legendum forte: effervescit *in iram.* Bentleius. Idem nobis etiam se in animum indiderat; sed dubito an fructus aliquid in mutatione decerpendum sit. Arnobius, lib. I. p. 11. Est exploratum et cognitum *effervescere* deos *ira.*]

322 Depellere *doctis:*] *Dictis.*

373 Singula *primis*] *Privis.*

379 Quantula *prima* queant] *Priva.*

434 Nam procul *hæc* dubio] Lego, *hinc,* i. e. ex imaginibus, v. 644.

446 Præterea gigni pariter cum corpore, et una] Democritus; *Αὐξανομένου τοῦ σώματος, συναύξονται φρένες· γηράσκοντος δὲ, συγγηράσκουσι, καὶ εἰς τὰ πράγματα πάντα ἀμβλύνονται.*

457 Naturam, ceu *fumus in altas* aëris auras:] Lego, *ceu fumum in apertas:* a compendio scripturæ *aptas* factum est *altas:* v. 507. 603. lib. VI. v. 817. Vel *ceu somnium in altas.* Homerus:——*ἐπεί κε πρῶτα λίπῃ λευκὸν ὀστέα θυμὸς, ψυχὴ, ἠΰτ' ὄνειρος, ἀποπταμένη πεπότηται.* Chorus Troadum: ——*ut calidis* fumus *ab ignibus Vanescit spatium per breve sordidus: Sic hic quo regimur, spiritus effluet.* Virg. Georg. IV. de Eurydice: *Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras Commixtus tenuis, fugit diversa;* Sextus p. 321. *Καὶ ὀχ, ὡς ἔλεγεν Ἐπίκουρος, ἀπολυθεῖσαι τῶν σωμάτων (αἱ ψυχαὶ) καπνῷ δίκην σκίδνανται:* Homerus:——*ψυχὴ δ' ἠΰτε καπνὸς Ὤιχετο τετριγυῖα.*

459 Fessa *fatiscit.*] Q. codd. *fatisci;* recte.

467 *Nutuque* cadenti.] MSS. *voltuque;* optime. v. 594. 655. lib. V. 839.

573 In *eos* poterit] *Eo.*

593 De corpore *membra:* Et quasi supremo] Lego, *membratim, Et quasi s.* v. 526. 541.

596 Quod genus *est,* animo] Lego, *genus* aut *animo* etc.

643 Permista cæde *calenteis*] Lego, *calentis* (cas. gen.) vel *calenti.* Favet tamen lectioni vulgatæ Silius (II. 21.)—*notum, quid* cæde calentibus armis, *Quantum iræ, liceat; motusque quid audeat ensis.* Vide Lib. V. v. 1312.

649 Nec tenet, *amissam lævam*] Lego, *amissam* hic *lævam* etc.

662 Ipsam seque retro partem petere ore priorem,] Ordo, *Et partem priorem serpentis ipsam retro petere se ore.*

717 Sin ita *sinceris* membris] *Sincera e membris.*

719 Unde *cadavera* rancenti jam viscere vermeis *Expirant?*] Q. codd. *cadavere,* et, *effervent.* Lego, *Unde* cadaveri' *rancenti jam viscere* vermes Effervent? Virg. Georg. IV.——*liquefacta boum per viscera toto Stridere apes utero, et ruptis effervere costis.* Vide lib. II. v. 927. Arnob. lib. I. *In Asia et Syria mures et locustas* effervescere *prodigialiter.* Sc. *effervere.* Idem lib. VII. *Viscera* fervescere *vermibus et fluctuare.*

736 *Cum* subeant:] *Quod;* Fab. recte.

745 Ingenerascunt, *inque genuntur*] Omnes MSS. *Ingenioque;* optime. " Cur omnia," ait, " tam *ingenio* sive moribus et natura et indole *genus* suum referunt quam *corporis* formâ?" Lib. I. 592. lib. II. 664. lib. V. v. 895

763 Nec tam doctus —— corpore toto.] Dele.

794 *Tandem* in eodem] *Quamde.*

863 Interrupta semel cum sit *repetentia nostra,*] Q. c. *retinentia;* et omnes codd. *nostri;* quod rectissimum. Vox utraque *Memoriam* denotat, v. 675. Arnob. lib. II. p. 61. *Et oppositu corporis, amitti* repetentiam *priorum,* i. e. ἀνάμνησιν; nam infra ait,— *oblivionem priorem nullam pati.— priorum reminiscentiam non habere.—priorum* repetentiam *detrahit.*

885 Aut flammis *interfiat,* mâlisve ferarum:] *Interfiat,* id est, interficiatur: ut, patefacio, patefio.

900 Stansque jacentem, nec lacerari, urive *dolore.*] Lambinus corrigit, *dolére.* Ego sic totum emendo, *Stansque jacentem . . . . . lacerari urive, dolere . . . . .* f. *illum; nec* abest in Codd. MSS.

901 *Nam* si in morte malum'st,] Malim, *Tum,* vel *Jam.*

903—906. Ordo, *Ignibus impositum calidis torrescere flammis, Aut in melle situm suffocari, atque rigere Urgerive superne obtritum pondere terræ Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi.*

911 Præsidio: miser, *ô* miser,] Lego, *ah;* Catullus, *Miser* ah *miser Concubine nuces da.* Tibullus, *Donec* ah *miser miser;* et Græc. ἰὰ διὰ'. Catullus, *Miser* ah *miser quærendum est, etiam atque etiam anime.*

920 Insatiabiliter *deflebimus,* æternumque] Omnes MSS. *deflevimus.* Quæ vera lectio est.

922 Quid sit *amari* Tantopere] Vide v. 946. *Quid sit Tantopere:* plana (plena Wakef.) dictio, sine *amari.* An leg. *Amabo.* Sed tum dicendum esset, *est,* non, *sit.*

927 Ex animo ut dicant, Brevis hic est fructus homullis; Jam fuerit, neque post unquam revocare licebit.] *Homullus,* an, ut potius reor, *homillus* dici debeat, non est fortasse tanti, ut studiose quæratur; id enim alii ante nos fecerunt: Sed nemo, quod quidem sciam, antehac monuit, esse in hoc loco gravissimum peccatum a librarii manu. Legendum enim est, ... *Brevis hic est fructus homilli.* Primum quia figura ingeniosior sit et magis morata, ἠθικωτέρα, si numerum singularem usurpes; (notum illud . . . . *quàm totus homuncio nil est!*) Dein quia, nisi vera nostra emendatio est, tum solœcismus in oculos involabit. [*Jam fuerit*] alioqui scribendum erat [*Jam fuerint*] homilli scilicet. Faber. Imo, *Jam fuerit,* nempe *Fructus.* Propert. II. 12. *Tu modo, dum licet, hunc* fructum *ne desere* vitæ. Bene igitur, *Homullis.* Brevis hic est fructus [vitæ] homullis.

954 Vitaque in *offensu'st:* cur amplius addere quæris,] Omnes Codd. *offenso.* Democritus; Ἀνόημονες, τὸ ζῆν ὡς [ὅμως] στυγέοντες ζῆν ἐθέλουσι δέματι ἀΐδιω. Idem; Ἀνόημονες, θάνατον ἀιδοικότες, γηράσκειν ἐθέλουσι.

961 *Omnia* si pergas vivendo vincere *sæcla:*] *Sæcla* sc. *hominum,* non *annorum.* Sed vide v. 1103. Ergo cape de omnibus sæclis annorum, usque ad hujus mundi exitium.

970 Sed quia semper aves, quod abest, præsentia temnis:] Democritus; Ἀνόημονες τῶν ἀπεόντων ἐρέγονται· τὰ δὲ παρεόντα, καὶ παρεφχημένων κερδαλεώτερα ἐόντα, ἀμαλδύνουσιν.

979 Nec tartara *decidit* atra.] Q. c. *dedit*, q. *deditur*.

984 Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.] P. Syrus: *Homo vitæ commodatus, non donatus est.* Arnob. II. Usu *et illis est vita non* mancipio *tradita.* Eurip. Supplicibus; Ὄθεν ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο, Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα, Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· οὔτι γὰρ κεκτήμεθα Ἡμέτερον αὐτό, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον· Κἄπειτα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν. Pedo Albinovanus: *Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis Mutua, nec certa persoluenda die.*

988 Temporis exponit, post mortem denique nostram] Distinguo; *Exponit post mortem denique nostram.*

991 Atque ea nimirum, quæcunque Acherunte profundo.] Propert. III. 3. 67. *An ficta in miseras descendit fabula gentes, Et timor haud ultra, quam rogus esse potest.* Ita intelligendus Horatius, *Fabulæque manes.*

996 Mortaleis, *casum*que timent,] Nota, *Casum;* alludit ad casum lapidis.

1001 *Dispensis* jugera membris] Omnes MSS. *dispersis;* optime, lib. II. v. 1125.

1005 Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem Quem *volucres* lacerant, atque exest anxius angor] *Cui Vultur jecur intimum pererrat Et pectus trahit, intimasque fibras Non est, quem Tityon vocant Poetæ, Sed cordis mala, Livor, atque luxus* (luctus). Petronius. Et Euphorbius de Livore, —— *Tityique vultur intus Qui semper lacerat, comestque mentem.*

1007 Scindunt *cuppedine* curæ.] Q. c. *torpedine;* probe v. 994. non probo.

1038 Lumina sis oculis etiam *bonus Ancu'* reliquit,] Forte, *Patroclus:* Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων. [Pessima conjectura. Versus Ennii est apud Festum v. *Sos.* vid. Wakefield.]

1045 *Aquis* insultans,] Leg. *equis:* ut MSS.

1052 Denique *Democritum* postquam] *Democritus.*

1065 Atque animi *incerto* fluitans errore vagaris?] An *Incertus.*

1071 Quærere *semper*, Commutare locum] Deleo comma; et jungo, *Quærere commutare.*

1078 Oscitat extemplo, tetigit cum limina villæ:] Ennius Iphigenia: *Imus huc, hinc illuc: quum illuc ventum est ire illinc lubet Incerti errat animus, præter propter vitam vivitur.* v. Ver. 1065. Nutrix ad Phædram, Eurip. Hippol. Δεῦρο γὰρ ἰλθεῖν, πᾶν ἔπος ἦν σοί· Τάχα δ' εἰς θαλάμους στείσεις τὸ πάλιν· Ταχὺ γὰρ σφάλλῃ, κοὐδένι χαίρεις· Οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρὸν, τὸ δ' ἀπὸν Φίλτερον ἡγῇ. Conf. Ver. 1095.

1082 Effugere haud potis est, ingratis hæret, et angit,] H. e. Is quem haud potest effugere, ingratis (ut fit) hæret et angit.

1084 Quam bene si videat: *jam*, rebus quisque relictis Naturam *primum* studeat cognoscere rerum,] Junge, *jam primum*, ὡς τάχιστα.

1093 Præterea versamur ibidem, atque insumus *usque:*] Post *usque*, pone στίγμα.

1097 Et situs æqua tenet vitaï semper *hianteis:*] στίγμα.

1105 Nec minus ille *diu jam non erit*, ex hodierno.] *Non erit*, juncte, οὐκ ἔσται: jam ex hodierno lumine.

LIB. IV.

90 *Extrinsecus* ortæ,] *Intrinsecus.*

92 *Quia* contendunt] *Qua.*

139 Aëra *mulcenteis* motu] *Mulcanteis.*

203 Cœlumque *rigare, Quod supera'st:*] Lego; *rigare. Quod superest,* &c. Ita passim.

213 Cœlo stellante, *serena*] Lego, *stellante sereno.* Propertius II. 18. *Quæritis et,* cœlo *Phœnicum inventa* sereno, *Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.*

267 *Colorem:*] Χρόαν, superficiem. lib. V. 581.

349 *A* luce nequimus,] 2 MSS. ἐ; bene.

353 Conjecta *moveri.*] Leg. *movere.* v. 348.

407 Cum cœptat *natura:* supraque extollere monteis:] Non minus venuste legere possis, *Matuta,* vide lib. V. v. 655. Sed nihil muto: lib. VI. v. 470.

421 Corpora *mirando* sub terras abdita *cœlo.*] Lego; *Corpora* (mirandum) *sub terras abdita* retro. i. e. vestigiis sursum locatis. Vide modo lib. I. v. 1057, 1058. mox v. 611.

472 *Quo* se nil scire fatetur.] Q. MSS. *quoniam nil;* optime. Terentius ——*fatetur transtulisse* etc.

493 Quod molle, aut durum est: gelidum, fervensve: seorsum] Versus a Lambino interpolatus, inducendus.

494 *Id* molle, aut durum: gelidum, fervensve *videri:*] Tactus. Lego, *Quid molle.* Pro *videri,* lego, *seorsum.*

496 *Et* quæcunque coloribu' sunt conjuncta, necesse'st] Visus.

497 Seorsus item *sapor* oris habet vim, seorsus odores] Gustus, odoratus, auditus.

531 *Præterradit* enim vox fauceis] *Præterea radit vox fauceis* apud Gellium (x. 26) et Nonium *; recte. Q. Venet. *Præter radit vox fauceis.*

535 Scilicet—in auras.] Versus spurii: prior in omnibus MSS. posterior in nullis.

548 *Retrocita* cornua bombum:] L. *Berecynthia.*

557 Unde *illa* profecta Perveniat vox quæque] Lego, *una,* unaquæque vox perveniat.

582 Ita colles collibus *ipsis*] Lego aut *ipsi,* aut *ipsa.* v. 558. Imo, *collibus icta verba.* Pedo Albinovanus; *Te clamore vocant iterumque iterumque supremo; At vox, adversis* collibus icta, *redit.* Virgilius: *Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles.*

592 *Unco* sæpe labro] Lego, *Udo,* non *unco.* Plato: Αὐτὸς ἐπὶ σύριγγι μελίσδεται εὐκελάδῳ Πὰν, Ὑγρὸν ἐπὶ ξεινκτῶν χείλος ὑπὲρ καλάμων. Ibid. *Calamos hianteis.*] Propertius III. 15. *Capripedes* calamo *Panes* hiante *canent.* Vide lib. 5. v. 1406.

598 Avidum nimis *auricularum.*] An legendum, *avidum nimis miraclorum?* Ennius apud Varronem lib. V. *Jamdudum ab ludis animus atque* au-

* [Locus Nonii, quem reperire nequibat Wakefieldus, est p. 453, 7. ed. Mercer. Sedan. 1614.]

res avent, Avide expectantes *nuntium*. *Propter hanc aurium aviditatem*, Varronis verba sunt, *Theatra replentur*.

Ibid. Humanum genus est *avidum* nimis *auricularum*.] Id est, *Omnes homines portenta et miracula libenter narrant; eaque a multis audiri jucundissimum illis est*. FABER. Imo ea *omnibus* auditu jucundissima sunt. Tertul. Apolog. *Non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate*.

619 *Hæc*, queis sentimus] *Nec*.

631 *In* fine palati] Dele *in*.

714 *Noctem* explaudentibus alis] Virgilius Georg. IV. — *Philomela* — Flet noctem, *ramoque sedens miserabile carmen Integrat*.

789 Quom simulachra Cernimus in somnis,] Varro: *Levius mens nuncquam somnorinas imagines Affatur, non umbrantur somno pupulæ*. Ita corrigo; vulgo, *Levius mensum cum somnorinas*.

791, 792. Propertius II. 16. *Sive aliquis molli deducit candida gestu Brachia, seu varios incinit ore modos*. Leg. *diducit*.

996 Versus ille Lambini delendus est; et v. 997. pro *de terra* leg. *de somno*, ut lib. III. v. 164. *Soño, Solo*, inde *terra* ex glossa.

1047 Sive *puer membris muliebribus* hunc jaculatur,] Ausonius: (Ep. 107.) *Dum dubitat natura marem, faceretne puellam, Factus es, o pulcher, pene puella puer*. Horatius de Gyge: *Quem si puellarum insereres choro Mire sagaces falleret hospites Discrimen obscurum solutis Crinibus ambiguoque vultu*. Hoc idem de Achille produnt apud insulam Scyrum latente. Bion: Πῶς παῖς ἴσσατο φᾶρος, ὅκως δὲ ἐγεύσατο μορφάν· ubi conspicuum legi oportere, δ' ἐψεύσατο: quod mirum a nemine hactenus animadversum fuisse. Sed idem notaverat Is. Casaub. MSS.

1054 *Stillavit* gutta,] Euripides Hippol. 526. Ἔρως, ἵρως, ὁ κατ' ὀμμάτων Στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν Ψυχᾷ χάριν.

Ibid. *frigida*;] MSS. *fervida*. Recte. Juvenalis. *Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade* fervet. Sappho: — ἀν δὲ λιπτὸν αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδιδρόμακεν· Tibullus: *Ne tibi sim, mea lux, æque tam* fervida *cura*. i. e. ne ita amer. Hæc, credo, desumpta ex Epicuri περὶ ἔρωτος.

1065 Volgivagaque vagus Venere] Propertius I. 13. Hæc tibi *vulgares* istos compescet amores.

1069 Nam certa, et pura est sanis magis inde voluptas, Quam miseris.] Diogenes Cynicus, ἐρῶντας, ἔφη, πρὸς ἡδονὴν ἀτυχεῖν. Læërtius (vi. 67.)

1090 Tenuia, quæ vento spes raptat sæpe misella.] Lego, *Quæ mentem spe lactant sæpe misella*. Ex *lactant*, primum *jactant*, inde *raptant*. Terent. And. IV. 1. *Nisi me* lactasses *amantem*, et falsa spe *produceres*. Vel propius ad MSS. *spe captant*, i. e. θέλγουσι. Publius Syrus: *Fortuna, cum blanditur*, captatum *venit*. *Mentem*, vid. lib. V. v. 63.

Ibid. Tenuia, quæ vento spes raptat sæpe misella.] Sex septem dies locum hunc animo versavi, οὐδὲν ὑπερβολικῶς dico. FABER. Rideo hunc, qui tam diuturnam operam lusit, ut videbis, si notas nostras videris.

1113 Nec reperire, malum id possunt quæ machina vincat] Theocrit. Id. II. 95. Εἰ δ' ἄγε Θέστυλί μοι χαλεπᾶς νόσω εὕρε τι μᾶχος. Inveni mihi huic morbo *Machinam*. Incaute doctissimus Palmerius substituit τί μ' ἄκος; quod lex carminis haud patitur. Et quid illud μοι—μ'. An, viro ingenisissimo somnus obrepsit? Eurip. Hippol. Nutrix ad Phædram v. 481. Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ, καὶ λόγοι θελκτήριοι· Φανήσονταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου. Ἦ τ' ἄρά γ' ὄψει γ' ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν, Εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν. Idem in

Alcestide 221. Ἔξευρε μηχανάν τιν' Ἀδμήτῳ κακῶν. Idem in Androm. 587. Ὤι μοι, μοι· τί δ' ἴγω Κακῶν μῆχος ἐξανύσαιμ' ἄν;

1135 Atque in amore mala hæc proprio, summeque secundo] Tibullus: (I. 2. 75.) *Quid Tyrio recubare toro, sine* amore secundo *Prodest?* Propertius: *Nam quis divitiis* adverso *gaudet* amore? Idem II. 16. *Mendaces ludunt flatus in* amore secundi. corrig. *secundo.*

1156 Tota merum sal] Afranius in Compitalibus: *Ut quicquid loquitur,* sal merum *est.*

1171 At lacrymans exclusus amator limina sæpe Floribus et sertis operit.] Propertius I. 16. *Et mihi non desunt turpes pendere corollæ:* Janua loquitur. *Osculaque impressis nixa dedi gradibus.* Amator ad januam. Tibullus I. 2.— *cum* posti florida serta *darem.*

1174 *Venientem* offenderit aura] Q. Codd. *veniens.* Recte, vid. lib. VI. v. 265.

1265 Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet.] Planissime scripserat Poeta, non, *Clunibus,* sed *Crissans:* Dubitari enim non potest quin hunc Lucretii locum ante oculos haberet Donatus, cum cetera, quæ profert, hic legantur, *Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat.* Auctor obsceni carminis, si memini satis, olim scripserat, *Crissabit tibi fluctuante lumbo.* Faber. Arnobius videtur legisse, *Crispabit:* lib. II. *Clunibus et coxendicibus sublevatis lumborum* crispitudine *fluctuaret.* Lib. VII. *clunibus fluctuare* crispatis. Copa Syrisca,—— *caput Graia redimita Mitella* Crispum *sub crotalo docta movere latus.* Et Priap. *Deliciæ populi magno notissima circo Quinctia* vibratas *docta movere nates.* i. e. *crispatas.*

1268—— atque locis avertit seminis ictum.] Lego, *semini' jactum.* Primum nunquam dictum est, *icere* semen, sed *jacere;* deinde metaphora ab agro colendo et serendo ducta est, uti probat, tum illud *sulci,* tum *vomerem;* et alibi, *muliebria conserat arva:* et Gr. ἐπ' ἀρότῳ παίδων: et alia sexcenta. Faber. Vide pruriginem Critici. Quid ergo fiet v. 1238. de semine?— *aut non tam prolixo provolat* ictu. An hic homo ineptus suum *jactu* substituet? Pariter Plinius, *Ictum salivæ,* lib. VII. c. 2. "Ferunt serpentes, *ictum salivæ,* tanquam aquæ ferventis contactum fugere." Juvenalis VI. 126. de Messalina. *Et resupina jacens multorum absorbuit* ictus.

1275 Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis, Morigerisque modis, et mundo corpori' cultu,] Afranius Vopisco: *Ætas, et corpus tenerum, et morigeratio, Hæc sunt venena formosarum mulierum.* Propertius II. 15. *Quid si nec nomen nec me tua forma teneret, Posset servitium mite tenere tuum.*

LIB. V.

3 *Fundere* laudes] MSS. *fingere.*

36 Propter Atlantæum littus,] Omnes Codd. *Atianeum.*

52 Hunc hominem *numero* divûm dignarier] Post, *numero,* lege, *in.* Vide v. 124, 151.—Accius in Phœnissis: *Delubra cœli tu* meres *sanctitudine.* Ita legendum; non, ut vulgo, *maris.*

54 Immortalibu' de divis dare dicta suërit:] Quippe qui libros singulares scripsit, περὶ Θεῶν, et περὶ Ὁσιότητος.

95 Treis species tam dissimileis, tria talia texta,] Ovidius Trist. II. 425. *Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis, Casurumque triplex vaticina-*

tur opus. Et Pedo Albinovanus corrigendus, ubi vulgo *intentam,* et *vaticinatur. Ecce necem* intentant *cœlo, terræque, fretoque; Casurumque triplex* vaticinantur *opus.* Utroque loco Jos. Scaliger reponit *Caussarum,* et intelligit *Opus* Lucretii, non hoc, sed aliud vetustate abolitum. Euge! Euge!

102 Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu] Empedocles: Οὐκ ἐστὶν πιλάσασθ' ὐδ' ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν, ἥπερ τε μεγίστη Πειθὼ ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

138 Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret.] Legendum, *Quamde in corde omni* (*uno*). [Illud *uno* non habet Wakefield. qui testatur Bentleium in fine *manere* correxisse.]

156 Quæ tibi posterius largo sermone probabo.] Vide an fidem liberavit?

164 Ab imo evertere *summam*:] Quid si, *pessum?*

190 *Consuerunt* concita ferri,] Lege, *consuerant.*

195 *Novando*] Passive, *dum novatur.* [duo verba adjecta ex exemplo Wakefieldi.]

202 Monteis sylvæque ferarum] Lege, *Montes.*

204 Et mare, quod late terrarum distinet oras.] *Oceanus dissociabilis.* Horat.

225 *Vitali* auxilio:] Lege, *Vitaï.*

229 *At variæ* crescunt pecudes] Lege, *Validæ.*

230 Nec crepitacula eis *opu'sunt,*] Bene MSS. *opus est.*

240 Debet *tota eadem* mundi] V. Codd. *eodem omnis;* recte.

246 Quoque *idem* terræque] Lego, *item.* lib. VI. v. 756.

258 Quodcunque *alid,* auget] Omnes Codd. *alit;* optime. v. 221. sed vide v. 323.

294 *Caput* ipsum.] I. e. *Fons.* v. 271. et v. 282.

297 Multa *caligine* tedæ,] *Fuligine.*

312 Denique — casu?] Duo Versus delendi.

363 Quis locus est quo *dissiliant:* neque corpora *sunt,* quæ] Lege, *dissiliat — sint.* v. 360.

375 Nec soli, terræque,] Lege, *terræve.*

376 Sed patet *immani,*] Lege, *immane.*

389 Nequicquam, quoniam verrentes æquora venti] Vide v. 267.

398 Avia cum Phaëthonta rapax vis solis equorum.] Causa ficta Incendii.

407 Vera'*st animi* ratione] *Vera nimis est.*

408 Ignis enim superare potest, ubi materiaï.] Causa vera Incendii.

413 Ut fama'st *hominum,* multas quando obruit *urbeis,*] Lege, *hominum multas* etc. deleto commate. Pro *urbeis,* Q. Codd. *undis;* Isaac. Vossius ad Catullum, *obruit multas hominum* (i. e. culpas mulcta dignas) *undis.* En cor Zenodoti. Quin optime se habet τὸ urbes: sic v. 343. — *atque oppida cooperuisse.*

421 Ordine se *quæque, atque* sagaci mente locarunt:] MSS. *se suo quæque sagaci.*

431 Exordia *sæpe,*] Leg. *nempe.*

451 Coïbant In medioque imas] Turnebus: — *Coibant, In medio atque imas.*

459 *Partibus* erumpens] An *Protinus?*

